63/2823 N L H 125

IOHANNIS STVRMII

DE

INSTITVTIONE SCHOLASTICA

OPVSCVLA OMNIA.

I. LIBER DE EDVCATIONE PRINCIPIS.
II. LIB. DE NOBILITATE LITTERATA.
III. LIB. DE LITTERARVM LVDIS RECTE APERIENDIS.
IIII. LIB. III. EPISTOLARVM CLASSICARVM.
V. LIB. EPISTOLAR. ACADEMICARVM.
VI. SCHOLAE LAVINGANAE.

RECENSVIT

AC

PRAEFATIONE

ET

DESIDERIIS SCHOLASTICIS

AVXIT

FRIDERICVS ANDREAS HALLBAVER.

IENAE

SVMTV CHRISTIANI FRANC BVCHII.

CIↃ IↃCC XXX.

Lehrerbücherei der Oberschule f. J. Köthen/Anh.

Erz/5.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC
DOMINO
WILHELMO HENRICO
SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE AC WESTPHALIAE DVCI LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONI MISNIAE COMITI PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGIAE COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE SAYNAE ITEM ET WITTGENSTEINII DYNASTAE RAVENSTEINII

PATRI PATRIAE
INDVLGENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO SVO
CLEMENTISSIMO

HAEC STVRMIANA
DE INSTITVTIONE SCHOLASTICA
SCRIPTA
D. D. D.
FRIDER. ANDREAS HALLBAVER.

SERENISSIME PRINCEPS DOMINE INDVLGENTISSIME

SAepe non ſine magna animi voluptate publicae illius laetitiae recordationem excitare ſoleo, quae proximo anno, quarto iduum novembr.

uembr. profuſam cunctae Ienae tuae hilaritatem effecit. Floruit iſte dies incredibili hominum multitudine & gratulatione, cum quod eo iucundisſima TVI, propitio deo, nati memoria celebrabatur; tum quod dictus erat fidei TIBI iurandae. Academia, tuae deliciae, ordines prouinciales, ſenatus oppidanus, ſacerdotum conuentus, ciuium tribus, agreſtium denique cateruae, factis ſolemnibus ſacris, poſtquam pro tua incolumitate immortali deo ſupplicauerant, principale in palatium, non vſitata ſpectatorum frequentia ſtipati, intrabant: ibi in conſpectu ſplendidiſſimorum Legatorum tuorum, habita vnius grauiſſima cultiſſimaque oratione, mira animorum alacritate iurabant veriſſimum ſanctiſſimumque iusiurandum, ſe fideliſſimos atque obedientis-

entiſſimos imperio tuo ſemper futuros. Tum exſultare ac triumphare gaudio coeperunt, quotquot diuina prouidentia ſubiectos TIBI eſſe voluit, non vt de vnius, ſed vt de communi omnium ſalute, quae tua continetur; tum vno etiam ore precari, vt benigniſſimum numen TIBI propria det ac perpetua, quaecunque exoptes bona. Flos praeterea iuuenum ornatiſſimorum, ex omnibus, qua cultior patet, Europae partibus in hoc bonarum mentium ſeminarium quotidie accurrentium, laetus atque erectus incedebat, TEque, tamquam Apollinem ſuum, laudibus non minus ac votis, quam maximis proſequebatur plauſibus. Tanta ex initiis principatus tui ad populum tuum, proſtratum antea maximos in luctus, ingentique dolore cruciatum, peruenit laetitia.

Etenim quem vis morbi oppreſſit, morsque inopinata ſuperiori anno, pridie non. ian. o diem acerbum & reipublicae luctuoſum! nobis eripuit, IOHANNEM WILHELMVM, patriae patrem, pium, iustum, ſapientem, beneficum & felicem, atque omnibus optimi principis laudibus cumulatisſimum; eum in WILHELMO HENRICO quaſi a mortuis excitatum, nobis diuina reddidiſſe videtur benignitas. Hinc illa ouantium gaudia: hinc illae congratulantium voces. Quid vero a deo optimo maximo praeſtabilius nobis dari potuiſſet, quam princeps e celſisſima Saxonum familia ortus, quae ſiue vetuſtatis honorem & dignitatis faſtigium, ſiue heroum multitudinem rerumque fortiter geſtarum gloriam, ſiue amplitudinem adfinitatum conſideremus, certare poteſt cum antiquisſimo, ſplendidis-

ſimo

simo & laudatissimo hominum genere quouis? princeps tanto parente prognatus? princeps diuina & alta mente praeditus? qui deo totum se dedit ac permisit; qui ea est natura, qua melior ne fingi quidem potest, vt existimet, se natum esse ad homines iuuandos conseruandosque. Videlicet quum statutum habeas, laudes, a glorioſisſimis patribus acceptas, posteris prodere; id potissimum TIBI agendum arbitraris, vt tuo toto imperio omnia plena clementiae, iustitiae sint & probitatis. Sentire hoc principem excelsi animi; sentire vero & facere, perfectae virtutis est. Itaque omnia summa se consequutos esse, iure credunt, qui tuum nutum intuentur, quod moderandi & regendi sui quasi habenas esse traditas TIBI vident, qui, quantumcunque potes, in eo elaboras, vt sint res, communem vtilitatem

continentes, ſaluae ac florentes, tuique ciues & ſerui incolumes atque felices. Litterarum autem cultores illud in primis ſibi laetandum & gratulandum ſtatuunt, quod mirabilem tuum in artium ſtudia liberaliſſima & doctrinas amorem, non natura ſolum corroboratum, verum etiam disciplina, in maxima apud TE gratia ſe poſuiſſe ſentiunt; idque ex eo potiſſimum colligunt, quod, licet ad gubernacula reipublicae ſedeas, clauum tamen academiae, quem adhuc tam feliciter, quam clementer moderatus es, in poſterum quoque tenere volueris: qua ſibi re ſempiternum honorem acceſſiſſe intelligunt, quem & poſteri gloriandum ac prae ſe ferendum exiſtimabunt. Ad me quidem quod attinet, & memoratae cauſſae & priuata me pietas iam antea ad gratulationem ſubmisſiſſime faciendam deuocaue-

rat;

rat; nihilo ſecius animi mei, maximis beneficiorum vinculis TIBI obſtrictiſsimi monumentum quoddam etiam publice ponere cupiebam. Erant ea tempeſtate in operarum manibus haec Sturmiana de ſcholaſtica inſtitutione opuscula, meo ſtudio collecta & recenſita: quae quamuis tum ad TE viam adfectarent, vt & ſibi decus ſub tanto culmine quaererent, & nouam ad TE meam gratulationem perferrent; temporis tamen breuitas non permiſit, vt in lucem prodire, atque aliorum ſeſe acclamationibus comites praebere potuerint. Nihilominus a propoſito non declinandum mihi, & deflectendum eſſe putaui, quoniam & ſera gratulatio reprehendi non ſolet. Igitur quum eadem ad TE, Domine indulgentiſsime, nunc accedant, votaque TIBI patriaeque debita deportent; ea vt ſerena fronte acci-

accipias, eſt, quod ſubmiſſo animo maiorem in modum abs TE peto & contendo. Det TIBI immortalis deus domum tutam, imperium ſecurum, populum probum, valetudinem integram, vitam longam, poſteritatem infinitam, atque vt paucis omnia complectar, felicitatem ſummam. Id ab eo numquam non optabo ac vouebo. Ienae a. d. VI. Kal. Maii CIↃ IↃCC XXX.

FRIDE-

FRIDERICI ANDREAE HALLBAVERI

PRAEFATIO

VNA CVM EIVSDEM

DESIDERIIS SCHOLASTICIS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

I. Querimoniae de corrupto ſcholarum ſtatu iuſtae.
II. Qui ſint in cauſſa corrupti illius earum ſtatus.
III. A quibus emendationis initium fieri debeat.
IIII. Praeparatio ad formandam iuuentutem in academiis inſtituenda eſt.
V. A Sturmianis ſcholis exemplum emendationis egregium deſumi poteſt: ideo eius de re ſcholaſtica ſcripta omnia iam denuo publicantur.
VI. Editiones, ad quarum exemplum nunc excuſa ſunt, recenſentur.
VII. Speciatim Sturmii libellus de educatione principum aliique de eodem argumento ſcriptores.
VIII. Eiusdem nobilitas litterata & alii de eadem materia ſcriptores.
VIIII. Eiusdem reliqua ſcripta ad ſcholarum publicarum conſtitutionem pertinentia.
X. Alii de inſtitutione ſcholaſtica ſcriptores, inter quos vero Sturmius principatum tenet.
XI. Adducitur Morhofii de his Sturmianis ſcriptis iudicium.
XII. De variis variorum de inſtitutione ſcholaſtica ſcriptorum collectionibus.
XIII. Qui de ſcholarum naeuis & corruptelis itemque de mediis emendandi ſcholas ſpeciatim ſcripſerunt.
XIIII. Deſideria ſcholaſtica.

§. I.

§. I.

DEformem plerarumque noſtra aetate ſcholarum faciem eſſe, nemo facile in dubium vocabit, cui vmquam copia facta eſt, tirones, qui ex iis in publicum prodeunt, cognoſcendi aliquanto accuratius. Loquuntur id innumera rectorum ac profeſſorum ſcholaſticorum programmata: teſtantur id doctorum academicorum querimoniae: idem comprobant iudicia magnorum virorum, quibus ſacrae & ciuiles res adminiſtrandae ſunt, de iis lata, qui, emenſi ſtudiorum & ſcholaſticorum & academicorum ſtadium, ſeſe ipſis explorandos ſiſtunt, vt in candidatorum numerum recipiantur. Vna omnium vox eſt, priſtinum ſcholarum Germaniae florem amiſſum, nihilque magis opus eſſe, quam vt renouentur, inſtaurentur, atque in formam redigantur meliorem. Quorum quidem querelas tantum abeſt, vt vituperem & ex iis eſſe exiſtimem, qui dicis cauſſa, aut vt conſuetudini inſeruiant, a multis proferuntur, vt ipſe calculum iis adiiciam meum, diuturna, qua nihil exploratius eſt, experientia edoctus.

§. II.

Ex quo omnia ſcholarum mala nata & profecta ſint, ſi multis explicare atque excutere velim, fruſtra laborarem: quum iam pa-

teat

teat ac manifeſtum ſit omnibus, in culpa eſſe multos ſcholarum inſpectores, plurimos praeceptores, maximam denique partem discipulorum horumque parentum. Quotquot videlicet officii ſui partes deſerunt & praetermittunt; in eos iure meritoque contaminatarum cauſſae ſcholarum coniiciuntur. Sunt quidem, qui occultas ad qualitates & neſcio ad quam ſaeculi noſtri vim & temporum inclinationem confugiunt, aut ineuitabile quoddam fatum accuſant: ego vero mihi perſuaſum habeo, hos eiusmodi eſſe, qui aut, quid dicant, neſciunt, aut ſuae negligentiae atque inſcitiae turpitudinem nulla facilius ratione tegi poſſe arbitrantur; quique adeo ſcholarum emendationem, quam promouere debebant, vehementer impediunt.

§. III.

Vnde colligi poteſt, numquam futurum, vt corruptae ſcholae, e deterrimo ſtatu, quo nunc ſunt, ad meliorem reuocentur, omnemque in iis corrigendis operam perdi; niſi ab omnibus iis emendationis initium fiat, qui ad conſtituendas eas aliquid conferre debent. Etenim ſi ephori & praeceptores omnes ſatisfecerint officio ſuo; ſi e parentibus & discipulis plerique (plus enim exſpectare & ſperare non licet), quae totius inſtitutionis ſcholaſticae ſcopus praeſcribit, & propria ipſorum ſalus poſtulat, diligenter praeſtiterint: tum demum ſcholae

vere

vere dicentur ſapientiae & virtutum officinae: tum florebunt & disciplinae & litterarum laude: tum iuuenes recte inſtructi, hoc eſt, probi, bene morati & docti, ex iis ad academicam lucem egredientur, qui libertate recte vti & doctorum acroaſibus magno cum fructu intereſſe poſſint. Parentes autem eorumque liberi, etſi non omnes, plurimi tamen, aut ſi, non plurimi, magna ſaltim illorum pars, ad exſequenda officia & ſtudia ſua commouebitur, ſi qui ſcholas moderantur, iis diligentiae initium ac virtutis exemplum fuerint, & demandati quisque muneris ſui partes ea, qua par eſt, fide & diligentia implere prius inceperit. Quamdiu ſcholis praeficiuntur, qui aut per ignorantiam non poſſunt, quum velint; aut nolunt per ignauiam, quum poſſint, in iuuentutis ſalutem omni cura & cogitatione incumbere: earum correctio in perditis ac deſperatis habenda eſt. Neque enim non pernicioſe de ſcholis mereri poſſunt inepti & vitioſi praeceptores: dum non minus exemplo, quam peccato nocent, vitiaque non ipſi modo concipiunt, verum in ſcholas etiam infundunt.

§. IIII.

Neminem puto eſſe tam inhumanum ac barbarum, quin, quum videat ſcholarum res, communem vtilitatem continentes, ita dilapſas eſſe, omnia earum cauſſa cupiat:

ſed cur, quaeſo, quod omnes ac ſinguli exoptant, perpauci ſerio volunt? nam id ex eorum exiguo numero, vt opinor, conſtat, qui, quae ad eas ornandas iuuandasque conferre poſſunt, reapſe & exitu praeſtant. Plerique in votis & ſuſpiriis adquiescunt: quidam addunt etiam conſilia, per ſe quidem haud contemnenda, ſed praeterea operam ſumere aliquam nolunt: rariſſimi inueniuntur, qui ipſum laborem ſtudiumque in colendis ſcholis ponunt. Equidem, quam exiguae ſint vires meae, probe perſpectum habeo: interim, quamdiu in hoc athenaeo eloquentiae, cum in latino, tum in germanico ſermone exercendae, praecepta tradidi, iis mihi omnibus elaborandum ſemper eſſe duxi, vt auditores, maxime inopia adfectos, in quibus ingenium elucere viderem, ad ſcholaſtica ſtudia allicerem atque excitarem; eos etiam, qui fingendae iuuentuti praefici aliquando vellent, aut ſcholis ſe omnino addicerent, ad rite conſtituendos ingenuarum artium ludos praepararem. Quumque eorum non paucos variis in locis formandorum regendorumque iuuenum muneribus, & priuatim & publice, videam praeclare fungi; iſto, opinor, me labore nonnihil vtilitatis ad communem ſcholarum fructum adferre poſſe: ideoque a propoſito, ſusceptoque hoc conſilio numquam deflectam. Quamuis enim ratione docendi academica aſſidua & quotidiana adſuetos raro aeque bene in

ſcholis, quam in academiis docere, compertum ſit; propterea quod illam plerique in ſcholis ſeruare ſolent, licet ſcholaſticae pubis aetas atque ingenium aliam, longeque ab hac diuerſam deſideret: poſſunt tamen & doctores academici ſcholarum commodis inſeruire, ſi, qua futuris praeceptoribus incedendum ſit, viam fideliter monſtrent. Quemadmodum enim in academiis futuri diuinarum rerum doctores, iureconſulti, & medici formantur; ita in iisdem, qui aliquando doctrinis puerilem aetatem impertiri volunt, rerum, ad ſcholas pertinentium, inſtrui ſcientia debent. Sed vt in omni re optimum quidque rariſſimum; ita & eiusmodi academica ad ſcholas praeparatio ex maxime raro recitationum genere eſt: quaſi ſcholarum magiſtri velut fungi e terra crescere ſoleant, & academicos non deceat doctores de conſtituendis ſcholis, erudiendaque iuuentute cogitare. Qua ex re fit, vt ex academiis praeceptores caſu, non conſilio, euadant, & plurimi ſcholaſtica munera, quod imparati ea ſuſcipiunt, explere nequeant.

§. V.

Fructuoſior autem erit academica ad ſcholaſtica munia praeparatio, ſi iuuenes non ſine exemplo doceantur: ideo ipſis ſcholae meliores, poſt renatas ſaeculo XVI. litteras in Germania conditae, ſaepe & diligenter ante oculos ponantur. In quibus eminent Stur-

Sturmianae, quas IOHANNES STVRMIVS vir excellens omni genere doctrinae, Louanii, Lutetiae Parisiorum, in primis Argentorati stabiliuit: quarum laudes alio * loco a nobis memoratae sunt. At paucis institutorum eius rationes cognitae ac perspectae sunt, quod ea ipsius scripta, in quibus expositae leguntur, ita raro inueniuntur, vt in multis publicis bibliothecis frustra quaerantur. Quod me primum mouit, vt consilium de iis denuo publicandis caperem: dein vero stimulum maiorem attulerunt crebriores adhortationes quorumdam rei scholasticae studiosissimorum hominum, cum quibus de hoc proposito communicaueram. His itaque cauſſis adductus laborem vtilissimum suscipiendum putaui: conquisiui omnes STVRMII de institutione scholastica libellos, dissertationes atque epistolas: easque studiose recensitas, vnoque volumine comprehensas, in publicum nunc edo: idque omnes iuuentutis moderatores gratum acceptumque habituros, non spero, sed confido.

§. VI.

Vt accuratius excusa haec Sturmiana prodirent, varia superiorum editionum exempla inter se contuli: quo factum est,

* Dissert. de meritis Sturmii, eius de periodis libello praeposita.

vt quae in quibusdam omissa erant, restituta sint, & quae mendose expressa, nunc correcta & emendata legantur: vbi autem, salvo sensu, discrepare inter se ea verbis deprehendi; praeferenda esse duxi, quae cultiora, & planiora, id est magis Sturmiana viderentur. Omnia, quae hoc fasciculo continentur, exhibet quoque *institutionis litteratae, siue de discendi atque docendi ratione, tomus I. Sturmianus* propterea dictus: in quo praeterea & STVRMII *exercitationes rhetoricae, & libri II. de amissa dicendi ratione* inueniuntur. Editus est Toruni Borussorum CIↃ IↃ LXXXVI. ipsi STVRMIO, auctori, a rectore, prorectore & collegis scholae Torunensis dedicatus, auctusque longa atque erudita praefatione ad lectorem de scholis & libris Sturmianis, qui hoc I. tomo continentur. Quem quum diu frustra quaesiuissem, a celeberrimo Wittebergensium theologo, IOHANNE GEORGIO IOCHIO, Sturmianorum amantissimo, missus ad me est, permissa describendi, quae vellem, potestate: quod grati animi testificandi caussa celare non debui. Antiquiores plerorumque opusculorum editiones incomparabilis ICtus, IOH. CHRISTIANVS SCHROETERVS, academiae nostrae singulare ornamentum, pro eo, quo mansuetiores litteras complectitur, studio, e thesauro bibliothecae suae lectissimae suppeditauit: quae ipsius facilitas atque humanitas eo magis mihi hoc loco praedicanda est, quod, mihi eamdem aliis

in

§. XII.

Quum vero has STVRMII de inſtitutione ſcholaſtica praeſcriptiones collegimus, & in vnum corpus redactas vulgauimus; ſequuti ſumus aliorum exemplum, qui variorum de eadem re opuscula in vnum volumen congeſſerunt. Iam CIↃ IↃXXXIII. & iterum CIↃ IↃ XXXVIIII. 8. *Baſileae apud Henricum Petri* coniunctim edi coeperunt varia de re ſcholaſtica ſcripta, RVDOLPHI AGRICOLAE epiſtola de formando ſtudio, ERASMI ratio colligendi exempla, MELANCHTHONIS de locis communibus ratiO, LEON. ARETINI de ſtudiis & litteris, AENEAE SYLVII epiſtola, in qua Antonium, nepotem, ad ſtudia litterarum hortatur, GE. VALLAE de orthographia compendium.

Dein CIↃ IↃ XXXXI. 8. etiam *Baſileae* ex officina *Balthaſ. Laſii* prodierunt *de ratione ſtudii deque vita iuuentutis inſtituenda opuscula diuerſorum auctorum*, IOHANNIS LVDOVICI VIVIS epiſtolae duae de initiis ſtudiorum & ratione docendi, eiusdem ad veram ſapientiam introductio, eiusdem ſatellitium animi ſiue ſymbola; ERASMI ROTERODAMI de ratione ſtudii ac legendi interpretandique auctores libellus, eiusdem de ratione inſtituendi discipulos, eiusdem ratio colligendi exempla, eiusdem de ciuilitate morum puerilium; IACOBI SADOLETI de liberis recte inſtituendis dialogus; PHILIPPI MELANCHTHONIS ſermo de corrigendis ſtudi-

is, eiusdem de ſtudio artium dicendi, eiusdem de locis communibus ratio; RVDOLPHI AGRICOLAE de formando ſtudio epiſtola; CHRISTOPHORI HEGENDORPHINI de inſtituenda vita & corrigendis moribus iuuentutis paraeneſes; OTHONIS BRVNFELSII de disciplina & puerorum inſtitutione paraeneſis; diui HIERONYMI inſtitutio puellarum ex epiſtola ad Laetam; praecepta generalia ex SOCRATE, Stobaeo, ſeptem ſapientibus & ceteris; NILI episcopi & martyris gnomae quaedam ſelectiores; quo pacto ingenui adolescentes formandi ſint, praeceptiones pauculae, CHRISTIANO THEODIDACTO auctore; diui BASILII M. concio ad adolescentes, quomodo ex auctoribus ethnicis vtilitas capienda ſit, Iano Cornario interp. PETRI PAVLLI VERGERII ad Vbertinum Cantuarienſem de ingenuis moribus & liberalibus ſtudiis libellus.

Supra mentionem feci *inſtitutionum litteratarum Torunenſium*: vbi quae *tomus I.* exhibeat, etiam * indicatum eſt. In ſecundo inueniuntur praeter praefationem, quae exponit officia, quae miniſtri eccleſiae ſcholis praeſtare debent, actus tres academiae Argentoratenſis claſſicorum, baccalaureorum & magiſtrorum, auctore MELCH. IVNIO inſtituti, quibus de ratione examinandi & viſitandi ſcholas, de ritibus, gradibus & aliis agitur; introductio nouae ſcholae Altorfinae, expoſita aliquot ora-

* §. VI.

orationibus doctorum virorum; IOHANNIS RIVII de ratione docendi libellus; GODESCHALCI PRAETORII ordo, leges & statuta ludi litterarii Magdeburgensis. *Tomus tertius* complectitur, IOD. WILLICHII consilium de formando studio; IOHANNIS GARCAEI harmoniam de ratione institutionis scholasticae; PHILIPP. MELANCHTHONIS institutionem Iohannis Friderici, ducis Pomeraniae; PAVLLI EBERI rationem studendi generalem; VICTORINI STRIGELII de ratione docendi *καθόλικα θεωρήματα*; PETRI VINCENTII disciplinam & doctrinam gymnasii Gorlicensis; LAVRENTII LVDOVICI de ratione docendi discendique puerilia grammatices elementa; visitatorum ecclesiarum & scholarum in ducatu iuniorum principum Saxoniae, rationem administrandi scholas triuiales; STEPHANI PRAETORII ordinem, qualem sibi adolescentes, qui ad academias accesserunt, vel iamiam accessuri sunt, praescribere debent, pro gymnasio Iutrebocensi, IOHANNIS MATTHAEI scholae Cremsensis in Austria descriptam formulam; paedagogii Gandershemii inaugurationem, constitutionem, classes, leges; LEOPOLDI DICKII methodum de optima studiorum ratione in omni studiorum genere; eiusdem christianae & ciuilis vitae compendium. *Quartus tomus* promissus quidem, sed numquam in publicum emissus est.

In Belgio variarum dissertationum *de studiorum ratione in singulis disciplinis*, primus liber Am-

Amstelod. CIↃ IↃC XXXXIII. secundus Traiecti ad Rhenum CIↃ IↃC LVIII. editus est: illo HVGONIS GROTII, GABRIELIS NAVDAEI bibliographia, ARNOLDI CLAPMARII, CHRISTOPHORI COLERI, IACOBI FOCANI, IOACHIMI FORTII RINGELBERGII, DESIDER. ERASMI ROTERODAMI, CASPARIS BARLAEI, THOMAE CAMPANELLAE, LEONARDI BRVNII, CASPARIS SCIOPPII, IOHANNIS CASELII & aliorum opuscula exhibentur: in hoc autem volumine sunt GERHARDI IOHANNIS VOSSII, IVSTI LIPSII, IAC. ACONTII, NICOLAI REVSNERI & aliorum dissertationes.

Collegit & ALBERTVS MOLLNAR varios de re scholastica libellos, siue *syllecta scholastica*, Heidelbergae CIↃ IↃC XXI. vti & IOHANNES HENRICVS HEIDEGGERVS Tiguri CIↃ IↃC LXX. 12. in quo continentur HENRICI BVLLINGERI, ERASMI, IOHANNIS IACOBI BREITINGERI & FRANCISCI IVNII scripta.

Denique THOMAS CRENIVS *variorum auctorum consilia & methodos studiorum optime instituendorum congessit*: cuius collectionis *tomus primus* CIↃ IↃC LXXXXII. 4. prodiit: continet IOACHIMI FORTII RINGELBERGII librum de ratione studii; ERASMI librum de ratione studii; IOHANNIS LVDOVICI VIVIS de ratione studii puerilis; IOHANNIS CASELII de lingua latina addiscenda; IOHANNIS STVRMII de litterarum ludis recte aperiendis, eiusque nobilitatem litteratam; CASP. SCIOPPII consultationes de scholarum & studiorum

rum ratione, deque prudentiae & eloquentiae comparandae modis; OLAII BORRICHII cogitationes de variis linguae latinae aetatibus; PASCASII GROSIPPI de rhetoricarum exercitationum generibus; eiusdem paediam politices cum animaduersionibus HERMANNI CONRINGII; LEON. ARETINI de studiis & litteris; GABRIELIS NAVDAEI bibliographiam politicam & syntagma de studio liberali; HVGONIS GROTII epistolam de studiis bene instituendis; GERH. IOH. VOSSII de cognitione sui & studiorum ratione varia opuscula; FRANCISCI IVNII paraenesin: quae omnia CRENIVS notis doctissimis illustrauit. *Tomus secundus* Lugduni Batauorum CIↃ IↃC LXXXXVI 4. publicatus, inscribitur, *de philologia, studiis liberalis doctrinae, informatione & educatione litteraria generosorum adolescentum.* Leguntur in eo WILH. BVDAEI de studio litterarum recte & commode instituendo, ad Franciscum regem Franciae ep. eiusdem lib. II. de philologia; THOMAE CAMPANELLAE syntagma de libris propriis & recta ratione studendi; IOACHIMI PASTORII ab Hirtenberg diatribe de iuuentutis instituendae ratione, eiusd. epistola de eloquentiae studio; eiusdem palaestra nobilium, siue consilium de generosorum adolescentum educatione; IOH. ANDR. BOSII dissertationes isagogicae de prudentia iuxta & eloquentia ciuili, deque libris & scriptoribus ad eam rem maxime ap-

tis; IOH. SCHEFFERI dissertatio de generosi nobilisque informatione litteraria; PETR. ANGELII BARGAEI diss. quo ordine scriptorum historiae romanae monumenta sint legenda. *Tertium tomum* accepimus Lugduni Batauorum CIↃ IↃC LXXXXVIIII.4, cui titulus additus est, *de eruditione comparanda in humanioribus, vita, studio politico, cognitione auctorum ecclesiasticorum, historicorum, politicorum, ac militarium, item peregrinatione tractatus:* hoc sistuntur IOACHIMI CAMERARII praecepta morum ac vitae, adcommodata aetati puerili, eiusdem dialogus de gymnasiis; ludus VII. sapientum; expositio versuum Solonis cet. IOHANNIS FVNGERI liber de puerorum disciplina & recta educatione; ARNOLDI CLAPMARII nobilis adolescentis triennium; CHRIST. COLERI epistola de studio politico ordinando; IOHANNIS ANDREAE BOSII schediasma de comparanda notitia scriptorum ecclesiasticorum; GABRIELIS NAVDAEI bibliographia militaris; LVCAE ANTONII THOMASONI de re militari; HENRICI RANZOVII methodus apodemica, siue peregrinandi perlustrandique regiones, vrbes & arces ratio; cet.

§. XIII.

Cuiusmodi collectiones vt permagnae vtilitatis fructum praebent; ita scholarum ad emendationem non minus conferunt, qui earum corruptelas atque omnia, quae con-

contra leges bonae institutionis committi solent, genuine detexerunt, iisque ad faciendam medicinam, salutaria media opposuerunt. Inter quos primum mihi locum merito suo tenere videntur WILHELMVS MECHOVIVS in egregio de scholastica institutione libro, qui *Hermathene* dicitur, Francof. CIↃ IↃC LXXIII. vbi non minus iis, qui scholis ordinandis praesunt, quam ipsi iuuentuti officia diligenter sancteque seruanda praefiniit; IOHANNES LVDOVICVS VIVES duobus optimae notae libellis, altero *de tradendis disciplinis*, altero *de caussis corruptarum disciplinarum*; EDMVNDVS RICHERIVS obstetrice animorum; VALENTINVS HENRICVS VOGLERVS dissertationibus de delectu ingeniorum & hodiernis studiorum corruptelis & I. KOCHIVS desideriis scholasticis CIↃ IↃCC XXII. Quaedam etiam, huc facientia, in syllectis scholasticis ALBERTI MOLLNAR conspiciuntur.

§. XIIII.

Liceat & mihi, huic prius quam coronidem dissertationi imponam, aliorum monitis *desideria* quaedam *scholastica* adiicere. Neque enim consilia dare, aut praecepta tradere, mihi in animo est, ne forte noctuas Athenas ferre videar: maxime vero mihi circumspiciendum est, ne ex scholarum magistris quosdam offendam, eosque ad efferatam vlciscendi libidinem concitem: qui,

quod ſoli ſibi ſapiunt, ſoli ſibi placent, ſuosque tantum pullos lambunt; alio, quam iniquo infeſtoque animo academicos doctores intueri non poſſunt, nulloque eorum omnia numerare loco, ſi de ſcholis rite conſtituendis, deque praeceptorum officiis ſcribere auſi fuerint. Deſideria & vota tantum impune me proferre, concedant: meliora enim optare, cuiuis bono permiſſum eſt; praeſertim tali, qui magnam academicarum operarum partem, ſcholarum vtilitatibus dudum impendit, atque ad futurum quoque tempus reſeruauit. Neque tamen poſſum negare, hanc me adpellationem etiam hoc nomine reliquis praeferendam cenſuiſſe, quod, licet, quae dicentur, in vigilantium ſomniis & platonicae reipublicae commentis haud ſint habenda, ſed omnino obtineri queant; verendum tamen eſt, ne plurimi nolint, quod communi debent ſaluti, praeſtare; atque ita in multis ſcholis ea optari potius, quam ſperari, poſſint. O igitur vtinam, & iterum vtinam!

I.

Principes & magiſtratus omnes reipublicae ſeminaria ad prouidentiam ſuam in primis pertinere exiſtiment, atque in iis inſtituendis, conſeruandis, emendandisque ſummam operam ac curam ponant.

II. Epho-

II

Ephori ſcholarum nulli conſtituantur, niſi qui ſcientia rerum ſcholaſticarum inſtructi, & experientia cum propria tum aliena praediti ſint; praetereaque non minus ſerio velint, quam per alia negotia possint, earum commodis conſulere atque inſeruire.

III.

Nemini ſacerdotium inire ſit permiſſum, niſi qui in ſcholis aliquamdiu cum laude verſatus fuerit.

IIII.

Nemo ad munus ſcholaſticum admoueatur, niſi qui ad illud rite adminiſtrandum ex academiis ſatis paratus atque expeditus venerit.

V.

Nulli e ſcholis ad academias admittantur, niſi qui rite ad interiores litteras praeparati, id eſt, iis disciplinis ac linguis, quibus ſcholaſtica iuuentus imbui debet, ſatis exercitati, & qua ratione quisque, pro fine ſibi propoſito, ibi litterarum ſtudia proſequi debeat, probe ſint edocti.

VI.

Nulli nisi idonei singulis scholarum classibus praeficiantur praeceptores, hoc est tales, qui tam verae in deum pietatis, quam eruditionis, in primis scholasticae, laudem habeant; qui compositis politisque sint moribus, atque ea ingenii linguaeque facilitate, quae ad docendos alios requiritur; qui praeterea praediti auctoritate, humanitate, patientia, diligentia, fide ac prudentia; viribus denique corporis, oneri ferendo paribus, polleant.

VII.

Plures iubeantur in scholis publice docere, ne pauci nimiis laborum oneribus pressi, aut aegre, aut tumultuose, aut segniter, aut nimium festinanter sua agant.

VIII.

Ad augendam, quae summe in scholis necessaria est, praeceptorum auctoritatem, maior ipsorum honoribus addatur cumulus, ampliorque sit dignitas & prior locus scholastici, quam multorum nec ingenio, nec meritis insignium, quibus iam posthabentur.

VIIII.

Ad excitandam magiſtrorum induſtriam, ac ne, ad victum & cultum quae ſunt neceſſaria, ex agricultura atque aliis illiberalibus artibus quaerere cogantur, ampliora eis decernantur ſtipendia, aut ſaltim bene merentibus certa quotannis praemia tribuantur: cuiuis etiam inferiorum ordinum praeceptori, ſi quidem dignum ſe praebuerit, & ad maiora in ſchola onera ſuſtinenda aptus exiſtimatus fuerit, liceat adſcendere ad ſuperiorum moderamina & emolumenta.

X.

Qui a continuis ſcholaſticis laboribus faſtidio quodam & ſatietate abalienati ſunt, ad alia, quibus communi commodo inſeruire & bene poſſunt, & libenter volunt, adhibeantur officia: qui ſenio ſunt confecti, ideoque moroſi & imbecilles, ipſo docendi onere liberentur, at honeſte ſuſtententur, vtpote qui florem aetatis ſuae in ſcholaſtico puluere conſumſerunt, & ſcholis ſaltim conſilio adhuc prodeſſe poſſunt: depellantur vero a munere, quo recte fungi nolunt, omnia inutilia ſcholae pondera; atque ita magis publici boni ratio habeatur, quam priuatae illorum vtilitatis. Intempeſtiua eſt miſericordia, ſi in vno homunculo ſcholae ſalus periclitanda eſt.

XI.

Scholaſticis doctoribus, in primis ſcholarum rectoribus, maior permittatur potestas in rebus ad disciplinam, docendi rationem, & his ſimilia pertinentibus conſtituendi, quae e re iuuentutis eſſe intellexerint.

XII.

Qua ſpes conſtituendae ſcholae vnice nititur, perpetua ſit conſpiratio & concordia omnium praeceptorum: quam ne quid perfringere & labefactare poſſit; quauis hebdomade conuentum celebrent, ad deliberandum de omnibus, quae praeſens ſcholae ſtatus ipſis ſufficit; vt vnus omnium ſit laborum concentus, vnus doctrinae atque inſtitutionis conſenſus, totius denique disciplinae conuenientia.

XIII.

Quauis ſaltim hebdomade, ſed non praefinitis horis, nunc ab inſpectoribus, nunc a rectoribus ſingulorum iuuenes ordinum luſtrentur, vt & praeceptorum docendi, regendique eos ratio, & discipulorum diligentia, ingenia, mores, & doctrinae incrementa accuratius obſeruari, & ſcholae ſalutaria capi poſſint conſilia.

XIIII.

Parentes praeceptoribus in educanda formandaque iuuentute opem ferant, eo quidem pacto, vt & domi liberos ſuos ad non fucatae virtutis laudem, morumque elegantiam adducant, ad augendam in artium ſtudiis liberaliſſimis diligentiam excitent, ad obtemperandum inſtitutis magiſtrorum cohortentur; coniuncta denique & communia cum his ſemper habeant conſilia.

XV.

Humanae mentis cultura ſit ſcholarum finis, quo omnis ratio referatur: ſed non intellectus modo, verum voluntas etiam emendetur.

XVI.

Proxima ab hac ſit cura de formando & decorando corpore, deque totius vitae ratione bene inſtituenda.

XVII.

Omnem igitur operam in eo ſibi conſumendam eſſe praeceptores ſtatuant, vt fidei ſuae commiſſi & probi, & docti, & moribus exculti euadant.

XVIII.

Intellectus & iudicii, quam memoriae, maior ratio habeatur: tantum enim ſcimus, quantum intelligimus, non quantum memoria tenemus.

XVIIII.

Ne ſcholae, ſed vitae diſcatur: ideo tantum tractentur vtilia, neceſſaria, & ad futurum in republica vſum, pro cuiuslibet ſcopo, accommodata.

XX.

Disciplinarum & linguarum, rerum & verborum ſtudium ſcite coniungatur.

XXI.

Optima docendi ratio & in disciplinis & linguis tradendis eligatur; ea ſcilicet, quae ipſi earum naturae, discipulorum ingeniis, numero & ſcopo conuenit.

XXII.

Ordinem naturae ſequantur praeceptores: a fundamento rite poſito ad media, ab his ad ſumma adſcendant; atque ita a facilioribus ad difficiliora progrediantur.

XXIII.

Ne multa, ſed multum: nihil enim magis ſtudioſae iuuentuti officit, quam nimia

in

in disciplinarum, linguarum & auctorum tractatione varietas ac festinatio.

XXIIII.

In linguis addiscendis plus valeat vsus atque exercitatio, quam grammaticorum regulae.

XXV.

Repetitio rerum tractatarum cum ipsa institutione sit perpetuo coniuncta: interdum omnia a primis initiis reuocentur.

XXVI.

Quidquid didicerunt iuuenes, statim ipsi pronuntiare & proferre doceantur.

XXVII.

Exercitationes oratoriae sint crebriores, & primum in germanica, dein in latina instituantur lingua.

XXVIII.

Ne iuuenes in inferioribus ordinibus doceantur, quae in superioribus, quod aut inutilia aut falsa sunt, reiici oporteat; sed quae retineri & perfici possint.

XXVIIII.

XXVIIII.

Delectus ingeniorum habeatur, nec aliis, quam qui & volunt & possunt aliquando doctrina excellere, ad litterarum studia aditus detur.

XXX.

Nulli locus in superiori concedatur classe, nisi in inferiori, quae sunt discenda, bene didicerit.

XXXI.

Cuilibet disciplinae & linguae perdiscendae peculiares destinentur classes, in quibus discipulorum quisque pro ingenii & doctrinae modulo collocari possit.

XXXII.

Ne rerum docendarum tractatio nimium extendatur, certum temporis spatium definiatur, in quo quilibet auctor legendo, & quaelibet disciplina tradendo absolui debeat.

XXXIII.

Vna eademque, in lingua & graeca & latina per omnes ordines seruetur grammatica, & quidem quae sit optima, & germanice conscripta: optimi legantur auctores:

res: optimi in qualibet ſcientia fundamenti loco ponantur libri.

XXXIIII.

Publice ſumme omnibus neceſſaria & fructuoſa doceantur, reliqua priuatae inſtitutioni reſeruentur.

XXXV.

Publica & priuata iuuenum inſtitutio ita inter ſe iungantur, vt alteram altera adiuuet.

XXXVI.

Attentio discipulorum, discendi principium, idoneis inter docendum mediis excitetur; & vt conſeruari poſſit, omnia eius impedimenta remoueantur.

XXXVII.

Ad continuandam augendamque diligentiam praemiis, beneficiis, aliisque mediis iuuenes commoueantur.

XXXVIII.

Disciplina ea in ſcholis teneatur, quae maximum pollicetur fructum, quaeque cuiusque ingenio, aetati & vitae conditioni eſt conuenientiſſima.

XXXVIIII.

Leges ſcholaſticae, tam de praeceptorum, quam de discipulorum officiis rogatae & ſancitae, caeque & generales, & ſpeciales, ſingulis ordinibus datae, vernacula publice exſcribantur lingua, vt in qualibet claſſe tabulae adfigi, & earum exemplum vnicuique nouitiorum iuuenum tradi poſſit.

XXXX.

In qualibet ſchola bibliotheca comparetur publica, quae adparatum vtiliſſimorum librorum, ad rem ſcholaſticam ſpectantium, contineat, vt & praeceptores, maxime in rebus difficilioribus, ſuos habeant conſiliarios, & iuuenes ad concipiendam optimorum librorum notitiam adduci poſſint.

XXXXI.

Quilibet praeceptor codicem habeat, ad futuros vſus in ſchola ſeruandum, in quem nomina discipulorum ſuorum, ſtudia, mores, ingenii vitaeque rationem, nec non claſſis ſuae mutationes, emendationes, actaque omnia adcurate referat.

XXXXII.

XXXXII.

Nemini vltimum ſcholae vale dicere liceat, ſine ephororum & magiſtrorum, quibus eſt vſus, conſenſu & teſtimoniis: ſed dentur haec ea fide, quam quisque publicae rei debet.

XXXXIII.

Nemini munus publicum demandetur, niſi qui teſtimoniis doctorum & ſcholaſticorum & academicorum, fide dignis, fuerit commendatus.

XXXXIIII.

Paullatim emendetur ſchola.

XXXXV.

Emendationis initium fiat a claſſibus inferioribus.

XXXXVI.

Sed forſan ſurdis narratur fabula. Quod vero meum & multorum iudicium vt fallant, eſt, quod ab omnibus, ad quos haec ſpectant, expeto, opto, precor.

Quae monui, latius patent, quam heic expoſita ſunt. Sed vberiorem commentationem peritis ſcholarum magiſtris relinquo: e quibus ſi quis id negotii ſuſcepe-

ceperit; non desiderabitur materia, vtiliſſima quaeuis in adſpectum lucemque proferendi. Mihi iam ſatis ſuperque de ſcholarum emendatione ſcripſiſſe videbor, ſi his deſideriis meis anſam quibusdam me dediſſe intellexero, ad cognoscendum ſcholarum morbos, atque ad ſubueniendum earum ſaluti optimis remediis. Tu vero, lector, recte vale, & ſi de republica bene mereri vis, quaecunque in poteſtate tua ſita ſunt, ad ſcholarum vtilitatem impende. Ienae a. d. XII. cal. Maii CIↃ IↃCC XXX.

IOHAN-

IOHANNIS STVRMII

DE EDVCATIONE PRINCIPIS *LIBELLVS*

SCRIPTVS AD

ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM

WILHELMVM

DVCEM IVLIACENSIVM cet.

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

ALEXANDRO

DVCI SLVCENSI ET COPVLENSI cet.

IOHANNES STVRMIVS S.

Salutauit me verbis Celsitudinis Vestrae, Iohannes Lobartus ICtus: praedicans mihi humanitatem & virtutem quamdam singularem, cuius praeclara exstarent in ore & vultu indicia. Addidit etiam, C. V. statuisse, in praediolum meum ad me, salutandi & adpellandi, & colloquendi caussa diuertere: si fatigatis equis vestris, idoneus potuisset auriga cum cisio inueniri; & nisi subito & celeriter fuisset proficiscendum.

Fateor, magnorum virorum me beneuolentia, & studio maximopere delectari: atque idcirco

etiam fatendum mihi eſt, moleſtum mihi eſſe, tum me Argentinae non fuiſſe, cum eam V. C. tranſiret.

Sed quoniam coram praeſens colloqui non potui; abſens abſentem adpellabo, & litteris atque voce ſcripta perſequar.

At quoniam varii ſunt caſus itinerum; & ſaepe aut litterae intercipiuntur; aut tabellarii fallunt: librario commiſi epiſtolam hanc excudendam, vt in manus multorum exeat: & ſi forte vel ad aures, vel ad conſpectum C. V. perueniat; teſtis ſit mei ſtudii & obſeruantiae erga gentem atque familiam principum Slucenſium.

Nobilitatis enim ſemper perſtudioſus, & percupidus fui: eorum praecipue, qui ex antiquiſſimis familiis orti, maiorum ſuorum virtute, aut militari, aut doctrinae, aut vtraque laude; aut ſingulari, aliqua in re magna, ſtudio atque induſtria excelluerunt. Hi enim & patriae ſuae, magna commoda; & regibus vel principibus ſuis, magna ornamenta adportare ſolent.

Sentio aliquam ſingularem virtutem in ſereniſſimo Poloniae rege, STEPHANO I. Veteres romani, priſci illius ſaeculi, permittere nobilibus adoleſcentibus, qui aetate militari eſſent, nolebant, vt a militia & ab exercitu abeſſent: ſi bellum cum vicinis hoſtibus gererent; aut belli aliqua eſſet exſpectatio.

Sed rex veſter permultis concedit, aut litterarum gratia; aut viſendarum exterarum gentium vel conſuetudinum cauſſa, peregre verſari: quoad eos, quantum proficiant, non poenitet.

Sic Oſtroroganus D. Iohannes, cum Nicolao, fratre ſuo, & Norimbergae in academia Altorfiana,

ana, & apud nos in noſtra academia verſatus eſt: & nunc in Gallia eſt, magni ingenii & excellentis virtutis comes. Sic multi alii ex regno veſtro, aut nobiscum adhuc viuunt; aut hisce proximis hebdomadibus, ingenii excolendi gratia, migrarunt alio.

Et in hoc inſtituto, & ſtudio, & humanitate regis, V. C. magnum exemplum eſt, ad excitandum ceteros, vt cetera ſequatur nobilitas. Si enim duces, & comites, & barones; cur non inferiorum ordinum liberi, & mores hominum perſpicere & vrbes inſtituant?

Quanti aeſtimaſſet, euocatus & poſtulatus e Lituania primus IAGELLO contra Marianos, ſcire ſe poſſe, qualis ex nepotibus, poſt annos ducentos vnus futurus eſſet, ita virtute & ſtudio honeſtatis excellens, vt veſtra eſt Celſitas? Quanti etiam Caſimirus rex, filius Iagellonis, ſi idem?

Hanc ego epiſtolam, quoniam Argentinae non collocuti ſumus, pro voce & vultu meo mitto, vt hortatrix ſit ad memoriam maiorum recolendam, vt ex illorum oſſibus, etiam noſtra aetate videatur Alexander Slucenſium dux exſtitiſſe: qui, vt Iagello & Caſimirus, primi ductores Polonorum contra Marianos, populo Sarmaitico placuerunt; ita hic Alexander ſeſe huic regi, ſuamque induſtriam & virtutem probaret: & vt illi duo primi, populo; ſic hic Alexander & populo, & regi ſuo placeret: qui profecto regium nomen tuetur, & oſtendit, quantum vſus militaris, quantum ſcientia ciuilis, quantum litterae, quantum induſtria & ingenium, a natura & deo imbuta, poſſint in rebus mortalium.

Commodum accidit, cum ad me Lobartus venit,

cogitans ſcriptum aliquod meum ſub praelum librariorum reuocare: quod ad Cliuenſium & Iuliacenſium ducem anno quinquageſimo primo miſi, ita nunc diſtractum, vt nullum amplius ſit reliquum.

Conſtitui enim iſtud ad C. V. mittere, vt C. V. auctoritate rurſus vires& famam hominum recuperet: & ſi quid in ipſo boni eſſet; id in C. V. familia & liberis eluceret.

Primum enim principum & procerum, officium eſt, placere & vtiles eſſe patriae, & regibus ſuis; deinde, poſt ſeſe heredes relinquere, qui idem velint & poſſint, disciplina & vitae inſtitutione.

Itaque ego, quaſi C. V. cogitet aliquando etiam, poſt curam erga patriam & regem ſuum, vxori & liberis operam dare; propoſui iſtud mittere, quod praemoneret & praemonſtraret, quid in disciplina liberorum, praeſertim principum virorum praecipue ſpectandum ſit.

Atque iſtud eo tempore maxime faciendum putaui; tum apud C. V. praefectus morum eſt, Iohannes Dzierzek, regni ſecretarius, vere nobilis & bonus vir, qui commendator eſſe poterit, & meus & ſcripti mei. Quod, vtinam, quantum velim, tantum vtilitatis adferat ad familiam conſtituendam: & ad liberos educandos C. V. quos precor a deo ſatis multos, ad genus propagandum; & eosdem optimos, ad gloriam dei, & hominum, regnique Poloniae amplificandam dari.

Atque vtinam Iohannes Dzierzek tamdiu viuat, vt adiutor & conſiliarius eſſe poſſit, in familia inſtituenda: ego libenter, ſi viuerem, epithalamium mitterem. Northemii 27. Maii Ao. 81.

AD

AD

ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM

WILHELMVM

DVCEM IVLIACENSIVM, CLIVENSIVM, MONTENSIVM, COMITEM MARCHIAE, ET RAVENSBVRGII, DOMINVM IN RAVENSTEIN

IOHANNIS STVRMII

DE

EDVCATIONE PRINCIPIS.

I.

EST res, illustrissime princeps, omnino optabilis, vna cum natura secum adferre in hanc lucem, formam corporis, bonamque valetudinem: & praeclara res est, nobilissimum nasci, & inseri vetustissimis familiis: & haec bona excellentiora fiunt, cum ingenii etiam acumen, & animi indoles a natura nascentibus attribuitur.

Sed etiam institui & educari, atque erudiri bene, laudabile est: sine quo naturae vis saepe numero, aut consopiri solet, aut debilitari, aut impediri, vt nihil egregium lucubret.

Quamobrem corporis tui robur & forma

vna cum vita occidet; & generis laus non tanta poſt te futura eſſet: niſi morum eſſet illuſtrata probitate, & mentis acie: quas res tuas in te & amamus omnes & admiramur.

Sed haec ipſa non tam late vim ſuam explicaſſent, absque domeſtica educatione & disciplina: in qua conſtituenda maximopere patris tui, optimi principis, & matris prudentiſſimae feminae memorabilis exſtitit prouidentia: qui id elaborarunt, vt nihil oculi tui viderent, nihil aures haurirent, nihil animus cognoſceret, quod a virtute magnorum virorum, a religione chriſtianorum, a doctrina eruditorum, ab omnium hominum honeſtate eſſet alienum.

Itaque felicitatis tuae pars eſſe non minima creditur ab eruditis hominibus, quod adoleſcentulus Conrado Heresbachio traditus in diſciplinam es: cui viro, & *prudentiam* tribuunt, & *diligentiam*, & *fidem*, & *doctrinam*, & *religionem*, & *moderationem*: quae ſex virtutes cum in magiſtro ac praeceptore inſunt; vbi natura bona erudienda concredita eſt a parentibus: nihil poteſt non ex ſe praeclarum atque excellens gignere.

II.

Prudentiae eſt, conſiderare, quanta res ſit, habere in ſua diſciplina principis viri filium, quem parentes heredem ſuum velint: quem populus expetat, vt optime & ſalutariter, & moderate, & ſcienter gubernet rempublicam. Cum etiam ex priuatis familiis ſaepe oriantur, qui aut vtiles ſint, aut honorifici, etiam ſalutares patriae ciues; quanto magis haec disciplina principes familias decet? quibus qui praeſunt, quo magis auctoritate, aeſtimatione, honoribus pollent; eo etiam doctrina magis & virtute, ac moribus, ceteris debent hominibus praelucere.

Ergo prudentis eſt magiſtri, morumque praecepto-

ceptoris, inprimis conſiderare, quantum munus ſusceperit; & qualis de ſe ſit parentum, patriae, bonorumque omnium exſpectatio; qualis etiam eruditorum. Pertinet enim ad omnia litteratorum hominum collegia, principes familias recte beneque inſtitui: vt ad philoſophos Ariſtotelis educatio, qui ita Alexandrum enutriuit, vt comprobatum ſit, non ſolum rempublicam curari a philoſophis poſſe; ſed etiam magiſtratus & reipublicae principes, & reges inſtitui & erudiri tales moribus & ſapientia, quales vita mortalium, & hominum ingenia naturaeque deſiderant.

Itaque incertum eſt, vter ab altero plus ſit honoris per hominum vitas conſecutus; Ariſtoteles, qui inſtituit & expoliuit, an Alexander, qui imperium a Philippo patre acceptum, ita geſſit ea, quam ab Ariſtotele accepit, ſcientia, vt omnis inuidia patris deſierit in filio: & quem principio Graecia ferre non potuit; is absque inuidia ita patris imperium amplificauit, vt omnium prope hominum fieret dominus, & glorioſum cognomentum inuenerit, & Alexander Magnus ſit adpellatus: non imperio ſolum & fortuna; verum etiam regnandi imperandique ſcientia.

Non tantos labores, talesque ſuscepiſſet curas Ariſtoteles, aut ob pecuniam, aut propter famam: quae quidam philoſophi ſpernunt omnino; Ariſtoteles non ſummo loco collocat: ſed quod ad doctoris prudentiam atque officium arbitratus ſit pertinere, inprimis conſtituere, quanta res ſit diſciplina domeſtica, praeſertim regum, cum hi ad informandum & ad docendum non a parentibus modo; verum etiam a populo committantur: cum ipſe etiam Ariſtoteles, ſimilem curam in Platone expertus ſit, & de Socrate ac-

ceperit, quos discipulos habuerit, qua prudentia institutos: qui cum priuati essent; tamen & vtilitates, & laudem, & gloriam patriae propter doctrinam ampliarunt.

Haec igitur prima sit, siue magistri, siue doctoris, siue praeceptoris virtus, animo complecti magnitudinem rei, vt officium suum laudabiliter faciat: quod vbi statutum erit, non defutura est, quam secundariam requirimus, *diligentia*: sine qua nihil vnquam magnum atque praeclarum effici potuit.

III.

Haec Antonium, Crassum, Ciceronem tales oratores dedit, quales fuisse eos, & legimus & cognoscimus: haec Vlyssem Mineruae admirabilem reddidit: vt est apud Sophoclem:

Αεὶ μὲν ὦ παῖ Λαέρτἰου δέδορκάσε
Πεῖράν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον·

Odoratur enim haec quam sagacissime: & scrutatur omnes latebras, & quasi venando omnium rerum insequitur vestigia, vt nihil reconditum a doctis, aut a natura abditum sit, aut lateat, alicubi temere neglectum, quod non inquirat.

Sed praeceptoris distracta tres in partes est diligentia: quarum *vna est* sita in recognitione earum rerum, quas vmquam didicit: *altera* in earum intelligentia, quas ignorat: *tertia* in consultatione, quomodo eas principi, suo discipulo, tradat, vt minimo cum labore, nulla cum molestia consequatur, quae ei sint ad mores, & prudentiam, & doctrinam vitamque necessaria.

Nam quae nostrorum fuit temporum infelicitas, vel potius miseria, quam multa nobis proposita pueris fuerunt, quae non erant necessaria? quam inutilia? quam mala? quam barbara? quam etiam nullo ordine? quam nulla via & ratione? sed tamen, quia bona etiam quaedam at-

que

que praeclara, & ab aliis accepimus, & ipſi nobis comparauimus; diligentiae eſt, ea conquirere & diſtinguere inter ſe natura, ordine, neceſſitate, vtilitate, modo, facilitate: vt adparatus noſter non ſolum copioſus ſit, verum etiam varius, digeſtus, explicatus.

Idem retinendum in iis eſt, quae deinceps diſcuntur: nam quia nobis non legimus, ſed discipulis; guſtanda ſunt omnium ſcriptorum genera, vt quem cibum puerili ſtomacho ſalubrem ſentiemus, eum recondamus, vt ſuo tempore conditum beneque coctum porrigamus. Quae duo cum peracta erunt, conſultatio ſequetur, quomodo porrigamus; & quaenam; & quo ordine: de quo praecipiendum pluribus.

IIII.

Sed in diligentia *fides* ineſſe debet: quae vtilitate & progreſſu diſcentis cenſenda eſt.

Sunt enim multi ſibi, non ſuis diligentes: quorumdam etiam diligentia ad oſtentationem dirigitur, quae fallax eſt: vtilem vero diligentiam requirimus.

Ergo qui alios docet, vt ipſe diſcat; is ſuum, non alterius quaerit commodum: & qui laudem quaerit ex memoria pueri, recitatione latinorum & graecorum verſuum; is paucarum horarum merces explicat: nullas facultates opesque reconditas voluit poſſideri.

V.

Quartum locum *doctrinae* dedimus: & quintum religioni: cum tamen religio primas teneat, & doctrina proximas partes: ſed fuit hoc ordine mea mihi exponenda ſententia.

Ergo prudens iſte praeceptor & diligens & fidus atque fidelis, etiam inſtructus ſit ab artibus, & a multarum & variarum rerum doctrina, quae litterarum prudentia eſt atque ſcientia: diuerſa

multum a prima, de qua primo loco dixi: quae communis eſt, & artificibus in medio omnibus propoſita: haec vero prudentia eruditorum eſt hominum, ſine qua primae illae tres virtutes in liberorum educatione, nihil praeſtare poſſunt, niſi vulgare & plebeium: haec vero ſingulare aliquid & politum atque admirabile ſolet in hominum ingeniis gignere.

Sit ergo talis principis pueri magiſter, qualis Conradus Heresbachius fuit, vel potius, qualis nunc eſt, perfecto litterarum curſu, multarum rerum vſu, conſummato iudicio, amabili grauitate, graui lenitate: vt doctrina non perfectionem ſolum adepta eſſe videatur; ſed morum etiam decentem elegantiam.

Ridicula enim doctrina eſt in arrogantia, moroſitate, faſtidio, leuitate: ſi tamen docti haberi poſſunt, in quibus huiusmodi ſunt animi motiones.

Quamquam ſunt in omni genere magnorum hominum aliqui inepti: vt oratores Erucii, Curtii, Mamerci; poetae, vt Marſi & Zoili & Chaerili; ſenatores, vt Valgulae, Aſelli, Mancii; imperatores etiam & duces, vt Therſitae, Glauci: in quibus non ſcelera vituperantur; ſed ridentur ineptiae.

Fiunt tamen quaedam amabiliter inepte: vt de Scipione & Laelio legitur, animi eos relaxandi gratia conchas & vmbilicos ad Caietam & Laurentum legere ſolitos fuiſſe.

De Archimede ſcientiſſimo mathematico traditum eſt: cum inueniſſet in balnei aquiminario rationem, quantum probi auri furax artifex de maſſa abſtuliſſet; nudum ex aqua domum cucurriſſe, & inclamitaſſe graeco mathematicorum verbo, εὕρηκα: eiuscemodi ineptius virorum ferre poſſumus, & habent aliquando vtilitates, vt mox oſten-

oſtendemus: ſed faſtidioſos, opinatores, arrogantes, rixatores, moroſos, denique ineptos, nemo adſpicit, quin rideat propter ridiculum, aut doleat, cauſſa litterarum.

Quamobrem ſanam requirimus in magiſtro eruditionem: cum aliarum rerum multarum atque magnarum, tum imprimis antiquitatis & ciuilis ſcientiae: ſine qua raro boni poſſunt gubernatores & viri rerum publicarum principes exiſtere.

Doctrinae & rerum ſcientiae Plato ex Socratis ſententia tantum tribuit, vt respublicas philoſophis commiſerit: quod tamen minime velim: fuerunt enim poſt Socratem nimis multi inepti philoſophi.

Ciuilem prudentiam antiquitas tanti fecit, vt cum veriſimile eſſet, non eam tenere omnem Numam Pompilium, ei Aegeriam adiunxerint, vt Vlyſſi Homerus Mineruam, a qua quotidie doceretur.

De antiquitate & hiſtoria nullum dubium eſt, quin omnium rerumpublicarum ciuilisque doctrinae & vitae exempla contineat.

Vlyſſes pro hiſtoriis, quae eo tempore non exſtabant, multarum gentium mores in ſuis cognouit erroribus: qui mores hominum late perſpexit & vrbes, vt eſt apud Horatium: eaque de cauſſa Homerus Neſtori tres aetates dedit, quae multarum atque magnarum rerum ſuppeditarent memoriam.

Et, vt fabulas relinquamus, nulla antiquior hiſtoria eſt, quam Moyſis; nulla maiorem auctoritatem habens: Patriarchas, vitae longinquitas multa vtilia, neceſſaria, praeclara docuit: ſed poſtquam deus humanae vitae, propter ſcelera, curſum decurtauit, eique breuem terminum conſtituit; pro longitudine vitae & diuturna experientia,

entia, hiſtoriae dono genus humanum viuit: & Moyſen dedit atque prophetas, a quibus multa ſimul mortales condiſcerent.

Sed ſi eſt aliquod genus hominum, ad quod potiſſimum antiquitatis memoria pertinet; eſt id magiſtratuum, & regum, & principum in imperiis: quos ad talem curationem non ſolum voluntatem & ingenium, ſed etiam ſcientiam atque memoriam exemplorum adferre decet: ad deliberandum, ad iudicandum, ad prouidendum, ad cauendum: ad omnia imperii munia.

Hiſtorias igitur inprimis teneat omnium temporum, populorum, virorum is doctor, qui principum erudiet liberos: & illorum hisce praecipue mentes imbuat, vt vbi adoleuerint, & ad rempublicam accesſerint; in iuuenilibus eorum animis prudentia vſusque inhabitare ſenilis videatur.

Sed in his, illud meminiſſe oportet, non eo a me haec dici, quo ſolas hiſtorias commendem: ſunt enim alia etiam multa praeclara cognoſcenda: verumtamen hiſtorias cumprimis diſcat adoleſcentulus: magiſter, ſi fieri poſſit, omnia ſciat, & ex omnibus optima deligat, quae conueniant aetati & viribus: id quod ad docendi rationem pertinet: de qua poſt, cum de moderatione dicetur.

VI.

Nunc de quinto agendum, quod erat *religionis*: quae virtus vna ceteras complectitur omnes atque vniuerſas. Simulac enim religio alicuius animum occupat; omnes ibi virtutes ſubito vna erumpere & effundi neceſſe eſt: adeo id clarum eſt, vt etiamſi Stoicorum dogma obſcurum eſſet, tamen in religione intelligeretur: qui dixerunt, *Qui vnam virtutem haberent, eos omnes non conſequi, ſed habere.*

Religionem hic ego, cum pietatem voco, tum etiam diuinitatis notitiam: quo fit, vt haec

pars,

pars, adpendicula partim ſit doctrinae; partim ſingularis quaedam hominis virtus, ignem in homine inflammans diuini amoris: vt quale in oratore quidam requirunt, vt ſit vir bonus; tale ego in doctore flagitem, vt ſit religioſus: non ſingulari aliqua vitae profeſſione, ſed communi omnium chriſtianorum officio, quod religionem in omnibus deſiderat hominibus: vt deum metuant, ament, venerentur, implorent, orent, precentur: idque nulla falſa ſuperſtitione, ſed ſcienter. In diuinitatis enim inſcientia non poteſt vera eſſe religio: quae cauſſa eſt, quod talem praeceptorem principi puero quaeramus, ex cuius ore, tamquam ex fonte ſalubres atque coeleſtes vitae aquas hauriat.

Non enim religio ſolum, ſed etiam ſuperſtitio altiſſimis defigitur radicibus, & minus ſuperſtitio ſe doceri, quam religio, patitur: quae poſtquam radices nacta eſt, euelli ex animis hominum non poteſt.

Vt enim id crederemus verum eſſe; monſtroſis exemplis multarum aetatum ſerie praedoceri nos deus voluit.

Itaque non ſolum ſolem & lunam quaedam nationes adorarunt, & homines bene aliqui de mortalibus meriti inter deos depoſiti ſunt; & dii nominibus effecti, vt Flora, Robigus, Lympha, Bonus euentus: verum pro diis etiam beſtiae habitae ſunt: idque ab Aegyptiis, quibus tamen ingenii acumen eſt propter regionis contemperationem, & qui ſibi litterarum, & artium inuentionem arrogant: & quis hos illis temporibus errores, & hanc monſtroſam ſuperſtitionem, ex opinionibus eorum, in quibus haerebant, potuiſſet euellere?

Sapientiſſimus habitus fuit totius Graeciae Socrates, & tamen in iisdem fuit de diis erroribus:

bus: & ſuum daemonium pro numine habuit.

Doctiſſimus M. Varro celebratur: ecce quid precatur, principio librorum ſuorum de agricultura: *Nec non etiam precor Lympham & Bonum euentum*: quid haec alia eſt, quam verborum, non diuinitatis precatio? At qua ratione ducitur, vt hos deos eſſe credat? *Quoniam ſine aqua*, inquit, *omnis arida & miſera agricultura*: O dialecticum: quia ſine aqua ariditas; idcirconeLympham pro deo coli oportet? *Quia ſine ſucceſſu*, inquit, *ac bono euentu*, *fruſtratio eſt*, *non cultura*: iſtudne argumentari eſt, an deſipere? Aiaci boues pro hominibus flagellanti ignoſcere poſſum: non poſſum veniam dare Varroni Lympham adoranti; viro in republica magno, multae lectionis, ſcriptionis, experientiae, vſus: qui cum videret Aegyptios in ſuo Crocodilo inſanire; ſe in Lympha ſua delirare non ſenſit.

Tantam vim habet in falſitate educatio, conſuetudo, perſuaſio, vt oculatiſſimi caecutiant, ſagaciſſimi non odorentur, acutiſſimi non intelligant: vt ſapientia eorum ſtultitia adpareat, in eaque pergant & moriantur, etiam moniti atque reuocati.

Quo magis ego Iudaeis ignoſco, qui propter iſtos horribiles errores non patiuntur, ſe a ſuo male intellecto Moyſe, & a reconditis ſibi prophetis, & a ſuo mutilato deo abſtrahi; etiam Mahometanis, qui potius ſimili in particula colendi dei errare malunt, quam multos & vanos deos colere.

At Numam Pompilium quomodo laudare poſſumus: qui cum doctiſſimus & ſanctiſſimus, peritiſſimusque religionum a Romanis ſit habitus, Aegeriam ſuam finxit, & eam vanitatem populo ſuo commendauit?

In

In hoc ſummo rege, nonne ira foeda iſta inhaeret macula, vt nobis videatur omnis eius ſorduiſſe religio? Et vt ad Iudaeos meos redeam, quibus aliquam ſedem in ciuitatibus reliquiſſe videbor, quia euitatione vanae diuinitatis, falſique cultus excuſo: nonne ſenſibus omnibus diuinitus videntur eſſe priuati: cum in tanta praedictione calamitatum, & profligationis populi vniuerſi fateantur diutiſſime his ſeſe malis vexari; tamen aperire oculos non poſſunt, vt lucem intueantur: veluti qui ephialte grauantur, qui ſentiunt malum, vnde autem accidat, non poſſunt per ſomnum intelligere.

Tantam Iudaei ſuae religioni fidem habent: vt ſi poſſent; & ſi potens aliquis fictusque & ſeditioſus Meſſias oriretur: nemini mortalium in omni religione parerent, & orbem terrarum ſibi creatum & conſtitutum putarent, ceteros mortales incendiis & caede tollerent: vsque adeo non ſolum, vera religio, grauis & ſancta eſt; ſed etiam falſa, dura eſt, & moroſa, & pertinax, & crudelis.

Quid enim de Turca dicemus? cuius exemplum nos vnum docere poteſt, neque bono euentu veritatem religionis probari; neque diſciplinae ſeueritate, neque aetatum progreſſionibus.

Quot enim iam annis regnant? & religionem ſuam tuentur, & pro iure ſuo belligerant? quam conſtanti totius populi fide & obſeruatione erga tyrannum? cum qua ceremoniarum & inſtitutorum falſa quidem & ficta & nugatoria; attamen dura & rigida diſciplina? quanto etiam & quali ſucceſſu?

In angulo orbis audacium hominum globus vnus coiit, qui iam in Africa regnat: qui Europae partem maiorem occupat: qui Aſiam totam in ſua habet & ditione & poteſtate: qui a noſtris etiam monar-

monarchis non dominus, ſed *magnus dominus* in legationibus adpellatur: an mirum ſit, hunc credere, diuinitus ſe in imperium maioribus ſuis ſucceſſiſſe; & maioribus quaſi in manus a deo traditum eſſe omnium gentium imperium? Ergo nulla mala conſcientia quot ille nunc millia hominum tot annis vicit, vexauit, trucidauit, ſuſtulit?

Tanti refert, principem bene inſtitui, qui gladio, non doctrina religionem ſuam vindicat, qualiscumque illa ſit, qua eſt enutritus: vsque adeo neceſſarium eſt, ſollicite prouidere, ne quid falſi in religionem, vel aetatum vitio, vel hominum imperitia, vel fraude improborum irrepat, praeſertim, cum tot aetatum & populorum exemplis doceamur.

Quid enim Athenis fuit praeclarius, tum, cum floruit omnium diſciplinarum doctrina? quid apud eos ſanctius, quam conditores eius ciuitatis Neptunus & Minerua? quid magis his perſuaſum, quam hos deos eſſe? cum ficta ſolum ſint impiae religionis, vanaque nomina. Tantam habuit haec de iſtis opinio auctoritatem, vt cum eorum ſapientes mathematici atque philoſophi diligentiſſime inquiſiuerint, quomodo circulus quadrari poſſit; non cogitarint, quomodo verum eſſe poſſit, hos deos eſſe: cum pro his, vt pro patria pugnare deberent; circuli vero quadratio etiam inuenta, non tantum attuliſſet ad faſtigium philoſophiae, quam architecturae ſecuris & dolabra, quibus rotundus & orbiculatus truncus facile labore quadratur.

In quibus Athenienſibus illud etiam maximopere mirandum eſt, quod magis ſtulti fuerint in iis, quae ſe ſcire putabant, quam in eo, quod ſe ignorare fatebantur.

Delu-

Delubrum colebant agnosti dei, propterea quod notus non esset: idcirco eum hoc nominarunt nomine: si hunc etiam philosophi quaesiuissent; & inuenissent illum Iesum vocari, & cognominari Christum: aut si magistratus cogitassent, quidnam esset, quod maiores sine vultu & figura & cognomento delubrum statuissent; clementiores fortasse in Socratis iudicio fuissent, qui quoniam suum daemonium sequebatur, accusatus fuit, quod deos nouos coleret, & de diis patriis sentiret male.

Quo ego magis nostrorum temporum & nostrae religionis ignosco magistratibus, qui in religione sua defendenda sunt seueri. Nam si vi religionem retinere oportet; & si potuerunt id facere Romani in suo Ioue Capitolino & in Romulo indigete; si Athenae in Minerua; si Aegyptii in fele & crocodilo: cur non similis seueritas sit retinenda in christianorum religione? quam non solum anni mille quingenti stabiliuerunt, argumenta & rationes confirmant, miracula demonstrarunt; sed quam antecedentia etiam patriarcharum, & praenunciationes prophetarum tot ante actis seculis comprobarunt.

Ignosco quidem istis magistratibus; verum cum gemitu & lacrimis, & optatione mentis iudiciique melioris.

Si satis est, seueram esse religionem, fuit seueriſſima imperatorum Romanorum; numerosam, fuit numerosissima Aegyptiorum; honorificam, quid honorificentius Romae, quam deorum puluinaria, vrbanaeque cerimoniae? constantiam, quid constantius in sua religione Turca? Rege Tunetensi? & hoc Numidarum rege, qui cum Caesare est? Declarant copiae coelestium martyrum, fuisse in falsis religionibus reuerentiam, constantiam, seueritatem: a quibus a-

nimorum confirmationibus rapti martyres fuerunt ad ſupplicia. Si eos, qui hos ſuſtulerunt, peccaſſe videmus; & tamen peccaſſe conſtanter, perſuaſos ſua religione: cur nos non paullulum reſpiramus, & cogitamus, poſſe fieri, vt noſtra ſaeuitia deo displiceat; aut vt iudices errent, aut vt theologi, aut vt conſuetudo, aut vt beatiores ſint, qui in ſuppliciis patiuntur, quam qui condemnant?

Illud etiam atque etiam cogitandum magistratibus atque principibus eſt, quinam ſint, qui reos ad flammas, & ad cruciatus ducant. Non enim carnificis gladius fulget, qui ceruices ferit, ſed principis: neque carnificis manus eſt, quae rogum incendit, & flammam excidat, ſed principis dextra: quemadmodum nec iniquum iudicium ad lictores atque carnifices pertinet, ſed ad magiſtratus: quibus, ſi male iudicent, praeſtanda culpa eſt in coeleſti iudicio.

Quamobrem diſcat princeps puer, ex hoc quem requirimus, praeceptore, veram religionem, quam ſuo tueatur gladio: vt non ſolum regere ſuos; ſed etiam iuſte, ſancteque regere poſſit. Non enim ignorantia excuſat magiſtratus. Eadem enim regem Numidarum, Perſarum, Turcarum excuſaret; non conſuetudo, quae Iudaeos etiam fefellit; non temporum longinquitas. Fuit enim Graecorum vetuſtiſſima, & Romanorum perantiqua religio: non equidem, quod chriſtiana religio non certiſſima ſit: ſed non ſolum chriſtianam poſtulamus religionem; ſed eam flagitamus etiam puram, incorruptam.

Vt enim religione nihil ſincerius eſſe debet; ita etiam nihil facilius corrumpitur acceſſione ſuperſtitionis.

Itaque bonorum & doctorum virorum eſt, contra impias cerimonias, & contra doctrinam fal-

falsam pugnare: & pro integra, pura, sincera, sana, mortem oppetere & cruciatus contemnere. Non enim, vt in Platonis & Aristotelis republica leges aliquae malae ferendae & tolerandae sunt, vt ne qua periculosa oriatur reipublicae conuersio: ita in populo christiano cerimoniam irreligiosam, & precationem impiam, & opinionem contra Christi & Dei praecepta dissimulare oportet. In religione fidelem & iustum esse decet: etiamsi orbis collabatur.

Ergo beatae illae vereque coelestes animae, quae nostra aetate sanguinem suum effundi passae sunt pro religionis puritate: & haud scio, an minus fortiter passae sint, quam primi ecclesiae martyres.

Nam hi ea formula iudicium hominum sustinuerunt, quoniam Christus filius dei sit, & eiusdem cum patre diuinitatis sit particeps: illi vero, quoniam corrupta sit doctrina, vitiatae cerimoniae, leges impiae in ecclesiam irrepserint, & haec omnia censeant esse emendanda. Vt his mentibus in hoc mortali corpore ne aliqua iniuria fiat, principis christiani est prouidere. Itaque bene instructum esse a puero oportet, praeceptis doctrinae christianae: vt iustitiam colat, religionem defendat, eam non patiatur maculari, quae iam maculosissima est.

VII.

Sed plura, quam mihi constitutum fuit, de religione: veniamus ad partem postremam, quae fuit *commoderatio*, propria magistri virtus, idque eruditi: haec efficit, vt quae puer discet, ea discat cum voluptate: haec difficilibus adfert facilitatem: haec docet omnia: haec tollit fastidium: haec matrum sollicitudines adimit, quae in studiis liberorum solent valetudinem aduersam metuere; aut ingenii grauationem extimescere; aut dis-

ciplinae duritiem timere; aut magiſtri moroſitatem vereri: denique haec emendat, quidquid puerilis educatio in ſe habet moleſtiae.

Maximopere enim tenenda eſt Socratis libro ſecundo de republica ſententia: *Ψυχῇ δὲ βίαιον οὐδὲν ἔμμενον μάθημα.*

Veriſſima haec eſt: eoque non interrogata eſt a Socrate; ſed adfirmata. Non enim decet liberum ingenium, ſeruili disciplina illaqueari: corporis labores violenti aliquando eſſe poſſunt: animi exercitationes & liberae eſſe volunt, & voluntariae. Quidquid enim inuitis & recuſantibus imponitur humanis mentibus; id leui momento data occaſione excutitur.

Itaque Socratis in eodem Platonis loco vocem ſequi oportet, *μὴ βίᾳ τὰς παῖδας ἐν τοῖς μαθήμασιν, ἀλλὰ παίζοντας τρέφε*: quae vox ſi vera eſt; oportet praeceptoris moderationem in duas partiri partes: quarum *vna* corporis eſt; *altera* animi: hoc eſt, vna ludi, altera doctrinae: vna iocoſae, altera ſeriae voluptatis: vtraque tamen vtilis ſane voluptas: quam a pueritiae & adoleſcentiae disciplina numquam abeſſe volumus. Neque enim ratione caret, quod Graeciae nobiliſſimae ciuitates huiusmodi disciplinae Muſas atque Apollinem praeſides eſſe voluerunt.

Ergo & canere ſuis horis; & in venationibus intereſſe; & natationibus; & decurſionibus militaribus; & ſaltu ſe curſuque exercitare non ſolum conceſſum, verum etiam neceſſarium iudico.

Quamobrem principis pueri magiſter, in quo omnia iſta ſunt, de quibus dictum eſt, pro aetate, pro viribus, pro tempore, pro voluntate, pro inſtituto vitae omnia debet moderari. In venationibus ſpecies quaedam eſt militaris fortitudinis: natatio quoque vtilitates habet, vt de C. Iulio

lio Caesare litterarum monumenta docent: equestres decursiones propriae sunt aularum exercitationes: saltus etiam cursusque adolescentiam inprimis decet: sed in his moderatus praeceptor prouidere debet, ne sint immodicae, ne intempestiuae, ne periculosae, ne cursum studiorum impediant, sed iuuent: vt puer credat omnia ista inseruire virtuti & doctrinae; vt sciat in imperatoribus & ducibus semper eos gloria ceteris praestitisse, qui cum militari fortitudine, ciuilem prudentiam & doctrinam litterarum coniunxissent, vt de Iulio Caesare & Alexandro Macedonico aliisque multis legitur: quae exempla is praeceptor recte adplicare poterit, quem hic delineamus.

Permagni vero refert, quos habeat princeps & in exercitationibus colluſores: & in ſtudiis condiſcipulos: quos non ex ipſa ſolum nobilitate, ſed ex toto etiam populo, & ab exteris gentibus oportet conquirere: immo maximopere cauendum eſt, ne in hanc disciplinam, & ſtudia, & ad hos iuueniles ludos accedant, quibus virtus & honestas, & doctrina amabilis atque praeclara non videatur: hic campus non minus ab impudicis oculis amouendus eſt, & a contagionibus vitioſorum vindicandus, quam apud poetas Dianae balneationes: vt hi ludi etiam ad virtutis cultum adiumenta adferant, atque etiam ad litterarum elegantiam.

Habent enim omnia haec, cantiones, curſus, ſaltationes, venationes, decurſiones, gladiationes, ſua vocabula, ſuas ſermonis formulas, ſua in hiſtoriis exempla: quae ex litterarum ſchola in gymnaſium corporis, & ex gymnaſio in ſcholam deportabunt diſcipuli: ſi ea erit in magiſtro commoderatio, quam requirimus. Oportet enim, vt hae exercitationes ſibi mutuam opem ſuppeditent, & vtrinque accipiant alterna ſubſidia.

Sed mirum videbitur, multis, quod his rebus ego praecepta dem, qui ne concedere quidem eas deberem: quibus mihi reddenda ratio in hoc tempore non eſt: ſatis mihi eſt, quod intelligam & ſciam, hanc eſſe vetuſtam Perſarum & Graecorum disciplinam: & quod etiam tempora noſtra moresque noſtri doceant, quoniam haec conſuetudo vel potius ratio ſublata eſt: idcirco tam paucos eſſe in principibus, qui ad imperiorum atque regnorum amplitudinem doctrinae maieſtatem adiunxerint.

Quae enim alia eſt cauſſa, quam quod litterarum cognitio difficilis & dura & inſuauis moleſtaque videatur; & corporis exercitationes magis naturales: cum aeque ſint vtraeque naturae conſentaneae, ſi modus teneatur, & coniungantur a magiſtro tempeſtiue & conuenienter?

Sed quia noſtris moribus puerorum ingenia, vt a nutricibus per infantiam in cunis; ita hac aetate libris adligantur, nullo ludorum atque exercitationum quaſi magiſterio: faſtidiunt, quod coguntur facere: adpetunt, a quo prohibentur: quo fit, vt cum a praeceptoris ſubſelliis, ad equitationes deducuntur, aſpernentur litteras, nouos magiſtros ament, & in ſcholis tyrannidem, in ſtabulis libertatem eſſe exiſtiment. Quanto ergo vtilius eſſet atque conducibile magis, haec per aetatem puerilem discere, vt ante annum decimum ſextum non ſolum ſcholae, verum etiam tyrocinii non ſit ignarus adolescens: & non minus & venari, & natare, & equitare bene & artificioſe poſſit, quam illi ipſi, qui his rebus ſunt praefecti aulici magiſtri?

Sed odioſa res eſt, & laborioſa, & ingrata, litteras discere. Annos ego iam triginta ſex litteras disco, viginti tres easdem, quas didici, doceo: equidem videre non poſſum, quid habeant litte-

rae

rae moleſtiae: moleſtiae dico, quid non habeant inquam, voluptatis: ſi a tali tradantur praeceptore atque magiſtro, qualem hic eum eſſe volo, & qualem ego Conradum Heresbachium eſſe hoc praeſertim tempore puto.

Nam oratio, quam de Graecorum lingua & litteris olim Friburgi adolescens habuit: quam ego deinceps latere in bibliothecis paucorum non ſum paſſus, quantum in ſe habet doctrinae? qualem rerum, & quorum librorum cognitionem? quales ſignificationes vberrimi pictoris? quantum facundae, vt hoc verbo vtar, diſertaeque & eruditae linguae documentum?

Hanc adolescens habuit: quantum poſt, tot iam annis acceſſit doctrinae & vſus? Ergo qui talis erit praeceptor, qualis doctor Heresbachius eſt, qui multa didicerit, legerit, viderit, vſu compererit; is quidquid difficultatis erit, facile poterit non imminuere, ſed tollere: quidquid moleſtum, id emolire: quidquid obſcurum, id illuſtrare: diſtinguere etiam poterit, non ſolum mala a bonis, verum etiam vtilia a neceſſariis, poſtrema a primis: vt neue intelligentia pueri, neue memoria grauetur: idque omnibus temporibus & legendi, & intelligendi, & ſcribendi, & commentandi.

Multa habent grammaticorum libri nimia: multa dialecticae magis & philoſophiae quam ſuae artis propria: & ipſae dialecticorum atque rhetoricorum praeceptiones facilius doctoris voce atque iudicio tradi poſſunt, quam libris ſint explicatae. Iam disciplina de moribus & ciuili ſcientia, & de legibus; & partes omnes philoſophiae naturalis; item antiquitatis memoria & hiſtorici commentarii: quam multa habent, in quibus non ſolum ordo & rerum expoſitio illuſtrari a magiſtro poterit? ſed etiam, quam multa praeteriri, adimi, contra,

hi, coaceruari, redigi in locos artificioſos, coarctari anguſtis commentariis, in tabulis artificioſe oculis discipuli opponi: vt de verborum confuſione taceam, quae nullum adhuc coactorem & digeſtorem habuerunt; cum tamen & lexica, & copiae, & theſauri, & commentarii, & adnotationes omnis generis vtraque in lingua exſtent: quorum omnium cognitio infinita, & memoria negata naturae humanae eſt: vt nihil ſit, neque in ſuſceptione, neque in elaboratione huius ſtudii, aut facile, aut iucundum, absque magiſtri huius, quem propoſitum habemus, ope & auxilio.

Quam faſtidioſa res ſtilus eſt, etiam eruditis rerum cognitione, niſi eum exacuerint? at certiſſima ratio eſt adiuuandi adolescentis, vt & facile ſcribat & libenter & cum voluptate.

Commemorare vero in ſermonibus & conuiuiis, hominumque congreſſionibus, quae legeris, audiueris, ſcripſeris, adeo magnum eſt, vt etiam eruditiſſimi facere id non queant, absque pudore, & metu reprehenſionis: ſunt tamen rationes, quibus qui munitus eſt, nullum neque grammaticum, neque poeticum, neque rhetoricum verebitur Ariſtarchum.

Denique, quia deus in natura rerum nihil temere, & confuſe, & perturbate conſtituit: ſed omnia ſuas cauſſas, & ordinem, & conuenientiam ſortita naturaliter ſunt: nihil ita fortuitum, & numeroſum, & indigeſtum eſt, quod ab ingenio bene litterato non poſſit proprietate diſtingui; ſpecie continuari; generibus contrahi: quodcunque aut fieri poteſt, aut exiſtere; ſimul ac ſenſu percipitur, intelligentia poteſt comprehendi, & notione aliqua notari: & quaecunque aut temporibus, aut rerum ſerie, aut earum cognatione, aut ſimilitudine, aut conſecutione connexa ſunt, tametſi reconditam atque confuſam molem habeant,

ant, tamen iisdem possunt & temporibus, & propagationibus, & propinquitatibus, & similitudinibus atque consecutionibus dispertiri, & doceri: idque modico discentis labore, minimo fastidio, nulla molestia: si talem, qualem volumus, artificem nanciscantur.

Is siue artifex, siue magister, siue doctor, siue praeceptor: aut quocunque eum placeat nomine adpellari, inuenire poterit catenam illam Iouis, de qua est apud Homerum: & intelligere, quomodo illa compages cohaereat, ex qua coelum, terra, omnia elementa, omnes dii, omnes homines dependeant: &Iouis dextra nutuque moueantur.

Est enim omnium rerum inter se perpetua cognationis cohaerentia: & quia res perpetua continuatione copulatae sunt; necesse est etiam verba, quae rerum sunt signa, omnesque sermonis atque orationis partes continenti connexione coalescere: id quomodo fiat, quod naturale est, & quomodo confici debeat, quod est artificiosum, tenebit hic noster principis doctor.

VIII.

Quamquam non omnia in doctore posita sunt: sunt etiam, quae ad magistrum adferre, eique adiungere oportet adiumenta: vt nec Galenus, nec Hippocrates facile curare morbum possint, nisi aegrotus etiam officium suum faciat; & custodes, ceteraeque res adsint, quae sunt ad sanandum necessariae. Ita etiam puerum ad magistrum naturam atque ingenium & voluntatem adferre oportet. Quis enim non facilius ingeniosum, quam stupidum erudiat? aut quis doceat fatuum & stultum?

Etiam parentum requiritur prudentia, vt condiscipuli boni deligantur, vt aulicae impeditiones & noxae remoueantur, vt magistri constituatur & confirmetur auctoritas, vt omnia adsint, quae sunt conducibilia. Vbi haec congruunt; non mihi vllum

est dubium, quin ibi populus, & optimum, & sapientissimum minimo cum labore, nullo cum fastidio, nulla molestia puerilis ingenii, aliquando sit habiturus principem, qui patrem non solum viuum, sed etiam morientem consolabitur: vt libentius e vita migret aetate acta, cum talem cogitabit se heredem suo populo tradere, qualis a felice populo princeps gubernator fit exoptandus.

VIIII.

Haec ad te, Wilhelme dux, quasi praefari libuit, cum cogitarem Conradi Heresbachii orationem diuulgare, vt tibi memoriam praeceptoris & iuuenilis disciplinae renouarem: vt quasi testem certissimum haberem de diligentia & fide & prudentia & doctrina Heresbachii, vt etiam tu liberis tuis, quos deus daturus est, ante tempus praeceptorem inuenias: vt cum tempus erit, in promtu sit, cui imago matrisque & patris committi possit, qui eam ab omni macula custodiat. Prudentissime loquitur, apud Euripidem chorus Herculidarum.

οὐκ ἐςὶ τῇδε παῖσι κάλλιον γέρας:
ἢ Πατρὸς ἐσθλῆ καγαθῆ πεφυκέναι,
Γαμεῖντ' ἀπ' ἐσθλῶν.

Vtrumque tibi diuinitus datum est, vt & parentibus sis procreatus illustrissimae antiquissimaeque vtrinque familiae; & talem in matrimonio vxorem habeas, cuius parentes in hac nunc christianorum aetate nulli nec genere, nec honoribus, nec fortuna, nec imperi maiestate sunt secundi.

Filiolam deus dedit: daturus etiam est filium: si is talem consequetur praeceptorem, qualem hic indicauimus; siue id tua sponte facias; siue exemplo Conradi Heresbachii: gratulabor vobis parentibus de felicitate: & gaudebo patriae meae de spe vicini principis, qui patri forma bonitateque similis, aliquando felicitatem populi, prudentia sua sapientiaque non patietur aut interturbari, aut minui.

Io-

IOHANNIS STVRMII

NOBILITAS LITTERATA

LIBER VNVS

AD

WERTEROS FRATRES

I.

IAmdiu petis a me, Philippe: iam nunc etiam Antonius tecum, frater tuus, poſtulat, vt viam vobis aliquam, rationemque ſtudiorum demonſtrem, quam ego vſitatam hominibus litteratis eſſe exiſtimem, & quae veſtrae aetati veſtraeque familiae & nobilitatis ordini ſit adcommodata. Qua in re libenter veſtrae morem voluntati gererem, ſi vtrumque exiguo libello complecti poſſem. Altera enim pars longam & variam explicationem requirit: oſtendere, quam ego credam, doctorum hominum, praeſertim Graecorum & Latinorum, conſuetudinem fuiſſe: ſed in altera conabor vobis, in hoc laudabili veſtro & incitato ſtudiorum curſu adeſſe: & ex altera tantum ad hanc ſeuocabo, quantum res ipſa ratioque videbitur deſiderare: de altera, cum vacabit, & veſtra ſtudia poſtulabunt, plenius a me alias differetur. In hoc vero tempore de te fratreque tuo eſt ſtatuendum: in quibus & aetatis minimum eſt intervallum, & magna ingenii ſimilitudo. Eadem enim voluntas in vtroque eſt, aequalis cognitio, gemina contentio: ad quam cum veſtra ſponte & litterarum amore; tum Georgii Fabricii doctoris ve-

tri

tri induſtria, & exemplo olim excitati eſtis: cui Wolffgangus frater ſucceſſit, qui ita vobiscum duos annos vixit, vt triplicem fructum, eumque honeſtiſſimum inde perceperit. Nam & fraterna ſe conſuetudine ſuauiſſime oblectauit, & vobis exemplo praefuit, & litterarum ſuarum ſtudia recoluit: & haec tria ita conſequutus eſt, quemadmodum ipſi videtis, vt non tam ſua, quam veſtra cauſſa a Beichlingo, & a ſuis abfuiſſe adpareat: eademque de cauſſa iam Luteciae verſari, non ſolum, vt exemplo vobis ſit; ſed etiam veſtra cauſſa eo praeiuiſſe videatur. Sed vt reuertar, vnde nonnihil digreſſus ſum, certum vobis temporis ſpatium circumſcribam, certamque doctrinam & exercitationem: in quibus mea ſe continebit conſultatio, in eaque aetatem veſtram, & ingenii veſtri vires, & facultatem conſiderabo. Praemonſtrabo enim, quem curſum per hoc proximum triennium tenere debeatis, & quae ſuscipere, vt poſteaquam ter calendae Ianuariae reuerſae erunt, vbicunque futuri ſitis, oratio veſtra & prudens futura ſit, & latina, & elegans, & copioſa: quem ego alterum finem veſtrarum cogitationum eſſe puto, vitam litteratam, de quo fine meum conſilium expetitis: alter virtutis eſt, qui aliud tempus ad tractandum flagitat. Et certe ſi ad familiae veſtrae nobilitatem, & ad opes facultatesque veſtras virtutem & doctrinam litterarum adiicietis; id quod facere iamdudum inſtituiſtis, & omnem nobilitatem facere decet: quid eſt, quod ad felicitatem, & ad vitam beatam in his, quae in veſtra poteſtate ſunt, vobis eſt defuturum: quamdiu ea, quae habetis data vobis diuinitus, fato aliquo, & vi atque fraude non auferantur? Sed tamen in his ipſis conſeruandis, & in amiſſione, ad conſolandum plurimum & virtus religioque & magnarum rerum cognitio atque doctrina confert, vt de felici-

tatis

tatis praecipuo gradu non ita depellamini, quin ſemper habeatis, vbi poſſitis conſiſtere.

II.

Ac virtutem quidem, in qua religioni primae partes deferendae ſunt, tametſi propoſitum non eſt explicare; neque morum disciplinam tradere: tamen, vt ne eam neceſſariam non eſſe homini litterato, vel alii homines exiſtiment; vel me id exiſtimare alii cogitent: idcirco eius in hoc principio meminimus: praeſertim cum etiam in hac parte, & in hoc inſtituto, *tribus* nobis potiſſimum *virtutibus* ſit opus: ſine quibus neque noſtrum conſilium, neque veſtra voluntas multum opis inueniet. Primum enim *diligentia* eſt neceſſaria, ſine qua etiam magna ingenia non longe progrediuntur: deinde *temperantia* in voluptatibus, quae cuſtos eſt diligentiae, & ingenii ac naturae conſeruatrix: tum *conſtantia* in vtraque, vt ea perficiantur, quaecunque erunt inchoata. Quae virtutes tum demum iudicabuntur verae eſſe, cum neque diligentia virium defatigationem; neque temperantia valetudinem; neque conſtantia obſtinationem nimiam pariat: non, quod virtutes vitia ſint, ſed quod vitia ſaepenumero virtutum ſimulatione fallant. Laetam, & ſanam, & ſequentem virtutem eſſe volumus: & hominis ſtudioſi volumus mores eſſe ſuaues, valetudinem prosperam, & animum flexibilem: ita tamen, vt libido abſit, mollities vitetur, locum non habeat pertinacia. Primae ergo duae virtutes, quarum memini, & quae ab haec praeceptione abeſſe non poſſunt: ad corporis vires debent eſſe adcommodatae: conſtantia vero non ſolum finem ſtudiorum vitaeque reſpicit; ſed etiam in ſingulis actionibus, quae prudenter iuſtitutae erunt, adhibenda eſt. Iam vero, quoniam harum virtutum in vobis ſigna egregia adparent, quae his annis ſaepe intellexi; admit-

admittam vos, & adero, quoad potero, in hoc perſpecto mihi veſtro conatu, & egregio ſtudio. Ac principio quidem conſiderandum mihi eſt: quantum iam in hac litterarum doctrina conſecuti ſitis: non ſolum, vt ne omittam aut praeteream aliquid; ſed etiam, vt ne poſt rem comparatam & confectam in aliquibus adferam conſilium.

III.

Tenetis igitur, vt ex fratre veſtro Wolffgango intellexi, & vt ego ex ſcriptis veſtris cognoui, latinae linguae praeceptionem omnem: quae quidem ad ſcriptores intelligendos eſt neceſſaria: in eaque lingua verborum & formularum (quae rerum & ſententiarum ſimulacra ſunt) tantam copiam, & delectum eiusmodi eſtis conſecuti, vt ab his inſtructi ſitis ad ſcriptiones & ad ſtili exercitationem: modo differendi & dicendi ratio omnino non deſit, quarum rationem vtraque ars ſtili ſemper fuit, moderatrix. Et ſane ſi ea adhuc tenetis, vt confido, quae a me primo in rhetoricis & dialecticis audiuiſtis, quaeque a Seueno poſt recognouiſtis; nihil eſt, quod praeterea requiram, praeter adnotationem in legendo, & in ſcribendo induſtriam. Iam in graecis eo progreſſi eſtis, vt in linguae praeceptis nullus labor reſtet, in verbis & ſingulis & collocatis. In eo ſtudio perficiendo non tam moleſtus ad intelligendum eſt labor, quam iucunda & ſuauis futura eſt ad comparandum obſeruatio. Quamquam non ignoro, non in his nihil deeſſe vobis, quod ignoretis: tamen quod ſcitis, id mihi ſatis eſt ad id, quod inſtituto, & quod a me poſtulatis. Etenim Homericus ille Vlyſſes, quamquam πολύτροπος fuit, & multorum hominum ἄστεα καὶ νόον ἔγνω, vt ſcribit Homerus: tamen in ſingulis ipſum gentibus & ciuitatibus credibile eſt, non omnes

nes voluiſſe ciues cognoscere; nec in ſingulis familiis, quid ageretur, intelligere: verum ea ſolum discere, quae ad id ſibi conducerent, quod animo cogitatum & propoſitum habuit. Immo vero etiam nusquam magis neque errauit neque peccauit, quam cum Calypſus amore nimis diu detineretur, & ſuam induſtriam & laudes ſuas abſcondì in obſcuritate antri pateretur. Vt igitur hunc virum, quem Homerus ſapientiſſimum facit, veriſimile eſt per varias regiones profectum eſſe; ita etiam in his, de quibus dictum eſt, artibus verſandum eſt, & diutius non eſt in ſingulis praeceptionibus immorandum, quam verborum & orationis cognitio deſiderat. Et vt ille aſperam ſuam Ithacam in omnibus & laboribus & aerumnis cogitabat, ad eamque quoties potuit, properabat; ita nobis quoque ad ſtudiorum noſtrorum, vitaeque finem pergendum eſt, qui in artuo loco plerumque eſt a natura collocatus: de quo deinceps dicendum eſt, & prouidendum, qua via eo perueniamus. Nec mihi dubium eſt, quin in hac bonorum facultate & copia, propoſita vobis vita honeſta ſit, & litterata: quarum altera ad disciplinam morum pertinet; altera huius eſt inſtituti, & magna ad alteram adiumenta adfert: & profecto in hac vita, ea mihi vita beata videtur, quae ad generis antiquitatem morum ſanctitatem adiungit, & bonorum amplitudinem litterarum ornat elegantia.

IIII.

Itaque praeceptionem meam duas in partes diuidam: in cognitionem rerum, quae animi eſt cultrix; & in linguae exercitationem, & ſermonis prudentiam & concinnitatem: quae cum auribus audientium repraeſentatur; mentis ſuauiſſimum concentum iudicat, qui magis intelligi a nobis poteſt, quam coeleſtis machinae, nunquam

quam audita, tamen tradita olim a Pythagoricis ἑρμονίαν. Vt autem a rerum doctrina exordiamur, non video, quid magis vos deceat, & nobilitatem exornet, quam ciuilis scientia, quam Graeci politicen nominant: quam si consequamini, vt oportet; magna allaturi estis & patriae, & genti, familiaeque vestrae ornamenta. Quid enim maius est? quid praeclarius? quam nobilem hominem litteratum esse, & politicum? quae duo & doctrinam, & virtutem, religionemque omnem complectuntur. Itaque exponemus, qua via huius, siue scientiae & doctrinae siue virtutis & facultatis cognitionem, vsumque talem comparetis: vt non solum aliis vtiliter, verum etiam vobis iucunde viuere possitis; vt apud amicos grati, domi suaues, & publice honorati videamini fuisse.

V.

Ciuilis vero scientiae cognitio recte ab iis libris instituitur, quos Aristoteles de republica scripsit. Sed quia in moribus ciuium probatis fundamenta sunt posita magnarum ciuitatum; recte doctrinae ciuili scientia de moribus adiungetur, quam etiam Aristoteles multis libris tradidit. Omnium autem maxime historia adiuuat, in quibus & ortus rerumpublicarum varii videntur, & conseruationes earum, & conuersiones atque interitus, & hominibus in vita dubitantibus consilia multa, & exempla varia suppeditat. Vos quidem, quid deinceps poteritis rectius suscipere, quam hoc studium: post ista vestra & loquendi, & disserendi, & dicendi praecepta?

VI.

Verum in his ipsis consequendis habenda latinae linguae ratio est: ne contaminetur varietate linguarum, & diuersitate verborum, quae singulae

lae artes, & linguae, & in vnoquoque genere ſinguli ſcriptores propria habent: qui etiam verborum eorumdem collocatione, & toto compoſitionis genere, in conſimili argumento, plurimum ſaepenumero inter ſe differunt. Hiſtoricus enim Herodotus eſt, & in eadem gente eodem ſermone, nimirum graeco: etiam hiſtoricus eſt Thucydides: & vtriusque pulchra eſt & ornata oratio. At quantum discrimen eſt ſuauitate, grauitate, verborum collocatione, figuris ſententiarum, & quaſi transformatione quadam inciſorum, membrorum, circumductionum, tota denique compoſitione? Eiusdem populi res geſtas ſcripſerunt, Caeſar, Liuius, Tacitus. Sed quantum in his intereſt, omnibus iis ornamentis, quae iam commemoraui? Plus vero in his omnibus, & in Ciceronis ſcriptis. Et hi ipſi Ciceronis libri, magnam in ſe varietatem continent. Scribe epiſtolam eo genere orationis, quo principium Milonianae cauſſae eſt concinnatum: tametſi apud imperitos aliquot laudatores inuenies; quibus tamen verum iudicium eſt, improbabunt, & ſtatuent, decori te praecepta tranſiliiſſe. Quocirca videndum eſt, vt rerum cognitio ne, cum materiam ſuppeditat ad res tractandas alienas, noceat verborum & orationis peregrinitate: non quod hi latini non ſint, aut illi non ſint Graeci; ſed quia vt equites & pedites, & vt in ſenatu, & in foro, & domi, Romani & Graeci non iisdem vtebantur veſtibus: ita in diuerſis rebus, quae oratione tractandae erant, nou idem dicendi genus, neque eamdem adhibebant ſermonis formam. Laudo, quod Romam viderit aliquis: quod Athenis Cratippum audieris, comprobo: patior etiam & laudo cum ceteris, quod Atticus cognominaris: at vt pallio vtaris Romae Graeculo, non laudo. Nam leuitatis indicium, & ſtul-

titiae teſtimonium eſſe iudico. Sic omnes hi, cum aliis omnibus, ad discendum boni, ſed in ſuo quisque genere; & proprium quisque aliquid habuit, quod ſibi placuit; & potuit quisque id decenter & ſuo iure.

VII.

Iam vero ad cognitionem rerum maximarum, dei, religionis, pietatis, charitatis, & ceterarum virtutum & praeclarorum morum, & humanae ſalutis, quid illuſtrius, quid magis neceſſarium, quam ea, quae Moſes ſcripſit, quae prophetae, quae apoſtoli? attamen haec ipſa exornari magis poſſunt, ſi debitus cultus, & puritas ſermonis linguaeque latinae adhibeatur, & hic ipſe ſermo romanus, & latina eloquentia, non vitietur hebraismo, qui in ſua lingua ſuauis eſt; in aliena aures offendit, & luci rerum ſaepe tenebras offundit. Cognoscendus igitur Thucydides, & Herodotus, & Xenophon, & Polybius, & Halicarnaſſaeus, & Herodianus apud Graecos; & legendus apud Latinos Caeſar, & Liuius & Tacitus: & omnes hi diligenter intelligendi: vt iudicium confirmetur, memoria augeatur, amplificetur rerum doctrina: inprimis vero, quae Iudaeis primum diuinitus tradita ſunt; deinde eadem illuſtrius explicata poſt Chriſti mortem; ſed ita, vt quemadmodum mens ipſa pura & incorrupta horum lectione & meditatione euadere & permanere debet: ita etiam linguam ab his non impediri ſed adiuuari velim. Nec enim impium eſt, noſtro praeſertim ſaeculo, mentis & vocis eamdem eſſe puritatem, concinnitatem, elegantiam: & nescio quanto magis Chriſti doctrinam orationis amplitudo deceat, quam templorum immanes conſtructiones: non quod in his non delecter: ſed quod hoc ornatu delecter magis, & magis decere exiſtimem. Vt enim imago dei,

quae,

quae ab optimo pictore picta est, magis oblectat, quam quae ab imperito; & statua Iouis a Polycleto dedolata magis adficiebat quam quae a ceteris opificibus: ita etiam religiones & cerimoniae, cum disertum explicatorem nanciscuntur, docentur intelligentius, explicantur illustrius, & amorem metumque dei diuinitus excitatum, neque remitti sinunt, neque elanguescere patiuntur.

VIII.

Ad ciuilem igitur scientiam, quae maxime nobilitatem decet, hi scriptores magna adferent adiumenta, quorum libri de republica & moribus exstant: & historici, tum Graeci, tum Latini, immo etiam ceterarum linguarum expositores, cum quid supersit temporis, aut cum tempora id flagitant: ante omnes vero nostrae religionis auctores, & doctores, & historici. Et quoniam eam vocamus ciuilem doctrinam, quae a Graecis πολιτικὴ est adpellata, & partem sui habet non paruam τὴν νομικὴν; etiam atque etiam cognoscere oportet Platonis illa praeclara monumenta de legibus, & de iisdem Ciceronis libros duos: qui, cum recte intellecti erunt, facile demonstrabunt, quid statuendum sit, & quomodo respondendum, quoties de ceteris quaestio oritur, quae a iureconsultis concinnatae sunt, atque digestae.

VIIII.

Sed vt ne multitudine perturbemini, neque impediamini linguarum varietate, & multiplici tractatione, priusquam ad orationis exercitationem veniam; viam vobis indicabo, quam ego puto ingrediendam esse, vt eo, quo propositum est, perueniatis. Omnem igitur hanc rationem in tria diuidam tempora: vnum *audiendi*; alterum *legendi*; tertium *commentandi*. Quibus tribus si

modus adhibeatur, ratioque teneatur, quam praescribam, & euadetis eo, quo contenditis, & temporis satis quotidie supererit post singulas actiones ad animi relaxationem, & virium refectionem, & confirmationem valetudinis: cuius magnam curam geri volo, propterea quod animus in bona corporis habitudine viget magis, & acutius intelligit, & longius prospicit, & diligentius conseruat ea, quae discendo, & intelligendo, & commentando peragrauit. Reuertar ergo ad id, quod primo loco propositum est, ad *auscultandi* tempus: in quo duo sunt personarum genera. Nam & doctoribus vtimur, vt M. Cicero filius Cratippum Athenis audiuit; & vtimur recitatoribus: & Cicero in epistola ad Atticum missa dolet de Sositheianagnostae, festiui, vt vocat, pueri, morte.

X.

Scriptores ad intelligendum difficiles, & arduarum rerum auctores, ab aliis cognoscendi sunt, quos hodie & lectores, & professores linguarum & scholarum magistros nominant: vt in Philosophis sunt Platonis Gorgias, & Protagoras, & sermones apud hunc alii multi, Aristotelis primi libri de republica & de moribus: in historicis Thucydides: in poetis Lucanus: nam hic etiam intelligentem ciuem & togatum prudentem facit: in oratoribus Demosthenes & Cicero: non quod obscurae sententiae sint: sed quod ars abscondita latet: & lumen sententiarum, compositionis amplitudine, saepe, vt sol oculorum, ita ista aciem mentis perstringat. Legere ipsi vobis potestis Caesaris commentarios: & Xenophontis Cyrum, & Herodiani Caesares, & Polybium. Recitatoris vsus est in iis & quae ab aliis audiuimus, recognoscendis, & quae ipsi priuatim legimus: & saepe, antequam legamus, prodest recitari

citari aliquid ab anagnoſte; & ſi quid obſcurum eſt, id paucis ab eodem explanari; & poſt a nobis & lectione & commentatione repeti.

XI.

Hactenus, quae exponi a magiſtris, & quae recitari a domeſticis, & a nobis legi oporteat: nunc, quae ratio adhibenda ſit, & quo vtendum delectu, & quis ſit ſeruandus vbique modus, diſſeramus. Deligendus igitur is eſt potiſſimum, qui eamdem, quam docet, artem profitetur, eamque diu exercuit. Pernicioſa res in litterarum gymnaſiis eſt, doctrinam ſimul cum disciplina inſtitui; & eſſe, qui docere prius incipiant, quam discere: id quod meis temporibus nimis fuit vſitatum. Quamquam non nego, multos eſſe praeclaro ingenio, qui melius discendo expediant aliquid, quam alii aliqui, qui idem longe antea & didicerunt & docuerunt: ſed nos de eo tempore loquimur, cum duorum data nobis facultas eſt, vt eruditiorem magisque experientem ſemper praeferamus. Quod ſi contra eueniat, ſequemur magnorum ducum, & clarorum imperatorum exempla: qui fortem tyronem ignauo veterano ſolent anteponere. Sed in facultate duorum aut plurium, iudicium non ſolum de doctrina faciendum eſt; verum etiam de docendi ratione & expediendi dexteritate: in quo tamen videndum quae vires ſint discentium, quae facultas, quae doctrina. Luteciae cum eſſem, idem conſequebantur Petrus Daneſius & Iacobus Tuſanus, diuerſa tamen ratione, vt a multis audirentur. Expediebat vterque plurimos vna hora verſus; Tuſanus appoſite ad grammaticorum normas; Daneſius ita Demoſthenem interpretabatur, quantum in ipſo fuit, & quoad ſermo ille patitur, vt Romanus videretur, & Ciceronis verbis & ſententiarum formis figuratus. Itaque alter a doctiori-

bus libenter audiebatur: alterum audiebant, qui ab erudito magiſtro inde a fundamentis proxime eam linguam volebant comparare. Magni iudicii documentum eſt, magnaeque doctrinae nota, & ſignificatio diligentis & candidae induſtriae, non diutius haerere in docendo, quam neceſſarium ſit, nihilque eorum, quae ſunt exponenda, praetermittere: idque in rebus & verbis, & arte, & comparatione aliorum ſcriptorum.

XII.

Atque haec de doctore: nunc de ordine & delectu, qui vobis habendus eſt, & ratione & via, quam in legendo & auſcultando ſequi vos oportet: in quo mihi finis veſtrorum eſt ſtudiorum repetendus, qui eſt vita honeſta adiuncta doctrinae magnae ſcientia, & ſtilus elimatus, & ſermo purus, ornataque cum verborum tum rerum luminibus oratio. Ac quia & vos primas artes ſermonis, & duarum linguarum praeceptiones & varietatem non parua ex parte tenetis, cui rerum verborumque connexa eſt cognitio, propterea quod verba rerum ſunt ſimulacra; vtrumque ſtudium ſimul ex hoc tempore vobis ſuſcipiendum eſt, eodemque mea eſt referenda oratio. Quamobrem diem partiemur totum in duo tempora: quorum alterum antemeridianum eſt: alterum poſtmeridianas horas complectitur: & quod ante meridiem temporis eſt, id Ciceroni & ſtilo tribuimus: quod vero inſequitur, id ceteris ſcriptoribus, ex quibus artium & litterarum doctrina eſt comparanda: non quod hi non praeclaram & egregiam orationis laudem apud eruditos & doctos homines adepti ſint; aut quod Cicero non plurimas res & maximas tradat, ex ſapientiae ſtudio repetitas: ſed tametſi vtrique ab alteris adiuuantur; tamen quia Ciceronem inprimis, & ſemper, vbi exemplo locus eſt, imitandum cenſeo: faciendum mihi hoc diſcrimen eſt, vt intelligatur, ad quos di-

gre-

gredi aliquando licitum ſit, & a quo non ſit licitum discedere. Nam quoniam me vultis in hac ratione quaſi praeceptore vti; ſtatuere debetis, quaedam eſſe, quae liceant: ad quae permitto declinationem a vobis fieri: quaedam vero, quae non liceant: a quibus ſi deflectetis; immemores vos eſſe putabo accepti huius a me beneficii: quod vitium in moribus nefarium eſt. Nam tametſi temperantiam principio, & diligentiam, atque conſtantiam a vobis tantummodo poſtularim; tamen ceteras virtutes non a vobis negligi volo: & quantum ad me attinet, & fidem a vobis flagito, & memoriam meorum conſiliorum, quam ego gratitudinis certam notam eſſe exiſtimo: & niſi credetis me vera conſulere, parum habitura eſt apud vos mea oratio auctoritatis. Cum igitur ciuitas hominum ſit inter ſe ſocietas atque communicatio; neque vlla latius pateat, nec per tot gentes atque nationes latenter cum incredibili vi atque poteſtate ſit ſparſa, quam chriſtiana ſocietas, quae eccleſia eſt adpellata: ad quam Ieſus ſempiternus veri dei filius, cui regiae maieſtatis cognomentum datum eſt, & Chriſtus adpellatur, omne genus humanum ex omnibus partibus euocauit orbis: cum haec igitur vera ſit ſocietas; neceſſe eſt etiam ciuilem ſcientiam Chriſti potiſſimum deique doctrina niti; & hac maxime chriſtiani nominis hominem confidere: quippe quae coeleſti ſocietati praeparetur, & coeleſtibus legibus, deique curationi ſit conſentiens. Hanc philoſophi inueſtigarunt, nec potuerunt inuenire: hanc ſi Minos Cretenſis, aut Lacedaemonius Lycurgus, aut Athenienſis Solon tenuiſſent; beatiores ſuos reliquiſſent ciues, quam reliquiſſe videmus: haec Platonico Socrati, haec Platoni, haec Ariſtoteli defuit ad huius ſcientiae perfectionem. Quamquam non eo haec dico, quod non bene & praeclare iſti ſcripſerint; idque

in pluribus, immo in multo maxima parte: ſed quia diuinitatem ignorarunt, qua potuerunt homines ad coeleſtem concordiam conuocare, & ad eum finem ſuos ciues perducere, quem in ſuis libris propoſuerunt, felicitatem, & vitam ſe ipſa contentam.

XIII.

Et ſane ſi haec vera ſunt, vt omnino ſunt; ponendum eſt, eſſe quaedam, quae per omnem vitam ſunt legenda: quaedam vero, quae ſemel legiſſe ſat eſt, modo memoria non deficiat: quaedam, quae certis temporibus ſunt recognoscenda. Qui ordo vobis perpetuo eſt retinendus: & ab eo vos deduci, aut depelli neque ſinetis, neque patiemini: ſi conſtantiam, quam promittitis velitis praeſtare. Religio igitur eiusque cogitatio perpetua retinenda eſt. Nam clariſſimi ſaepe homines; & prudentiſſimi optimique viri, poſt res magna cum gloria geſtas, & ſummos aliquando honores adminiſtratae reipublicae ab ea quidem curatione vel morbis, vel aetate coacti diceſſerunt; a virtute tamen, & a religione, ceremoniisque, patriis non depellabantur. Et Ciceronem credo, & alios oratores viros bonos, non ſemper in foro conſtituiſſe propter aetatem cauſſas agere: tamen propoſitum habuiſſe, vitam honeſtam non deſerere: verum ſemper meditari aliquid, & quoad liceret, ſcribere, quod ciuibus prodeſſet, & ad religionis, & ſapientiae ſtudium latinis litteris totum explicandum pertineret. Quocirca ſi religio per omnem aetatem colenda eſt, & in extrema praecipue; & ſi ſtilus de ſapientis manu non eſt deponendus: debent ii ſcriptores perpetuo cognosci, quorum orationem imitari, & a quibus ad virtutem, & ad religionem, & ad ſapientiam volumus erudiri. Quod ſi iſta negari non poſſunt: in ſacris ſcriptoribus ſapientem,

tem, & in Ciceronis monumentis eloquentem habitare, & vitam ponere decet. Religio enim ſanctam, & eloquentia iucundam, & ambae coniunctae ſalutarem efficiunt hominum inter ſe ſocietatem. Religionis ſtudio etiam morum disciplinam, & ciuilem omnem doctrinam, & historias adiungo, in eoque ſapientis vitam finiendam eſſe exiſtimo. Atque huiusmodi quidem ſunt, quae perpetuo legenda & commentanda cenſeo; iam quae ſemel cognouiſſe ſatis ſit, ea ſunt hac ratione diiudicanda. Quidquid enim tale eſt, id eiusmodi eſt, vt vel dignum non ſit, quod legatur, propter ineptias; vel propter breuitatem, aut etiam facilitatem non opus ſit repetere: ex his duobus, quod ineptum eſt, vitare oportet, & breue illud genus, & ad intelligendum atque memoriam facile, ad vtilitates propoſiti in ſtudiorum varietate finis eſt adaptandum: & tum demum faciendum eſt, cum a grauioribus laboribus fatigata mens ad ſe relaxandum ſecedit: in eaque refectione tempeſtiuum eſt anagnoſte vti, cuius vox eruditula ſit, & clara & diſtincta, vt facile intelligi poſſit, vt pronunciatione faſtidium ne magis, quam voluptatem adferat, quae maxime comparanda eſt in hoc otio & relaxatione. Reliquum eſt tertium genus, quod fuit eorum ſcriptorum, qui aliquando ſunt recognoscendi: id quod duobus ſit potiſſimum temporibus: quorum alterum honeſtam neceſſitatem habet; alterius viro ſtudioſo reddenda ratio eſt. Nam fit ſaepenumero, vt hiſtorica & ſcriptio & lectio, ad tempus aliquod intermittatur: dum de religione aliquid ſcribimus, aut de reipublicae aliqua parte opus aliquod conficimus, aut poema aliquod meditamur: quo confecto, ſi hiſtoriam vel temporis vel belli alicuius perficere placeat; redeundum eſt ad eum rerum explicatorem, cuius rationem nos in rebus

pronunciandis ſequi velimus: & cuius nos quam ſimillimi eſſe cupimus. Et ſi poſt eam confectionem, ſermonem aliquem philoſophicum contexere viſum ſit, redeundum eſſet ad eum auctorem, a quo digreſſus es, & cuius conſtitueris perſequi veſtigia.

XIIII.

Sed cum tres ſint a nobis anni propoſiti, intra quos mea verſabitur conſultatio; accedam ad eos iam: & primum numero complectar, quae nobis per hoc tempus ſint comparanda. Cognoscendus igitur nobis eſt Cicero totus in lingua latina, & Caeſaris commentarii, & Saluſtius, & Vergilius. In quo ſtudio cum quid ſupereſt horarum, interponendum ex Plauto, & Terentio, & Varrone, & Lucretio ceterisque aliquid, quod ad intelligendum facile, & ad cognoscendum ſit iucundum. In Graecis auctoribus Xenophontis Cyrus, & Socratici commentarii, & Herodotus, & Thucydides, & Demoſthenes, & Ariſtotelis libri de moribus, & de republica & Homerus, atque Heſiodus. Et cum ab his intermiſſio fieri poteſt, ſeuocandus aliquando Theocritus eſt, & Pindarus, & Euripides, & Sophocles: & ſi quis eſt alius aut philoſophorum, aut hiſtoricorum, aut poetarum, qui placeat. In ſtudiis vero ſcientiae atque cognitionis, ſemper exploratrices dialecticae regulae ſunt adplicandae: & geometriae, & cosmographiae, & aſtrologiae doctores & magiſtri, quoad ſtudiorum finis requirit, etiam ſunt audiendi. Ex his omnibus materia ad ſtilum eſt comportanda: qui quotidie acuendus eſt: *cuius natura eſt, vt otio & intermiſſione obtundatur; exercitatione vero, & perpetua quaſi exaratione, vt vomis ſplendidior, ita hic illuſtrior & acutior fiat.* Videtis onus, quod veſtris conſtitui imponere humeris: quod ſi ad tertii anni calendas Ianuarias

ria deportabitis; conſequemur, quod volumus, vt oratio veſtra & prudens ſit, & diſerta; idemque ſit & mentis & linguae ſonus, quem ego quauis harmonia ſuauiorem puto. Numeroſe vobis, & fortaſſe non ſatis diſtincte, neque plene nominaui, qui legendi ſint atque cognoscendi ſcriptores. Itaque paucis etiam differam de hac ratione, antequam de obſeruando, & imitando, & ſtilo, meam vobis declarem ſententiam: vt etiam, quibus ſinguli temporibus legendi ſint, cognoscatis, & intelligatis, qua via ingrediendum ſit, vt omnes eos, quos propoſui, intra id tempus, quod conſtitui, legendo intelligere poſſitis.

XV.

Primum igitur vetus illud, & nobile praeceptum tenendum eſt, quod minime facimus, vt *temporis quam maximam rationem habeamus, & eius nobis ratio conſtet*; nosque metipſi nobis ſemper conſtemus in lectionis, & auſcultationis, diligentiaeque perpetuitate. Quod ſi tenebitur, tria maximopere fugienda ſunt vitia: primum intemperantia in edendo, & bibendo: tum in familiaritatibus intempeſtiua congreſſio, & delectus deſidioforum: poſtremo deambulatio, quae tantum mali adfert, vt etiam induſtrios & ſolertes, ad ignauiam praua quaſi oberrandi conſuetudine ſoleat deducere. Praecipiunt etiam id, qui de agricultura ſcripſerunt, qui ambulatorem villicum eſſe vetant: cum tamen oculus vt domini, ita & diuitis villici equum pascat, & obambulatio circum operas plurimum excitet laborantes: tamen quia imprudentes, fallit iſta ſaepe conſuetudo; diligenter etiam atque etiam cauendum eſt, ne ſuauitas deambulationum tempus negligat, & ſtudii ſollicitudinem fallat, & naturas bonas emolliat, rectеque propoſita fallaci conſuetudine ex

animis

nimis ſtudioſorum hominum cogitationibusque excludat. Neque enim me nomen peripateticorum de mea depellit ſententia; neque mea me mouet conſuetudo: ſum enim natura ambulator: ſed illi in disputando ambulatores erant: nos de legendo praecipimus: & plus ego conſecutus eſſem, plura etiam effeciſſem; ſi plus ad ſeſſionem eſſem adſuefactus. Spatia ergo & ambulationes in legendo vitupero: (alia enim ſanitatis & relaxationis ſunt tempora) at in meditando, aut commentando, aut colloquendo concedo, ſi ſint moderatae: vt facto modico interuallo, & interpoſito temporis breui ſpatio reditus ad lectionem fiat. Quamquam in bibliotheca, & inter libros inquirendo verſari, & ad pulpita adſtare non improbo. Status enim erectus conducit nonnullis hominum corporibus ob valetudinem: & in conferendis auctoribus, & comparandis multis locis, transeundum ad diuerſa loca eſt: ſed tamen vt in cibo, & potu, & in congreſſibus familiarium modum requirimus; ſic etiam hic faciendum arbitramur, vt conſideretur, quid ſit neceſſarium, & quid mediocre: quorum alterum cenſetur vtilitatis, alterum voluptatis regula: quaecunque vero in legendo vtiliter interueniunt, non reiicimus.

XVI.

His igitur tribus vitiis explicatis, quid deinceps conſtituendum ſit, videamus: & fortaſſe proximum eſt, vt conſideretur, poſſintne omnes, quos nominaui, auctores, etiam his tribus vitatis, per hoc triennium, a vobis abſolui, & quibus id fieri poſſit temporibus. Diſtinguenda enim tempora ſunt, vt etiam actiones omnes non ſolum opere, ſed etiam temporis ſpatio homines metiuntur. Ergo a religione principium ſumatur: cui primam & poſtremam diei horam tribuimus. Neque dubium eſt, quin multa triennio poſſint his

his duabus horis & intelligi, & memoriter teneri, quae ad religionis doctrinam, & ad vitam christianam conferant: praesertim cum multa sibi stilus vsurpabit ex sacris scriptoribus, vt ex latinis bonis meliora faciat: & graeca vel ita interpretetur, vt latinus sermo purus permaneat; vel ita tractet vt expoliat, vt aliquid praeclari adpareat, vnde autem id sumtum sit, non animaduertatur: aut si adpareat aliquid existat, quasi speciosius, magisque eruditum: haec, inquam, tria tempora & legendi, & scribendi magnam & variam mediocribus ingeniis religionis & doctrinae materiam poterunt suppeditare: si diligentiam perpetuo comparent subsidio. Reliquas horas ego ante meridiem Ciceronis libris & stilo tribuo: quos nullum dubium est, triennio omnes legi, & intelligi posse: quod si concedatur; etiam verum est, horis pomeridianis in reliquis scriptoribus, tum graecae tum latinae linguae, tantundem posse cognosci: praeter eos libros, qui ab anagnoste, de quo praecepimus, recitabuntur. Quamobrem hoc triennium religionis dabit magnam cognitionem; & in Cicerone philosophiae non minimam partem; exempla multa, multasque sui temporis historias, quae in epistolis & orationibus condiscuntur: praeter omne genus sententiarum, consiliorum, factorum, dictorum: atque haec omnia labore antemeridiano neque magno, neque ingrato: si ratio & modus adhibeatur.

XVII.

Pomeridiana vero studia multa dabunt ex Aristotele, Platone, Demosthene, Xenophonte, Herodoto, Thucydide, Homero, Hesiodo, Euripide, Sophocle, Pindaro: reliquisque oratoribus & poetis graecis; item ex latinis, vt Caesare, Salustio, Catone, Vergilio, Lucretio, Catullo, Horatio: etiamsi reliqui adiungi non possint:

quan-

quantum tamen ex his doctrinae, & varietatis comparari possit, facile perspicitis. Sed tamen nullum veto scriptorem praeteriri, ex quo non aliquid deguſtetur, & cuius pars non aliqua percurratur, & aliqua diligenter obseruetur: verum ita, vt temporis cura geratur: & habeatur ratio triennii, & finis, quem constituimus, studiorum. Atque hac de causſa neque omnes scriptores nominaui, neque omnes hos legere iubeo, neque veto eos, quos non nominaui, cognoscere. Poeta vere romanus est Plautus: & natura poeta copiosus & concinnus Ouidius: & Plinius vterque perutilis: & historicus grandis Liuius: & verus explicator Tacitus: & qui de agricultura scripserunt, & de architectura, & de re militari, quis neget eos homini litterato, & docto, non esse complectendos? sed mea praeceptio triennii est: & adcommodata est ad vestram aetatem, & genus, & vires. Vobis enim scribo: in quo ego, qualem nobilem erudiri velim, ad caesarum & regum consilia, & ad rerum publicarum curationes, considero. Neque tamen mihi vllum est dubium, si quae partim intelligere oportet, partim tenere memoria, consequemini, ex sacris auctoribus, & ex Cicerone toto, & ex orationibus Demosthenis melioribus, & ex Aristotelis, atque Platonis libris de republica & de legibus, & ex illis, quos paullo ante indicaui paucis, in quibus etiam aliqua praeteriri patiar, si tempus id flagitet, & tamen, si solum haec, inquam, cura & ratione adsequemini: non dubito, quin grati futuri sitis omni erudito coetui, omni litteratae congressioni, omni prudenti consilio: non minus, quam in sermonibus tribus de oratore Cotta, & Sulpitius, Scaeuolae, & Crasso, & Antonio grati & iucundi fuerunt auditores: & quam fuit acceptus Ciceroni in disputatio-

tatione de finibus bonorum adolescens Triarius.

XVIII.

Sed iam tempus est, vt ad rationem legendi, & scribendi accedam, quae pars est praecipua huius instituti. Nam iam fere omnes sciunt, qui sint legendi praecipue, & quae legenda vnicuique vtiliter: quomodo vero legendum sit, primum id scire paucorum est; deinde varium est. Quot enim, inquit ille, capita, tot sensus. Ego vero meam vobis sententiam meo arbitratu, meoque more exponam: nihil proprium arbitrans, si quid in his etiam ab aliis vsurpatur, & suum vnicuique relinquens iudicium: vobis consulens: alios ad haec praecepta non alligans. In legendo autem eamdem, quam in scribendo, atque dicendo rationem, vehementer sequi oportet, vt prima cura habeatur rerum, altera verborum, sed vt in scribendo atque inueniendo, primum omnium cogitandum est, quid docere, aut defendere, aut tradere velimus; deinde, quibus id consequi rationibus: sic in legendo, primum percurrendus vniuersus vel liber, vel oratio, vel epistola, vel opus aliquod vniuersum: deinde singula cognoscendo, iudicando, ponderando sumenda in manus, vt ne quid lateat intelligentiam, sine qua omnis est fluxilis memoria, & incerta obseruatio, & fallax imitatio. Quamquam verum est, occurrere saepe apud scriptores antiquos loca, tanta difficultate, & obscuritate, vt vel intelligi nullo modo possint, vel labori vtilitas, postquam intellecta sunt, non respondeat: quae ego, cum talia sunt, praetereunda censeo. Memini me, cum adolescens Louanii mihi domi orationem Roscianam legerem, praeteriisse illam allegoriam de lacu Seruiliano: & cum Luteciae eamdem publice interpretarer, quoad potui,

tui, explicasse, & antea Budaeum consuluisse: sed tum memini me etiam hoc consilium dedisse meis, vt in huiusmodi scopulis facerent, quod boni aratores in semente, & messe faciunt, qui spineta, & radices arborum altas, & saxa praerupta, arando & metendo praetereunt, si impensa fructum superet: sic etiam illi, notent ea loca, quae vtiliter in praesenti cognosci non possint. Veruntamen vt illi, quae cum emolumento possunt, saxa euertunt, & truncatas arbores effodiunt, & spinas euellunt; sic etiam illis operae pretium esset in iis sententiis subsistere, quae intelligi possint, etiamsi sint difficiles, & si absque iis lumen ceterorum obscuretur.

XVIIII.

Primus igitur legendi labor in his duobus consistit: proximus est ordinis atque collocationis: tertius tractationis: cum videtur, quae principio tamquam in acie aut pompa dispositа sint, quae ad extremum retenta, quae in medio concinnata; & cum obseruatur, quae commemorentur copiose, quae breuiter percurrantur, & quoties aliqua repetantur, tum quibus id verborum generibus, & sententiarum formis, & qua ratione, atque via: in quibus sita est omnis & intelligendi, & imitandi, & scribendi, atque dicendi ratio: ad eamque tria oportet locorum genera comparare: vnum rerum, qui libri vocantur locorum communium; alterum verborum; tertium artificii, & exemplorum, quae artis praecepta repraesentent. Rerum & verborum loci iidem prope sunt, quorum distinctio a me indicata est in aliis libris. Artis loca inde sumuntur, vnde praecepta hausimus: quae omnium optime atque perfectissime ab Aristotele atque Cicerone sunt tradita. Omnis vero haec ratio ἀναλυτικὴ est,

de

de qua saepe ex me audiuistis: quam oportet a primis annis instituere, in eaque exerceri, & constanter pergere, si eos sequi volumus, qui apud Graecos & Romanos doctrinae gloriam obtinuerunt, & in rebuspublicis administrandis habiti sunt sapientes: non solum rhetores, aut oratores, aut philosophos; verum etiam consules, & imperatores, & reges: quos non minus fama doctrinae, quam factorum gloria celebrauit.

XX.

Quo magis vituperanda est nostrae nobilitatis barbara consuetudo, & agrestis opinio, in qua plaerique sunt, qui existimant, non se satis militares, atque bellicosos haberi, si litterarum periti videantur: quos doctrinae pudet; morum non pudet: qui mores cuiusmodi sint in aliquibus, me pudet commemorare. Quanto magis laudandum est, in illustri domo, homines nobiles esse, quorum & genus, & vita, & doctrina consentiunt: qui sumtis aut a maioribus suis, aut melioribus familiis praeclarae vitae exemplis, ipsi exemplum sint suae post se stirpi, & ceteros mortales ad similem virtutem excitent. Alcibiadi, nobili homini athenienſi, quid magis obstitit ad veram gloriam, quam quod Socratis consilio, & praeceptis non obtemperauit? In eadem antea republica Pericles, quidquid famae & nominis comparauit; eius partem maximam eloquentia atque doctrina sibi arrogat. Inuisa fuit C. Iulii Caesaris noua dominatio: tamen eam inuidiam, atque bonorum virorum vituperationem, commentarii eius minuunt, in quibus virtus in eo militaris elucet: non tam factis eius celebrata, quam exornata ab ipso suarum litterarum monimentis.

XXI.

Sed vt eo, vnde digressus sum, reuertar; tria oportet illa, de quibus dictum est, genera habere

voluminum: rerum, verborum, artis, & quamquam linguae latinae commentarii multi in manibus ſunt hominum; quidam etiam locos congerere & implere conati ſunt omnium rerum: tamen ad memoriam vtile eſt, & ad perfectionem, quemque ſuos habere a ſe digeſtos locos, & aliorum inuentis aut addere aliquid, aut detrahere, aut immutare. Et quoniam de verborum locis, qui iidem fere ſunt cum receptaculis rerum, ſaepe alias & dictum a nobis eſt & ſcriptum; non opus eſt hoc loco eadem repetere. Artis loci ex ipſis ſumuntur rhetorum praeceptis: de partibus orationum, de generibus cauſſarum, argumentationum, ornamentorum, circumductionum. Et quia horum obſeruatio ad ſecundum legendi laborem pertinet, de quo paullo ante dicere incepimus; & quia legendi, & obſeruandi, & adnotandi coniuncta, & continuata eſſe tempora debent: explicemus paullo copioſius hanc obſeruandi, & adnotandi rationem. Incipit igitur haec ratio ab animaduerſione, & comparatione deſinit. Animaduerſionem γνῶσιν adpello τῦ ὑποκειμένυ πράγματ@ καὶ ἐργασίας: & comparationem, τὴν τῶν ἄλλων συζήτησιν. Primum enim conſiderandum eſt, quid dicatur, & quo modo; deinde, quoniam vna res variam ſaepe tractationem habet, propter decorum, comparanda praeſentia ſunt cum aliis, quae vel ab eodem auctore compoſita ſunt, vel ab aliis ſcriptoribus concinnata. Poſt hoc bipartitum ſtudium, ad adnotationem transeundum, & quae ſunt animaduerſa atque intellecta, ea ad artis locos, atque volumen comportanda: & ſuis diſtinguenda quaſi cellulis. Adnotandi rurſus triplex ratio eſt: vna, cum integros locos deſcribimus; altera, cum eosdem locos paucis verbis conſignamus, quae ἀποσημειώσεις nomi-


nominantur; tertia, cum figuris omnia membra delineamus, quas docendi gratia ἀποσχηματισμὲς adpellare ſoleo: vt σχηματισμοὶ auctorum ſint: noſtrae vero delineationes ἀποσχηματισμοὶ vocentur. Nec a nobis ficta haec ratio eſt: ſed vſurpata quondam in Graecia atque Italia, a dialecticis & rhetoricis magiſtris. Nam & Ariſtotelici concluſionum genera, & pugnas propoſitionum figuris diſtinguunt: & rhetores circuitus τρικῶλες, ἰσοπλέυρες, & ἰσοσκελεῖς nominant. Graeci etiam ſcriptorum atque oratorum προσοικοδομήσεις nominant: & Antonius hiſtoriae exaedificationis meminit, libro ſecundo de oratore.

XXII.


Quae omnia, vt ipſa etiam aedificia, poſſunt delineari, vt fundamenta adpareant, tecta exſtent, veſtibula conſpiciantur, conclauia diſtinguantur, ianuae, & feneſtrae, & columnae ceteraeque partes ob oculos artificioſe ponantur, & vniuerſa ſtructura adpareat: cuiusmodi etiam in aedificatione verborum in Albutio & Craſſo Lucilius & Scaeuola animaduerterunt.

Quam lepide lexis compoſtae? vt teſſerulae omnes
Arte pauimento, atque emblemate vermiculato.
Craſſum habeo generum, ne rhetoricotero tu ſis.

Ergo delineemus primam illam apud Ciceronem trium membrorum comprehenſionem: *Quae res in ciuitate duae plurimum poſſunt*: membrum eſt vnum quatuordecim ſyllabarum. Sequitur alterum, quod totidem eſt relatum ſyllabis: *hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore.* Tertium breuius eſt, decem ſyllabis curtatum: *ſumma gratia & eloquentia.* Hermogenes hoc genus



triangulo ἰσοσκελεῖ erecto notabat. Sed quoniam breuius illud membrum aliquando & primum collocatur, aliquando in medio adcommodate ad mentis auriumque iudicium interponitur: tribus etiam explicatis lineis potest designari: duabus aequalibus, tertia breuiore.



Eadem ratio teneri potest in complexionibus duorum & quatuor membrorum: eadem in longioribus circumductionibus, de quidus in rhetoricis audiuistis. Neque difficile mihi esset plurima exempla proponere: si ferrent librarii, & huius esset loci. Aliud etiam tempus haec tractatio desiderat: nunc vobis hanc rationem quasi procul ostendere satis est: praesertim cum similia ex me aliquando cognoueritis.

XXIII.


Sed non comprehensio solum, & ambitus sententiarum hoc modo: verum etiam reliquae oratorum tractationes, quas ἐργασίας vocant. Expossui vobis hac aestate Vergilii Eclogas: & concinnitatem in carminibus tristis & calamitosi Meliboei indicaui. Primi enim quinque versus comparationem habent: sed quomodo tractatam, qua ratione coaedificatam?

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi,
Siluestrem tenui musam meditaris auena:

Duobus versibus felicitatem Tityri cecinit: de se vero vno & dimidiato conqueritur:

Nos

Nos patriae fines, & dulcia linquimus arua:
Nos patriam fugimus:
Redit post ad Tityri felicitatem, & perficit versum inchoatum, & addit integrum:
tu, Tityre, lentus in vmbra.
Formosam resonare doces Amaryllida siluas.
Expolitio ista circulum habet. Est enim vt verborum, ita etiam rerum κύκλος & ἐργασία κυκλοειδής. Itaque qui mathematicos sequebantur; circulo adnotabant: potest tamen etiam haec figura adsignari.



Incipit itaque a Tityro Meliboeus: & in eodem desinit.

XXIIII.

Sed quaerat aliquis fortassis, quas haec ratio vtilitates habeat: cum prolixa sit, & prope infinita, & libera scriptoribus. Et vt ad postremum primo loco respondeam; liberum non est, quod auditorum auribus, & eruditorum hominum iudicio debet satisfacere, & rebus ipsis adcommodari. Deinde etsi exempla infinita sunt, (multa enim exstant, plurima interierunt, noua fortasse multa constituentur); tamen tractatio ipsa terminata certis generibus est: vt haec ipsa, de qua loquimur, comparatio: quae est vel similium rerum, vel contrariarum, vel aliquibus rebus differentium. Deinde vel vtrumque vel aequaliter aut contrahitur, aut producitur; vel altera pars magis: vel prima etiam ad postremum repetitur, vt

in hoc Vergilii principio. Vt enim architecti non eſt, omnia, quae vbique ſunt, aedificia intueri atque cognoscere; ſed ſatis eſt in ſingulis generibus meliora aliqua ad imitandum inſpexiſſe: ita etiam ſcriptori faciendum eſt, vt in omnibus paucos deligat, quos aemuletur, & cum quibus velit, contendat. Vtilitas vero in his eſt: primum, quod res melius intelligatur, eoque memoriae magis conſuletur, deinde artificii obſeruatio voluptatem gignit, ex qua conſtantia & auiditas nascitur, in perlegendis aliorum ſcriptis: quibus contraria ſunt leuitas atque ſatietas, vitia, quibus in ſtudiis nihil eſt nocentius. Tum ad iudicandum multum opis adfert haec diligentia: & ſaepe artificium in facili loco animaduerſum, in difficilioribus ea, quae recondita ſunt, eruit: vt Tityrus in ſua antiſtrophe, primo verſu otium & Deum fatetur,

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit:


deinde duobus verſibus rationem reddit, & promittit honores:

Namque erit ille mihi ſemper deus: illius aram
Saepe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus:

poſtremis duobus verſibus redit ad otia, quorum meminit, eaque explicat:

Ille meas errare boues, vt cernis, & ipſum
Ludere, quae vellem, calamo permiſit agreſti.

Ergo etiam hi quinque verſus, lineis depingi poſſunt, vt ipſa ſtructura operis adpareat.



XXV.

Est etiam alia vtilitas huius rationis, quae primum est in adnotationibus, quas adpellaui ἀποσημειώσεις: deinde in istis aposchematismis, quod hac via patefacta etiam conspicitur, quo modo inter se genera dicendi differant, & quibus id consequamur rationibus. Quomodo enim iudicabitur, quid inter se tria Vergilii principia differant: huius Eclogae, & Georgicorum, & Aeneidos, absque hac obseruatione? Primum enim concinnum est hac comparatione, id quod pastorali cantui conuenit: alterum partitione mediocriter auctum, quod rusticam parsimoniam, & agriculturam decet: tertium ornatum circumscriptione ampla, quam heroica postulabat grauitas. Atque haec tria vt artis vocabulis, sic etiam lineis poterunt distingui. Habet igitur haec ratio etiam hanc vtilitatem, vt, quae parum inter se differant: tamen quomodo differant, clarissime indicet. Eosdem enim habent, vt vocant, pedes hi duo versus:

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi: &:
Protinus aeger ago, hanc etiam vix, Tityre, duco:

at differunt & verborum litterarumque concursu, & harmonia: ex quibus numerus nascitur poeticus: id quod hac ratione intelligitur.

! ! ! ! !
♦♦♦ ♦♦♦ ♦♦♦ ♦♦ ♦♦♦ ♦♦

Nam primus pes & quintus similem harmoniam habent. Sonus enim vocis est in prima, hoc est, in tertia citra postremam: & secundus & tertius in media. Alter vero ille versus,

Protinus aeger ago, hanc etiam vix Tityre duco:

cum iisdem metiatur pedibus: tamen sono & collocatione litterarum differt.

!.. !.! !!. .! !.. !.

Nam ſecundus & tertius numerus heroïcus duos ſonos acutos habet: & tertius vocalium contractionem, & ſpondaei duo ſunt magis ſonantes: ita vt iſte primo illo, vt eſt reipſa triſtior, ſic etiam ſono grauior exſiſtat. Poetarum haec ſunt exempla: ſed quia vobis iſta ſuperiore proxima aeſtate & interpretatus ſum, & indicaui: volui notis ex proximis vti indiciis:

XXVI.

Deinde eamdem rationem in oratoribus & hiſtoricis ſequi debemus: & habent omnes ſcriptores multa inter ſe communia. Si enim dicam, *Vir ſapiens ſemper honeſtatem ſequitur, & pro ea mortem libenter oppetit: ſtultus rebus honeſtis voluptatem anteponit: quam ſapiens non ſenſuum titillationibus, ſed virtute atque honeſtate metitur*: philoſophicum iſtud genus orationis eſt: ſed compoſitum ad imitationem exempli poetici: quod absque hac ſiue arte, ſiue ratione, ſiue obſeruatione, aut quomodocunque adpellare placet, aut non poteſt, aut difficulter poterit intelligi: & verborum iſtud genere atque natura a Vergilii verſibus differt: forma fere eadem eſt: vt inter ſe duae togae discrepant, quae forma ſint eadem confutae; ſed altera viridis ſit, & laetioris coloris; altera nigri, & ſeuerioris: & ab altera vlna aliqua panni opificis arbitratu detracta. Haec obſeruare, & huiusmodi rationes locis digerere, magnas vtilitates ad vtendum atque mutandum parat: magnam in cognoscendo voluptatem gignit. Et quamquam varium & multiplex ſit; tamen vnius horae quotidiana diligentia, vbi neque magiſter neque ingenium deeſt: mirum eſt, quantum triennio humana poteſt conſequi induſtria.

tria. Sed veſtram ego vitae & gentis conditionem conſiderans: conſulo, vt in orationibus primum Ciceronis, & Demoſthenis, hoc ſtudium praecipue ponatis; deinde in libris philoſophicis Ciceronis, & hiſtoricis: quamquam etiam epiſtolae de principio ſtatim in manus ſumendae ſunt. In omnibus his per interualla ſaepe temporum ad poetas transeundum: ſed parce, neque diu, antequam ſtilus & copioſus fiat, & oratorius. Placet enim mihi Antonius apud Ciceronem: qui in cauſſis ſe ciuilibus & forenſibus diligenter & perpetuo exercuit: & hiſtoriis ſe oblectauit: philoſophos legit, ſed non ſecutus eſt: propter angustas atque conciſas disputationes: a poetis tamquam altera lingua locutis abſtinuit. Sed fuit diſſimulator ſtudiorum Antonius, vt etiam artis ſuae dicendi: & cum ſe dicit philoſophos non intelligere, & poetas non attingere, indicat, quid in imitando ſequendum ſit, quid vitandum: idque oratori, cuius oratio in multitudine debet probari. Atque haec eo ego ſcribo, vt videatis, in quibus maxime operam conſumere vos oporteat: quo ad eum, quem propoſitum habetis, finem perueniatis.

XXVII.

Iam vero quia omnis obſeruatio, omnisque exemplorum notatio ſtilo praeparata eſt, & ad ſcriptionem reliquamque exercitationem dirigitur: de ſcribendi ratione, quam vos ſequi oportet, deinceps eſt dicendum. In qua illud primum praecipitur: vt de argumento cogites, quod Ariſtoteles τὸ ὑποκείμενον πρᾶγμα nominat. Id eiusmodi ſit, vt totum a nobis intelligatur. Neque enim fieri poteſt, vt cuius naturam non perſpexerimus, id ſcribendo poſſimus exprimere: non magis, quam ſi pictor, quem numquam vi-

disset, aut de quo non audiuisset, Aiacis clypeum, aut Achillis arma, aut Diomedis & Glauci honorarias donationes & congressus vellet depingere. Primum igitur sit in praeceptis, vt *rei natura vniuersa cognoscatur*. Ex quo alterum efficitur, *in rebus delectum habendum esse*: vt eae principio huius exercitationis eligantur, quae ad intelligendum faciles sunt: & ad tractandum atque demonstrandum non nimis prolixae. In prolixitate enim & obscuritate, praesertim incipienti, operosa molestia metuenda est: ex qua fastidium oritur huius consuetudinis, quam laetam esse & hilarem volumus, non tristem atque abiectam. Nam vt non tam canit bene, qui canit inuitus; ita etiam non tam scribit elimate, qui cum fastidio scribit, quam qui scribit studio excitato. *Itaque & notis rebus principio stilus adplicetur, & non prolixis, neque obscuris.* Quibus duobus illud adiunctum atque cognatum est, vt etiam breui explicentur. Versibus enim, non vniuersa rei natura, modum huius diligentiae censeri volo: vt est breuis alicuius vel epistolae, vel narratiunculae, vel argumentationis, vel comparationis & similitudinis, similiumque breuium rerum tractatio. Illud etiam hoc in loco recte praecipitur, vt primus annus in Cicerone consumatur, ex eoque stilo suppeditemus materiam: neque integras instituamus ad eius imitationem orationes; sed primo particulas aliquas, idque breuiores: quae vel necessarium, vel insignem aliquem locum habent. Voco autem necessarium, quo fere semper vtendum est: insignem, qui hoc ipso commendatur, quod propter perspicuam concinnitatem accersitur raro, & in leuioribus absconditur. Ciceronis igitur primo anno libros & lectioni tribuimus & stilo: ceteros vero scriptores tum graecos, tum latinos, legendo solum cognoscere per id tempus

est

eſt ſatis: & hic annus ſolutae tantum oratorum orationi detur: inſequentes etiam hiſtoricis atque poeticis exercitationibus largimur: ſed parce, vt ne prima haec & princeps exercitatio impediatur; neque imprudenter alienis aut hiſtoricorum exercitationibus, aut poetarum linguis, ſenatorium & forenſe oratoris os vocemque videamur inficere. Haec omnia illi facilius, & certius conſequentur, quibus praemonſtrator & magiſter continget. Et quoniam pauci ſunt, qui id poterunt, diligenter videndum eſt, ne indoctus aut imperitus pro erudito & exercitato comparetur. Atque haec de ſtilo, & ſcribendi conſuetudine, cui coniunxerunt veteres commentationes & declamationes ante actiones forenſes atque ciuiles. Sed quoniam omnia haec absque imitatione fruſtra inſtituuntur, dicendum deinceps de hac eſt: in qua iſta quaeri poſſunt, quid ſit imitatio, & qui proponendi ad imitandum pro exemplo: & vnusne eſſe debeat exemplo, an multi; tum, quae imitanda, & quomodo; poſtremo, quo ſit inſtituenda imitatio tempore. De quibus omnibus ego meam vobis exponam ſententiam: ſed paucis. Nam omnia in hoc libello, & in hoc veſtro conſilio copioſe demonſtrare non decet. Non enim doceo, quid omnibus imitatoribus agendum ſit: ſed quam viam vos ingredi debeatis: qui a reliquis litteratis viris, quibus propoſitum eſt ſolum philoſophari, tum generis nobilitate, tum vitae inſtituto eſtis ſeparati.

XXVIII.

Imitationem adpello *μιμητικὴν*: in qua *ζῆλος* eſt, ſtudium & amor eius conſequendi; quod in alterius oratione laudabile & admirabile videtur. Ea vera ratio eſt exprimendi in tua oratione, quae in aliena aut laudabiles aut illuſtres ſunt,

ſunt, dicendi tractationes & formas: quas Graeci tum εἴδη tum ἰδέας nominant. Quamobrem & artem in hac ratione eſſe volumus, vt nihil fiat contra decorum, quod ſumma ſemper cura adlendum eſt, & ſcientiam rei vniuerſae, & omnium rerum: non vnius alicuius rei, aut partis vnius. Quis enim eum laudet pictorem, qui manus ſolum in homine depingere poſſit, reliquas partes non poſſit? aut humana capita qui poſſit deformare; reliqua animantia coloribus & vmbris conuenientibus repraeſentare neſciat? Non haec ratio artis eſt, neque paruae, neque tenuis ſcientiae: ſed tenenda ſunt in hac doctrina, quidquid omnia dicendi genera poſtulant: ad quae omnis eſt referenda imitatio.

XXVIIII.

Ex quibus intelligitur, quod ſecundo loco quaerendum fuit, quis potiſſimum ſit imitandus, quem pro exemplo habeamus atque aemulemur. Is enim nos ad ſuas virtutes maximopere adpetendas excitare debet: in quo plurimae & artificioſiſſimae adparent & exſtant: non quod ornatus ita debeat eſſe adplicatus, vt ab omnibus intelligatur; ſed de vobis loquor, & de imitatoribus, qui, quod reliqui non poſſunt, ipſi poſſunt videre dicendi formas, & earum ornamenta. Sed cum apud latinos ſcriptores, veteres illos romanos, quorum & ſana, & volubilis, & ornata lingua fuit, nullus ſit, qui propius omnes ἰδέας orationis ſpectandas nobis dederit, praeter Ciceronem; huic etiam cum & ſuae aetatis ſcriptores, & qui poſt aliis ſcripſerunt inſequentibus ſaeculis, eloquentiae primas dederint: quis eſt, qui dubitet, hunc in exemplis quaſi anteſignanum debere collocari? Nulla forma eſt oratoriae eloquentiae, nulla etiam philoſophicae disceptationis,

nis, nulla ſermonis quotidiani, quam non vel totam expreſſamque oſtenderit, vel cuius non partem ita delinearit, vt quomodo reliquae partes effingendae ſint, a mediocri artifice non intelligatur. Sit igitur hoc datum atque poſitum, hoc ſcriptore nullum neque certius, neque praeclarius in latina lingua exemplum: ſed ſolumne ſit, & aliane etiam praeclara, videamus.

XXX.

Qua in quaeſtione ſi roger, ſint ne omnia a Cicerone litteris tradita, & eane omnia adhuc hominibus exſtent; rogar, quod neque ignorari poteſt, neque debet interrogari. Caremus enim eius de republica libris, id quod omnes ſciunt grammatici: nullas habemus ab eo ſcriptas hiſtorias: nihil etiam eorum ſcripſit, quae a Varrone de agricultura; a Plinio de rebus naturalibus; a Vegetio de re militari; a Vitruuio de architectura ſunt explicata. Iam quam multa ſunt apud graecos philoſophos, medicos, hiſtoriarum ſcriptores, quae non a Cicerone ſunt attacta? Verum nos de imitandi ſcientia loquimur, quae ſola facit perfectum artificem, & moderatrix eſt ſtili: etiamſi ipſe ſtilus ſit dicendi effector & magiſter vocatus. Permitto, vt omnes atque omnia legantur, ſed ratione atque iudicio, vt ſtatuamus, ab aliis materiam multam, & magnam, & praeclaram adcumulari poſſe; verba etiam congeri; & ſtilum, de quo loquimur, imitatorem optimi cuiusque exempli, delectum adhibere, rebus ipſis conuenientes formas adferre, quarum genera & proprietates nusquam melius, quam in Ciceronis monumentis conſpiciuntur. Quamquam fateri debeo, & libenter fateor, apud Demoſthenem eſſe nonnulla, quorum imaginem apud Ciceronem non facile reperias: & in Platonis ſermonibus multa ſunt praeclara & diuina, digna imitatione,

tione, quorum a Cicerone etiamsi adumbrata saepe sit, tamen non est aliquando penitus expressa effigies. Deinde quis neget, si historia scribenda sit, aut si versus faciendi, poetam imitandum esse: sic etiam historicum deligendum, cum quo contendatur: & ad eius imaginem quam proxime conandum vt accedamus? Quid ergo est? idem est imitandi, qui legendi, ordo. Primus labor Ciceroni tribuatur, & quod huic deest, id conquire aliunde: sed hunc prius disce, & in hoc te prius exerce: & quoad proficis, non te tui exempli poeniteat. Memini antea comparationis, quam *συζήτησιν* & *σύγκρισιν* scriptorum graeci nominant, quae vtilissima est studiorum ratio. Quis negat in Cicerone & Demosthene multarum rerum eamdem esse saepe expolitionem; saepe etiam esse discrimen? quis non laudabile putet, cum apud alios inuenis, quod bonum & singulare est, idem consignare, & ad locos artis & imitationis, quorum memini, deportare: ibi tractationem delineare, auctorem iudicare, rem tractatam breui subiicere? Cum ergo de latina lingua sit quaestio, & hominis togati vocem & orationem polire atque ornare propositum sit; & primae semper partes Ciceroni sint tributae; neque quisquam tam varia dicendi genera summa cum elegantia, & orationis decoro expresserit: quis negabit, tamdiu hunc relinquendum non esse, dum cognoscuntur res praeclarae, quae antea a nobis ignorabantur; & dum, quae volumus, ea apud hunc inuenimus? Quod vero deest, id ab aliis non accipere, si liceat, dementia est. Sed si instructus ab huius oratoris copiis, facultatibus, opibus, ad alios venias; non difficile erit, quid tibi desit, quod necessarium sit, animaduertere. Et posteaquam bene infectum erit huius eloquentiae saluberrimis fontibus palatum; minus periculi erit in alienis humo-

humoribus, ne idem deprauato ſenſu corrumpatur. Vt igitur a Demoſthene lacertoſo oratore vtiliter ad Iſocratem politum & comtum ſcriptorem tranſitur, aut vtrique eodem tempore recte coniunguntur: ita etiam a Cicerone ad Demosthenem non ſolum tranſitum fieri patiar; ſed vt digreſſio per interualla fiat, conſulo, & vt ſaepe inter ſe comparentur, ſuadeo: vt etiam cenſeo, ſi hiſtoriam conficere propoſitum eſt, vt aliud genus orationis inſtituamus: quod ipſe etiam Cicero faciendum iudicat. Fuſa enim hiſtorica oratio eſt, & tracta, vt inquit Antonius, & cum lenitate quadam aequabili profluens: vt in foro & iudicio, aſperitas eſt, & ſententiarum aculei. Ergo hiſtoria aliud dicendi genus poſtulat: quod in optimis auctoribus animaduertitur. Sed tamen ad hoc ipſum conſequendum, Cicero, qui idem potuiſſet, & certe melius fortaſſe, quam Saluſtius, aut Caeſar, aut Liuius magnas facultates adferet, & iudicium elimatum ſuppeditabit: non ſolum vt ſimile, ſed vt etiam aliquando melius idem efficias. In Liuio patauinitatem, vt ſcribit Quintilianus, Pollio deprehendit: quam non conſideraſſet, ſi non ex melioribus cognouiſſet, qui romanum eſſet, & quid patauinum. Et qui Ciceronis aquis bene os imbutum habent; eodem illi guſtatu in Liuio eam, vt ita loquar, peregrinitatem ſentire poterunt, quam ſenſit Pollio. Sed haec hactenus de ea quaeſtione, in qua rogatur, quis potiſſimum imitandus, & qui praeter hunc alii. *Cicero enim imprimis, & praeter hunc, in ſuo genere optimus quisque.*

XXXI.

Sequitur, vt indicemus, quid imitandum ſit: & qua proſequendum id ſit ratione. Quae pars tametſi prolixa ſit, & fuſa per omnia praecepta eloquentiae; tamen ad pauca adſtringetur a nobis

bis capita. Omnis enim iſta deliberatio ab vno capite incipit: & id in duo continuo membra ſecatur. Primum enim argumentum, quod explicandum ſuscepimus, conſiderari oportet, quo pertineat: deinde videndum eſt, quam rerum flagitet tractationem, & quem rerum atque verborum ornatum requirat. Et haec cauſſa eſt, quamobrem tractatione, & dicendi genere, imitationis a me ſit complexa & perfecta definitio. Neque obſcurum eſt, ſi propoſitum eſt dialogum ſcribere, & homines inter ſe colloquentes introducere. non ad orationes Ciceronis ſpectandum eſſe; ſed in Tusculanis aut academicis quaeſtionibus, ſimilibusque ſermonibus eſſe, quae ſequamur. Sic ſi orationem, ſi comoediam, ſi tragoediam, ſi ſatyram; quo ſint oculi dirigendi, & in quod animus intueri debeat, clarum eſt. Incipit ergo hoc ſtudium ab argumento, & ſe ad duo capita ſeuocat. Argumentum non ſemel iam a nobis adpellatum eſt *τὸ ὑποκείμενον πρᾶγμα*: alii *ὑπόθεσιν* vocant. Genus dicendi *ἰδέαν*: tractationem noſtro arbitratu, tum *μέθοδον*, tum *ἐργασίαν* nominemus: non quod ratio ipſa tractandi etiam ad dicendi formas pertineat (habet enim quaeque ſuam tractationem): ſed rerum vocamus proprie tractationem; elocutionis vero & formae ornatum: propterea quod vnaquaeque res proprium & conuenientem ornatum deſiderat. Sed argumentum deligendum eſt: qua in electione Horatii conſilium ſequi oportet: qui praecipit

Sumere materiam noſtris, qui ſcribimus, aequam
Viribus: & verſare diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri - -

Vires vero maxime diligentia iuuantur. Qui enim ingenio & doctrina minus poſſunt; exemplo

plo optimorum oratorum atque ſcriptorum ſubſidio diligentiam debent comparare. Quo fit, vt virium aeſtimatio tribus perficiatur, ingenio, cognitione, diligentia. Nam qui & ingenii acumine praeditus eſt, & ad id doctrinam comitem atque ducem comparauit, adhibita diligentia, & vehementi excitatione induſtriae; magnum neceſſe eſt eſſe, quod non queat ſcribendo poliendoque perſequi.

XXXII.

Sed hanc partem deliberationis explicare totam non poſſumus, antequam de imitandi tempore cognoſcatur; & quia virium & ingenii, atque doctrinae mentio facta eſt; exponemus breuiter id, quod poſtremum fuit, quo ſit imitatio inſtituenda tempore: quod non tam aetate cenſendum eſt, quam viribus. Vt igitur pueros Ariſtoteles a ſuis ethicis excludit; ita ego etiam non pueros ſolum, verum etiam eos remoueo viros ab hac artificioſa via, qui praecepta dicendi non tenent; qui rerum doctrinam nullam ſunt adepti; & qui non ſummo ſtudio expetant laudatiſſimae & optimae orationi ſuam quam ſimillimam exiſtere. Nam idcirco pueros Ariſtoteles & adoleſcentulos a ſua disciplina, vt opinor, depellit, quod nec voluntatis in ipſis ſit conſtans excitatio, nec morale iudicium. Sic nos etiam φιλοπότορα incenſo animo, cuius pectus nonnulla ſit litterarum doctrina eruditum, ad hoc ſtudium, & imitandi rationem admittimus. Imperitos vero, dum erudiantur; & ignauos, dum excitentur, ad reliquarum artium magiſtros, qui eos ferre poſſunt, relegamus. Quo ergo tempore animus ita comparatus atque inſtructus eſt; id maxime idoneum eſt, ad hanc conſuetudinem. Quamquam non ego exquiſitam doctrinam flagito: iſta ego veſtra mediocritate contentus ſum: verum-

tamen huius exercitationis tria sunt tempora: vnum disciplinae, quod primum est; alterum doctrinae, quod medium; tertium atque vltimum perfectionis. Discere enim tamdiu debemus hanc artem, dum neque consequimur, neque perficimus, quod diuulgari possit, & dignum sit omnium auribus, & eruditis gratum. Posteaquam vero & huius rationis, & plurimarum rerum doctrinam comparauimus; vt bene exercitatus posterioribus agendis partibus histrio, ad primas recte, & in theatrum conspiciendus admittitur: sic etiam vestra oratio, postquam hoc modo expolita erit, non metuet multorum sententias, neque doctorum hominum iudicia extimescet. Tertium tempus, quod erat perfectionis, tametsi optandum sit, eoque contendendum, vt nullo opus sit nobis exemplo: tamen haud scio, an vnquam cuiquam continget. In tanta enim varietate, & excellentia philosophorum, oratorum, historicorum, poetarum, erit semper aliquid, quod vel non legimus antea, vel non animaduertimus: semper, quod cognoscamus. Difficile enim est omnia legere, omnia intelligere: prope omnibus mortalibus negatum meminisse. Sed tamen, quoad possumus, contendendum & prosequendum est. Turpe enim est subsistere in virtutis, & laudis, & gloriae via, cum progredi liceat: praesertim cum postremi labores plerumque primis & leuiores & iucundiores existant. Quamquam verum etiam est, etiamsi perfectissimis similis esse, aut anteponi non possis: tamen honestum & praeclarum esse, in multis rebus cum illis contendere; quaedam etiam meliora facere, cum possumus; & illorum vel inuentis, vel exemplis, quos imitamur, aut addere aliquid, aut detrahere, aut commutare; & aliquid conari atque moliri, quod sit praestantius. Id enim omni-

nibus fuit aetatibus, & omnibus ſemper conceſſum mortalibus. Libera enim, non ſeruilis debet eſſe imitatio. Et imitatorem non ſemper ſequi alterius veſtigia volumus: ſed quam ſaepiſſime, & quoties poterit, ſi poterit decenter, praeeuntem anteuertere.

XXXIII.

Antequam ergo modica non eſt aliqua quiſpiam tinctus doctrina: neque dicendi rhetorum artem cognouit, neque dialecticum aliquem magiſtrum audiuit, non admittam ſane adoleſcentem ad hunc ludum: eumque grammaticis relinquo, quorum adhuc dictata, & praeſcriptas materias tamquam alienas lineas ſequetur. Sed poſtquam haec eſt adeptus aliquis; ſi ingenium habet, & ſi amor in eo eſt, & ſtudium eloquentiae, vt eſt in vobis: aperiatur ei hic ludus: & quantum haec ratio atque conſuetudo poſſit experiamur. Et principio quidem huius ſtudii, quem optimum eſſe credemus in quaque lingua, eum ſumma cum diligentia legemus, in eoque conſiderabimus, quid dicat; tum, quo id ordine, quo genere dicendi, qua tractatione; in quibus primum inuentionis eſt; ordo vero, collocationis; genus dicendi, formae. Tractatio autem eſt, quae ipſam maxime formam conſtituit, & ornamenta orationis complectitur, & ſententiarum atque argumentorum expolitiones: & membrorum, & circumductionum ſtructuram, connexiones, numeros; earumque omnium inter ſe rerum varietatem, quae in arte tradita, hic obſeruantur, & quaſi delineantur, & depinguntur: in volumen, de quo dictum eſt, reconduntur, vt quoties opus erit, in promtu ſint, & videre poſſimus, quibus in vnaquaque re ſuſcepta veſtigiis ſit inſiſtendum. Ergo hoc primum eſt huius diligentiae tempus, obſeruare in exemplo, & adno-

tare, quae ars praedocuit. Neque exſpectare debemus, donec omnia cognoscamus, & volumen repleatur: ſed de principio, ſimulatque eſt aliquid animaduerſum, ſtilum ſumere, & ſimile aliquid fabricare. Quo in loco de materia & argumento praecipitur, vt a facillimis incipiamus, & induſtriam non oneremus obſcuritate, ſed facilitate releuemus. Quocirca in epiſtolis breuiores ad imitandum eligendae principio ſunt: & in orationibus, vt etiam in longioribus epiſtolis, & in ſermonibus philoſophicis, pars aliqua breuis, vt eſt concluſio argumenti, ſimilitudo, comparatio, narratiuncula, locus & ſententia communis, contrarium. Sed haec non tam materiae ſunt, quam modi: de quo iam dicemus. Illud vero huius loci, vt vnumquodque in ſuo genere. Vt enim hiſtoricus hiſtoricum, & ſatyricus Horatium aut Perſium, & tragicus Euripidem aut Sophoclem; ſic etiam hic, quoniam plurimum inter ſe differunt oratio forenſis, & philoſophicus ſermo, & collocutio familiaris: quale vnumquodque in ſuo eſt genere; tale etiam exemplum eſt conſtituendum. Sed difficile eſt, iudicare cuiusmodi aliquid ſit, & eſſe debeat. Ergo deinceps breui, vt inſtitui, de ratione imitandi, dicatur.

XXXIIII.

In quo primum conſiderandum eſt, quid imitabile nobis ſit, & quid ſit in imitando negatum. Imitabile voco, quod imitando conſequi & exprimere poſſumus: μιμητὸν a Graecis adpellatum: ex quo ἀμίμητον quid ſit, intelligitur. Quae vero imitabilia non ſunt; illa inſtituere atque ſuscipere, extremae ſtultitiae eſt. Sed eorum duo ſunt genera: vnum natura imitabile non eſt; alterum temporibus. Quintilianus i-

mi-

mitabilia esse negat, ingenium, inuentionem, vim, facilitatem: verum est, quod scribit. Nascuntur enim ista nobiscum, & sunt naturae aliorum, non nostrae, & arte neque dari, neque doceri possunt: tametsi adpareant in exemplo. Haec igitur naturaliter ad imitationem non pertinent: etiamsi in imitando eluceant, & ex hac exercitatione nostrae etiam naturales facultates excitentur, erudiantur, confirmentur. Sed hoc genus, quod natura imitabile non est, nihil ad hanc rationem. Sunt enim alieni, non nostri ingenii: verum sunt etiam quaedam aliorum opera ita fabrefacta, vt sint supra nostras vires posita: cuiusmodi Horatio Pindarus visus est.

Pindarum quisquis studet aemulari;
Iuli, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus.
Nomina ponto.

Causſam etiam indicat.

Monte decurrens velut amnis imbres.
Quem super notas aluere ripas,
Feruet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore.

Eam Pindari grauitatem, & amplitudinem, &, si ita loqui licet, granditatem, ἀμίμητον esse existimat Horatius. Ac cum sint quaedam opera magnorum artificum, quae principio quidem attingenda non sunt, quod adsequi non possumus; tempore tamen fiunt facilioia. Non datum est enim incipienti, orationem integram conficere, aut opus aliquod integrum: neque si datum esset consulerem. Tempus enim & facultatem suppeditabit: & dabit facilitatem: Quocirca in partibus facilioribus operum, & in minoribus membris primus labor consumatur: & paullatim ad maiora, atque difficiliora, vniuersumque opus fiat

progreſſio: & ne quidem in perfectiſſimis demum admittenda deſperatio eſt. Aut enim exſequemur, quod volumus, aut multa inde praeclara deportabimus, ad ea conficienda, quae nostrae induſtriae a natura conceſſa ſunt: vt etiam Horatius feciſſe ſe ſcribit,

Ego, inquit, apis Matinae
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus, vuidique
Tyburis ripas, operoſa paruus
Carmina pango.

Sed laudabilis haec in Horatio modeſtia eſt, quod Pindaro primas tribuit: & Antonium Iulium ad maius plectrum hortatur. Neque enim quidquam imitatori magis, quam arrogantia, vitanda eſt, quae ſemper leuitatis atque ſtultitiae eſt comes. Neque tamen Horatius deſperauit. Nam eſt in multis par Pindaro: & ſaepe cum Pindaro prudenter, atque etiam cum laude contendit. Sed quia infelix imitatio ridicula eſt: de ſe fatetur modeſte; alios monet prudenter, ne quid, quod vires ſuperet, conentur ſuscipere, ſi id velint in lucem prodire, & de eo doctorum virorum fieri iudicium. At domi omnia tentanda atque conanda ſunt: in iisdem etiam immorandum, quoad proficimus.

XXXV.

Verumtamen principium huius ſtudii in leuioribus, ſed tamen neceſſariis, ſumi debet. Neceſſarium voco, cuius non raro, ſed vbique eſt vſus. Cuius generis ſunt ea, quae antea nominaui, in quibus videre oportet, quid imitatione ſit dignum. Quidquid vero dignum eſt laude, id vel adparet, vel eſt reconditum. Quorum alterum genus mathematicos ſecuti graeco vocabulo φαινόμενον nuncupemus: alterum κεκρυμμένον.

Ad-

Adparentia nomino: vt ſunt verba, & eorum ornatus, & complexiones: vt inuentarum rerum collocatio & ſtructura. Recondita ſunt, amabilium in oratore morum ſignificationes; non expreſſa verbis conſilia; argumenta & ſententiae omiſſae quae poni poterant; ornamenta etiam omiſſa, quae poterant adplicari. Quae tanti momenti ſunt, vt ea qui intuendo praetereat, nihil ſit praeclari moliturus. Vt enim virtutis eſt, non ſolum ſuscipere, quae ſunt bona & laudabilia; ſed etiam, quae mala ſunt, vitare; & vt ipſa aliquando non videtur, ſed intelligitur: ita etiam imitatoris officium non modo poſitarum & illuſtrium; verum etiam praeteritarum & occultarum rerum conſideratione perficitur. Oculis ergo imitator eruditis opus habet: primum, quia recondita non videntur, niſi eruantur; deinde, quia illa ipſa, quae adparere diximus, ita in ſcriptoribus ſaepiſſime contexta ſunt, vt non niſi a perſpicace magiſtro & artifice ſentiantur. Atque idcirco haec ars principio magiſtri opem deſiderat, cum is poteſt contingere: qui argumenta det, qui imitanda indicet, qui doceat, qui emendet, qui oſtendat, quomodo ſimilia ſint diſſimilitudine occultanda. Occultator enim artis ſuae eſſe debet, qui velit eſſe bonus imitator. Iisdem per omnia vti in exemplo puerile eſt. Nam tametſi eſt artificioſum, ſequi Apellis Venerem Anadyomenen, aut Satyrum Protogenis; & iisdem vti coloribus, lineamentis, vmbris, nihilque facere diſſimile: tamen excellentius eſt, quam artem Apelles in Aeſculapii aut Priami imagine demonſtrauit; eamdem te in Apollinis aut Achillis repraeſentare, & tamen totum id Apellis documento eſſe adſecutum.

XXXVI.

Primus igitur conatus sit, vt similitudo non adpareat: alter, si adpareat, vt id videatur factum de industria, id quod etiam est eruditorum. Sed tum id faciendum est, cum laudabilis est contentio: & non dissimilis elegantia, in rebus non iisdem, sed diuersis: & non tam genere, quam tractatione similibus. Multae sunt Demosthenis orationes, multae Ciceronis: sed tamen in his ipsis Ciceronis orationibus; immo etiam in Philippicis, quae titulum habent quasi praeclamatorem exempli, dissimilitudo iisdem dicendi formis captata est, & abscondita similitudo: cum tamen Demosthenem sit secutus. Aeneas apud Vergilium quae loquitur, & quae agit: quid differunt ab iis, quae Homericus Vlysses dixit, & fecit? quid tam simile, quam vtriusque saepe poetae dicendi genus: & tamen in summa similitudine quanta differentia? quanta varietas? vt prope non tam Vlysses Homeri dicatur, quam Aeneas Vergilii. Sed tamen aliquando placet exstare, & sentiri imitationem: neque improbo Bembi principium, *Bembus, Teupole, pater meus*: quod ad exemplum eius factum est, quo Cicero in Bruto suo vtitur. Nam vt ille de Hortensii morte, opinione omnium maiorem animo cepit dolorem; sic Bembus pater, postquam Venetias de Vrbini ducis morte esset senatui adlatum, magnum sane dolorem cepit: iis enim verbis vtitur: causas etiam doloris, vt Cicero, ita Bembus complectitur, & vt Ciceroni dolor oratione augebatur; sic etiam Bembo augetur. Siue Bembus voluit aliquo consilio agnosci similitudinem; siue putabat non videri: ego certe pro patris eiusque dolore: legens ista laetitiam percepi: & de hac ratione, tum illa considerans, memini cogitasse. Verumtamen obtegenda imitatori omnis

nis eſt ſimilitudo: quae tum demum laudatur, cum par gloria ſcriptorem ſequitur: quomodo vero & quibus in locis atque exemplis comparata ſit, non poteſt deprehendi.

XXXVII.

Occultandi vero modus in tribus conſiſtit, additione, ablatione, mutatione: in qua ſunt coniunctio, figuratio, commutatio, transformatio, tum verborum, tum ſententiarum, tum membrorum atque circumductionum: in quibus quid ſit additio & ablatio per ſe ſatis intelliguntur, graeci *πρόσθεσιν* & *ἀφαίρεσιν* vocant: & verbum ſaepe, & inciſum, & membrum, & in his contenta ſententia vel ablata vel addita aliam orationis formam & veluti effigiem facit: *opinione omnium*, inquit Cicero, *maiorem animo cepi dolorem*: at Bembus, *magnum ſane dolorem cepit*. Sed tamen haec duo raro absque ceteris vſurpantur: ſine quibus puerilis eſt imitatio. Mutationem *ἀλλοίωσιν* voco, cuius pars vna eſt *συζυγία*, ſiue *σύνθεσις*, quae conſiſtit in diuerſa verborum & rerum collocatione, & perficitur vel praepoſitione vel poſtpoſitione & interpoſitione verborum, membrorum, rerum, ceterarumque rerum, quae ſunt neceſſariae. Figuratio *χηματισμὸς* eſt graecorum, qui eſt generum potiſſimum & numerorum, & caſuum: nam horum varietas voluptatem adfert; & obducit varietatem. Sed vt in componendo, ita etiam in obtegendo & mutando, facere oportet, quod decet, & quod eſt conuenienter ornatum. Commutatio, *καταλλαξις* adpellata, eſt verborum & rerum vicaria operatio: quae in verbis *συνωνυμία* dicitur; in rebus diuerſa argumentatio: hoc eſt, ſententiae & orationes eodem pertinentes: vt ſunt

in rebus effectis συναίτια & in concluſionibus multorum argumentorum συλλογισμοί. Trans. formationem nomino, quam graeci μετασκευήν, quae omnem orationis complectitur exornationem. Naim & verborum translationes atque modi, & ſententiarum ornamenta ſaepe idem poſſunt, ideoque licet mutare: neque quidquam eſt, in quo magis glorietur imitator, quam in rebus & verbis: eorumque complexionibus transferendis: in quibus non ſolum diuerſitas, verum etiam varietas expetitur: ideoque transfiguratio adiunctam habet μεταβολήν, quae ſatietatem tollit, & omnis delectationis princeps eſſe ſolet effectrix. Inter μεταβολήν autem & μεταςκευήν hoc eſt discriminis: quod haec diuerſum faciat opus, illa varium: neque quidquam eſt auribus magis gratum, quam eaedem res ſaepe aliis verbis notatae, & ornatus vbique diuerſus, & circumductionum varietas, & numerus in earum clauſulis vbique per interualla alius. Atque haec ſunt: quae artem atque ſimilitudinem occultant: quae tametſi leuia videantur; ſunt tamen ſola, quae efficiunt, quod eruditorum hominum aures requirunt, neque vis eorum intelligitur, niſi conſuetudine & vſu comperiatur.

XXXVIII.

Verum illud tenere ſemper oportet, nullam occultationem laudabilem eſſe, quae non vel par aliquid, vel melius, ſubſtituat: aut ſi deterius eſſe videatur, tamen non fiat absque conſilio & ratione. Vergilii illam circumſcriptionem, *arma viriumque cano*, quis non videt ad Homeri ſimilitudinem eſſe factam: verum id tamen eſt diſcriminis, quod Homerus Achillem nomine ſuo nominat, & eius iram, quid ea mali graecis de-

de-

derit, paucis petit a Muſa commemorari. Vergilius Aeneam ſuum non nominat, ſed pluribus verbis, quod inſtituit exſequitur: ita vt ſi ſuperiorem eſſe Vergilium nolimus concedere: tamen fateri neceſſe ſit, ſpecioſum eſſe exordium, & Homerico par, ſi id per graecos liceat obtinere. Sed tamen aliquando honeſtum eſt cedere, cum id poſtulat res propoſita. Nam vt in eodem exemplo maneam, quo antea ſum vſus, quis negat plenius eſſe & numeroſius, *opinione omnium maiorem animo cepi dolorem*: ſed tamen modeſtum etiam alterum, & idoneum ad rem praeſentem, *magnum ſane dolorem cepit.* Verum enim, vt ad rem redeam, ſemper aut melius aut ſimile, aut ratione, humilius ponendum eſt: & cogitandum, illa tria tum demum recte fieri, cum non ſolum veſtigia obtegunt, ſed etiam adiungunt ornatum. Quidquid enim artificioſum eſt, hoc etiam elegans & concinnum eſſe debet: & illa, quorum memini, tria maiorem, quam imperiti credant, vim atque ornatum conciliant. In minimis enim fere eſt figuratio: at in illa Vergiliana comparatione nonne eſt ſuauiſſima?

Tityre tu patulae recubans ſub tegmine fagi,
Silueſtrem tenui muſam meditaris auena:
Nos patriae fines, & dulcia linquimus arua,
Nos patriam fugimus: tu Tityre lentus in vmbra
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſiluas.

Quid minutius, quam, *tu Tityre*, &, *nos fugimus*, at iſta numerorum mutatio quantum habet venuſtatis? eoque etiam Tityrus, vt ſolent bucolici, eamdem concinnitatem imitatur, ſed citra arrogantiam (vt apud paſtorem amicum) & inuidioſam aemulationem:

O Meliboce, Deus nobis haec otia fecit.

Nam

Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram
Saepe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.

Conſimiliter numerum mutauit: *nobis fecit*, inquit, *mihi ſemper erit*: & *a noſtris ouilibus imbuet.* Vt igitur cum absque exemplo ſcribimus, elegans eſt hoc genus; ſic cum propoſitum habemus, quod ſequamur, & elegans eſt, & occultans, quod captatum a nobis, nolumus agnoſci. Non opus eſt omnia perſequi, quae propoſuimus: partim enim ex me audiuiſtis, partim etiam per ſe intelliguntur, & non ſunt huius temporis.

XXXVIIII.

Sed tamen etiam transformationis exemplum ponam. Eſt elegans ſententiarum conuerſio, quam graeci ἀντιμεταβολήν vocant, apud Theocritum.

ἄϊκα τῆνος ἕλῃ κεραὸν τρόγον αἶγα τὺ λαψῇ,
ἄϊκα δ' αἶγα λάβῃ τῆνος γέρας, ἐς τε καταῤῥεῖ
ἃ χιμαρὸς, χιμαρῷ δὲ καλὸν κρῆς ἔξε καὐμέλξῃς.

Pro hac conuerſione Vergilius circulo, de quo diximus, vſus eſt: & pro illis verbis, quae a Theocrito repetuntur, Vergilius alia repetit: & quis negare poteſt, haec fieri exemplo? at ergo dicat aliquis, non eodem eſt vſus ornatu, neque iisdem verbis? quia agnosci noluit veſtigia ab imperitis: at cur, *non equidem inuideo*: cum etiam Theocritus, κὤτοι τοι Φρονέω? quia ſciri voluit, quem imitetur: vt vero imitetur, non voluit animaduerti. Sed negat fortaſſe aliquis, eſſe imitationem, cum non ſint eadem in vtroque: cui reſpondeo, imitationem non eiusdem eſſe: ſed eſſe ſimilium, & id quod ſimile eſt, diuerſum eſſe debere: cognatum tamen: at-

atque eam cognationem ex ipſo fine & orationis forma debere iudicari, vt in his verſibus carminis bucolici finis eſt ſuauitas, eaque de cauſſa Thyrſis apud Theocritum Aepoli paſtoris carmen laudans ἀδὺ τὸ ψιθύρισμα, inquit: & mox ἀδὺ δὲ καὶ τὺ συρίσδες: itaque delectationis & ſuauitatis gratia, vt Theocritus illud ſuum ἀδὺ repetit, & conuerſione, de qua diximus, vtitur: ſic & Vergilius, *nos patriae fines*, & *nos patriam fugimus*: & conuerſionis loco quaſi circulo & orbe ſententiam eſt complexus. Notum principium Homeri eſt, μῆνιν ἄειδε θέα: & plane Homericum eſt, graue, ornatum, & propoſito operi conueniens. Sed neque minores neque pauciores habet virtutes Vergilianum, *arma virumque cano*; Heroicum etiam omnino, & in magna diſſimilitudine, artificioſa ſimilitudo eſt: quae eſt in grauitate atque ornatu: qui abſconditus eſt illis, de quibus dictum eſt, rationibus. Nam vt Homerus iram Achillis; ſic Vergilius Aeneam pluribus verbis & propriis notis indicat: vt in perſonis varietas ſit, & ſimilitudo in tractatione, quae ad finem debet adcommodari, qui eſt grauitatis. Itaque multa, eaque magna, breuiter eſt complexus. Sed & illam Homeri litterarum & vocum ſuauitatem, & poeticorum verborum ſonum, quae propria ſunt graecae linguae: Vergilius pulcherrima figuratione compenſat, *arma virumque*: *Italiam*, *Lauinaque littora*: *terris iactatus & alto*: vtrique numeri ter ſunt connexi, & in illo verſu, *vi ſuperum ſaeuae memorem Iunonis ob iram*, & numeri coniuncti, & mutata caſuum conſecutio: & in illo *genus vnde latinum*, *Albanique patres*, *atque altae moenia Troiae*, quanta eſt diſtinctio generum, nu-

numerorum, vocum? postremo illud, *musa mihi causas memora*, & collocatione differt ab Homerica inuocatione, & magnitudine par principio Homeri: praeter illa insignia, non solum interrogat; sed dolet etiam, & admiratur atque adclamat. Quamobrem imitatio similitudinis abscondita est, collocando, mutando, addendo, variando. Nam & propositionem ab inuocatione semouit: & personas atque res commutauit: plura enumerauit, quod est additionis: & varietate verborum, generum, casuum, numerorum, omnia sunt sonantia: idque ad grauitatem apte: vt nec elegantia grauitati obstet; nec elegantiam grauitas impediat. Ergo in rebus dissimilibus, debet similitudo celari: & id fieri ea, quam ostendi, via.

XXXX.

Postquam igitur delegimus, quem imitari velimus, & quid exprimere; prima consideratio generis dicendi esse debet, ad eiusque finem & formam, & res & verba; eorumque & collocatio & varietas est referenda. Sed magistro opus est, & absque arte non deprehenditur furtiua imitantis imago: & magnae consuetudinis est exercitatio, & paucorum est hominum. Nobilis historicus Salustius est, & Quintiliani de breuitate eius testimonium est notum: sed quotusquisque est, qui intelligit, quomodo ea sit comparata? Halicarnasseus in Thucydide scribit pulchrum esse verborum contextum, sed non suauem: contra in Xenophonte suauem non pulchrum: in Herodoto vtrumque, cuius compositionem ait esse ἡδεῖαν καὶ καλήν. Acuti iudicii atque exercitati, tamquam perspicacis oculi est, videre in quibus venustas sit, & in quibus delectatio: & quomodo pulchritudo a suauitate discrepet, non quod res non sint inter

se

se multum dissidentes, virtus atque voluptas; sed quia in oratione elegantia & suauitas non facile separantur, idcirco & ars necessaria est, & magistro est opus, & exercitatio requiritur. De Vergilii Georgicis libris dicitur, quod sint perfecti; de Aeneide, quod non elimata: sed ego vellim mihi dari aliquem poetarum explicatorem, qui id, vbicunque opus est, possit indicare & ostendere: verum de hoc alias.

XXXXI.

Nunc ad illud, quod propositum est, de dicendi forma: cuius imago nobis, dum operamur & fabricamus, ante oculos ponenda est: & ad eam stilus tamquam manus, & verba eorumque ornatus tamquam colores & vmbrae, & lumina conuenienter adplicanda. Conuenientiam decorum adpello, cum omni in re, tum in imitando inprimis necessarium: in quo duo praecipue sunt tenenda, aptitudo, & modus. Aptitudo est rerum & verborum congruens natura. Modus est in congruentibus, vt ne quid desit, & ne quid deficiat: vt in Homeri Iliadis principio nihil deest, in Vergilii Aeneidis exordio nihil abundat, tametsi sit Homerico circumductius. Aptitudo consideratur motibus, moribus, natura: in quibus naturam adpello earum rerum, quae homines non attingunt, vt herbarum, arborum, gemmarum, hortorum, praediorum, villarum: quarum rerum explicationes atque descriptiones certum propriumque genus orationis attributum habent: mores & motus poetarum sunt & oratorum, cum personarum & suos mores exprimunt; cum ad iram, ad odium, ad amorem, ad misericordiam animos vel audientium vel legentium impellunt: ex quibus tribus illa tria ab Aristotele libro tertio rhetoricorum elocutionis ge-

ne-

nera: ἡ παθητικὴ λέξις καὶ ἡ ἠθικὴ καὶ ἡ ἀνάλογος τοῖς πράγμασι. Haec vero cuiusmodi eſſe debeant & ſint, idem Ariſtoteles; optimus artis praeceptor, indicauit. In hoc etiam de decoro loco praecipitur, vt non ſolum formae imaginem, tamquam cutem tantummodo effingamus; verum vt ſanguis & venae & nerui atque musculorum lacerti exſtent & conſpiciantur. Quamobrem elaborandum eſt, vt & ſpecioſa ſit, & prudens oratio, & ſana: in quibus ſpecies, elegantiae eſt; prudentia, rerum; ſanitas, decori & naturae, vt forma ipſa ſit naturalis, & conueniens. Neque enim dubium eſt, quin exoriens e mari Apellis Venus, nonnihil fuerit e mari ſpumea: ſed ita, vt ea ſpuma Deae formam redderet amabiliorem. Vt igitut Apelles nonnihil ſqualoris reliquit; ita etiam ſcriptori atque imitatori faciendum eſt, vt conſideret, non quantum aliquid ornari poſſit, ſed quantum deceat: quod niſi fiat; neceſſe eſt & tumidam & inflatam & ineptam orationem exiſtere. Itaque recte conſulunt, qui dicunt, Homericam eſſe imitandam Mineruam, quae Vlyſſem in varias mutat ſaepe formas, eumque aliquando & rugoſum & paruum & deformem facit,

πτοχῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιον, ἠδὲ γέροντι:

aliquando etiam admota eadem virga,

μείζονα τ' ἐισιδέειν καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι.
& -- καὶ δὲ κάρητος
οὖλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.

Id etiam in oratore faciendum eſt, vt non ſemper bombycina & pretioſa veſte; ſed ſaepe etiam trita & vulgari & quotidiana prodeat. Poſt decori animaduerſionem, comportandae & collocandae res ſunt, & verborum adferenda copia:

&

& ſequi oportet, quae diximus, vt nihil absque cauſſa neque fiat neque ponatur: & id quomodo fiat, non intelligatur a multis. Nam vt optandum eſt, vt oratio omnibus placeat, & id maximopere captandum: ita etiam cauendum praecipue eſt, vt ars & imitatio & ſimilitudo non adpareat.

XXXXII.

Atque haec hactenus de ſtilo & de imitatione: in quibus non placuit omnia perſequi, vt quomodo ex graecis latina facienda ſint, & quibus rationibus poetarum verſus, ita oratione libera diſſolui & explicari debeant, vt poema non fuiſſe videatur; item quomodo commentatio inſtituenda ſit, & quomodo inchoanda & perficienda declamatio: quae omnia tum demum recte ſuscipiuntur, cum horum, de quibus dixi, magna praeceſſit exercitatio. Ergo de his alias: nunc haec ſufficiant pro hoc tempore veſtris ſtudiis: praeſertim cum me praeſentem adhuc habeatis. Rurſus igitur velut ab initio ingredi iam oportet in hoc curriculum: & accedendum ad multam lectionem & adſcriptionem multam. Lectio vero duplex eſt: vna exempli ad imitandum; altera doctrinae, quarum altera moram requirit, vt, quae in exemplo latent, eruantur; altera percurſionem & adnotationem & memoriam multarum & variarum rerum deſiderat. Itaque ita perficienda eſt, quemadmodum principio diximus. Et Ciceronem quidem hoc triennio totum ad intelligendum legi poſſe horis antemeridianis nullum eſt dubium: ad imitandum etiam plurima diſci in eodem poſſe, etiam clarum eſt: quae ſupererunt, dabimus annis inſequentibus. Iam in ceteris auctoribus, quis neget plura poſſe comparari: ex iis quos nominaui, oratoribus, hiſtoricis, philoſophis, poetis? vt hoc triennium & orationem ornatam dare poſſit, &

variarum rerum prudentiam: quorum vtrumque si consequimini, exemplo esse positis vestri ordinis hominibus.

XXXXIII.

Et sane post militarem virtutem, quae eius est scientiae & fortitudinis, quid magis virum nobilem decet, & congruentius est generis vetustati, quam probati mores, pectus eruditum, lingua sapiens, omnis antiquitatis memoria, omnium rerum publicarum cognitio. In cardinalium numero nonne quasi lumina fuerunt, Contarenus, Bembus, Sadoletus? in Caesaris aula quantum ornamentum Atrebatensis episcopus? Gallias nonne cardinalis Bellaius, nunc etiam Guisius, & Matisconensis episcopus illustrant? Iulius Pflug patronus & hospes meus nonne decus Saxoniae est? Iacobo Sturmio, Christophoro Carolouicio an non pluriimum ad nominis celebrationem prosunt litterae? At omnes hi magni & nobiles: sed tamen haec ipsa nobilitas, quae per se satis clara est, in his viris litterarum doctrina est reddita illustrior. Si Germania nostra, & si principum virorum familiae, huiusmodi curarentur hominibus; nulla esset metuenda rerum periculosa conuersio, nullae barbarae consuetudines, nulla ecclesiarum & religionis deformitas. Quocirca haec ego vobis scribens, vniuersam nobilitatem ad haec studia adhortor, quae si quem hominum ordinem maxime decent; certe nobilitatem inprimis: quae quo magis ceteris ordinibus gloria praestat; eo pluribus & maioribus virtutibus debet antecellere.

DE

DE

LITTERARVM LVDIS RECTE APERIENDIS.

LIBER

IOHANNIS STVRMII

AD

PRVDENTISSIMOS VIROS ORNATISSIMOS HOMINES OPTIMOS CIVES

IACOBVM STVRMIVM

NICOLAVM CNIPSIVM

IACOBVM MEIERVM.

CAPVT I.

DE LITTERARVM VTILITATE.

I.

AD nonas Martii, cum audiretur, factum esse senatusconsultum, quo vobis emendatio puerilis disciplinae, & institutio ludi noui mandata esset, incredibilis laetitia data est viris bonis. Ac quoniam vos huius instituti auctores estis, prope omnes ad vos pertinent & gratulationes & laudes. Etenim vos eam rem ad senatum detulistis, vobis senatus eadem de re, quod videretur statuendi potestatem fecit, vos constituistis, a vobis suscepta res est, a vobis instituta & confirmata, vos fundamenta iecistis salutaris decreti, & sanctissimae disciplinae.

§. II. Multa enim homines a natura communia vitia habent: magna nobiscum barbaries nascitur:

quidam etiam mendosi mores & aetatum & nationum & studiorum proprii sunt: suaque quisque peculiari natura fingitur: denique nostris temporibus imprudentes in deterrimam consuetudinem ipsis moribus delapsi sumus: quibus malis nisi remedia inueniantur, quid poterit esse in vlla repub. aut sincerum, aut diuturnum? Quamobrem mihi quidem necessarium certe videtur, in ciuitatibus veteres disciplinas restitui, quae, quod aut in more, aut natura, aut consuetudine, aut aetate, aut opinione, aut ingenio, vitiosum est tributum deleant. Respublicae enim recte constitutae, vt distinctos artifices, ita diuisas quoque disciplinas habere debent: & manent adhuc in plerisque vetusti moris exempla, quae, tametsi deprauata sint, tamen indicant, quid illi egerint, qui ante nos respublicas recte curarunt.

§.III. Sed cum honestae actiones ad omnes spectent, nemoque sit, quem non secundum naturam atque virtutem viuere deceat: nullum tamen est hominum genus, quod disciplinam sanctiorem ac seueriorem instituere, & retinere debeat, quam litteratorum. Nihil enim est in natura rerum, quod ita mores erudiat, vt litterarum studia, nihil tam in omnes partes fusas vtilitates habet, quam humanitas atque doctrina. Cum singulis enim priuatim prope semper ciuibus vtile fuit, habuisse liberos in artium liberalissimarum disciplina versatos, tum publice fuit omnibus ad rerum conseruationem necessarium, exstitisse nonnullos, qui in periculis & discriminibus non solum vtiliter, verum etiam sapienter illis, quibus fuit opus, consulerent.

§.IIII. Ac si quae fuerunt vnquam tempora, quibus respublicae propter bonorum & sapientum raritatem, & malorum atque imperitorum multitudinem, ac varietatem conflata plurima maximaque pe-

pericula viderunt; noſtra certe talia ſunt, quibus ſtultitiae, & cupiditatis plura, quam prudentiae atque ſanctimoniae veſtigia exſtent. At non tranquillis modo temporibus, verum adflictis etiam rebus antiquiſſimae potentiſſimaeque gentes, quod nos minime facimus, ſapientiae locum eſſe voluerunt. Et ante tempeſtates, otiique perturbationem, litterarum ac ſapientiae ſtudia coli debent, & in ipſis fluctibus non abiici aut opprimi, vt & ante pericula prouidere mala poſſimus, & in ipſis difficultatibus, ſi ſint diuturnae, conſilio non deſtituamur. Sed fit ſaepe numero, vt ne illa quidem vitemus, quae prouidentur, quod cum dedecore ac periculo ſint coniuncta: ex quo genere hominum Medea illa eſt,

Video meliora proboque:
deteriora ſequor.

§. V. Non multum igitur cognitio & ſcientia ciuitatibus adfert, niſi eodem exercitatio & virtutis disciplina accedat, qua eadem, quae didicimus, agere conſuescamus. Ibi enim demum vera ſapientia eſt; vbi neque in oratione inconſtantia, neque in opinatione error, neque in actionibus dedecus vllum, aut aliqua macula adparet. Ac tametſi non ſolum doceri virtus, verum etiam exerceri velit; tamen vtiles ſemper hominum ſocietati exſtiterunt, doctores bonarum rerum, multaque cognoscenda, priusquam videre poſſimus, quid agendum ſit, & quid deceat. Non ſecundum virtutem viuet, qui ignorabit, quid commune ſit omnium, quid multorum, quid proprium, quid laudabile ſit in natura, quid in conſuetudine honeſtum. Quae enim ignorantur, & quae vitia concipimus imprudentes ea vitare non poſſumus; indicata vero & reprehenſa, etiamſi plurima ſint, tamen detrahuntur disciplina.

§. VI. Sed cum tria ſint, eaque magna, quae prudentiam cum ſapientia pariant, natura, & rerum vſus & doctrina; duoque illa prope omnibus hominibus ſint communia: tamen eiusmodi ſunt, vt niſi tertium illud, hoc eſt, doctrina & disciplina coniungatur, neque excoli alterum, neque alterum ad res poſſit adhiberi. Ingenii enim vim deus vna cum vita nobis tribuit, neque vſus in homine nullus eſſe poteſt, cui vita longior data ſit, & aliqua ſit praeditus induſtria.

§. VII. At vtrumque praeſtantius fit, ſi adhibeatur litterarum magiſter: cui cum naturam bonam deus largitus eſt, vtilis ſemper & ſaepe ſalutaris ciuibus exſtitit: cum vero deprauatis ingeniis, litterarum elegantia non recte adhibita eſt; ibi mala frequenter, neque raro pernicioſa exempla prodi ſolent. Nihil enim doctrina vehementius eſt, & ad iuuandum & ad nocendum ſummas vires habet. Multi prudentes regum & tyrannorum minas contemſerunt, ſine moleſtiis, qui poetarum odia, & oratorum clamores non potuerunt ſuſtinere. Quamobrem non artificioſe ſolum, ſed ſalubriter etiam artes & disciplinae tradendae ſunt, quorum vtrumque noſtris temporibus eſt vitiatum. Nam permulti neque modum neque ordinem in docendo talem ſequuntur, qualem res ipſa requirit, & morum non paucis in locis eiuscemodi habetur ratio, vt vitia vel non prouideantur, vel excuſentur, propter inueteratam conſuetudinem.

§. VIII. Recte igitur ſenatus noſter, qui huic disciplinae praefectos vos eſſe voluit, vosque comparauit, qui vultis, qui ſtudetis, qui poteſtis, quod optimum eſt, libero populo conſulere. Et quoniam a vobis pars quaedam mihi huius conſultationis mandata eſt; ſtatui meum conſilium & cogitationem hac ſcriptione explicare, atque etiam ape-

aperire, quod genus ludorum, optimum, & quae docendi ratio, mihi expeditiſſima eſſe videatur.

CAPVT II.

QVIS STVDIORVM FINIS?

DE MAGISTRATV: DE LITTERARVM MAGISTRIS.

§. I.

Optimum igitur ludi genus eſt, in quo & doctrinae & morum ratio diligens habetur. Nam tametſi ſtudiorum noſtrorum finis ſit rerum cognitio, tamen ſi a doctrina & litteris vita diſſideat, quid vt ante dictum eſt, vtilitatis habet elegans ac liberalis inſtitutio? *Pietas* igitur atque *religio* in ſcholis propoſita ſit, & ad eam iuuenilis animus cultura litterarum erudiatur.

§. II. Sed rerum cognitio absque ſermonis elegantia barbara & foeda eſſe ſolet, & ſimul cum orationis deprauatione irrepere in homines moroſam quamdam videmus ſapientiae perſuaſionem. Quare videndum eſt, vt prima liberorum aetatula mature ad linguae informationem dedatur. Ad loquendum enim homines, quam ad cogitandum iudicandumque promtiorem naturam habent: & quod vnicuique aptum eſt, ab eo principium in erudiendo debemus ducere.

§. III. Sed vt loqui, ita etiam recte facere pueri facillime adſuescunt. Nulla enim adhuc tum vitiorum habitudo firma coaluit; ipſaque principio vitia depelli facilius non admiſſa, quam diu admiſſa deponi tandem poſſunt. Itaque coniuncta ſit linguae primis annis vitaeque moderatio, vt, quae poſt comparanda ſunt, facilius adſequantur, excellentem doctrinam, & religionem: quarum altera homini neceſſaria eſt, altera huic ipſi, quae eſt neceſſaria, iuſta debitaque adfingit ornamenta.

§.IIII. Verum,quod in pueriles animos insitum volumus, id etiam in horum magistris oportet illuminatum esse, vt doctrina & pietate ceteris hominibus antecellant. Nemo enim imperitum libenter sequitur: & maior fides viro bono, quam malo a plerisque habetur.

§. V. Ac tametsi prima spes reposita sit in virtutis atque ingenii indole, qua pueros praeditos esse oportet, altera in magistris: tamen, nisi magistratus ac parentum studia coniungantur, saepenumero diligentia praeceptorum remittitur, & extinguitur in adolescentum animis industriae oblectatio. Quare ad reipublicae felicitatem pertinet, magistratum erga eos, qui erudiendae iuuentuti praeficiuntur, liberalitatem exercere: & priuatim domesticis rationibus vtile est, patrem velle quam optimos esse liberos suos, eaque in re litterarum doctoribus adesse.

§. VI. Sed in his deligendis tria sunt spectanda, studium erga res humanas, virtus atque doctrina. In multis enim praeclara quaedam doctrinae signa adparent, tamen ita sunt vitiosis moribus, vt exemplo esse non debeant: neque pauci sunt ex bonis, qui priuatum domesticumque otium publicis occupationibus praeferant. Quanto magis videndum est, ne doctorum diligentia pecunia magis excitetur, quam aestimetur consideratione ingenii, & animaduersione vitae anteactae. Raro enim in illis constantia & perfecta voluntas est, quos pecuniae studium prouocat: qui vero vltro incitantur, & dedecus fugiunt, his maior fides est habenda. Quocirca litterarum doctores, non solum doctrinam habeant, verum etiam virtute praediti sint, & cupidissimi sint patriae, & communis bonorum officii.

§. VII. Nam tametsi tria sint, quae animos hominum ad res praeclaras excitare solent, amor honesti,

& laudis auiditas, & pecuniae ſtudium: tamen, ſi delectus viri prudentes non ſolum diſſimilibus in rebus, verum etiam ad illa, quae eiusdem prope naturae ſunt, adhibent; eſt etiam in hoc loco cura ſuscipienda, vt cum eorum facultas datur, qui optime poſſint, praeferamus ſemper eos, qui cum efficiendi facultate coniunctam voluntatem ſtudiumque habent. Etenim laudis cupiditas etſi ſaepe laudata eſt: tamen plurimis in locis cum vitio, in quo ſunt ambitioſi, coniungitur: & auaritia inexhauſtaque diligentia in comparandis opibus non poteſt a bonis non vituperari. At excitatio animi, qua ſponte homines ad virtutem inflammantur, ſummorum ſemper virorum retinuit comprobationem. Sed nemo bonus, qui non in ceteris quoque virtutis ſigna dari gaudeat, & ſaepe in multis iniquorum animi ingrati minunt induſtriam. Liberalitatem excellentia ingenia & exercere volunt, & experiri. Neque quisquam eſt omnium, qui perpetuo inuitis atque ingratis prodeſſe poſſit. Graui dolore virtus adficitur, cum ſe a vitio ſuperari videt: & quamquam dilatari concupiscit; tamen etiam tum, cum contracta eſt, habet, quo ſe conſoletur. Qui vult, qui cupit, eidem virtus adeſt ſemper: qui vero recuſat, qui contemnit, is non deſeritur, a quo debebat conſeruari, ſed per quod incolumis eſſe poſſit, aut refugit, aut non amplectitur.

§. VIII. Itaque non ſolum beneuolentia habenda ſtudioſis eſt, verum etiam muneribus & quaſi ſtipendiis adficiendi & ſalutaribus decretis ſunt ornandi, quae egregiae voluntatis ſolent ſignificationem habere. Electionem igitur, & liberalitatem in magiſtratu requirimus. Liberalitas eo extendi debet, & vt ne quid rerum neceſſariarum deſit magiſtris, & vt quam plurimi non ſolum doctores litterarum, ſed etiam parentes & adolescentes ex-

citentur. Quae enim honorantur, ea celebrari ſolent: quae vero contemta aut neglecta iacent haec etiamſi optima ſint, tamen raros excultores habent. Deligendi vero ſunt, vt dictum eſt, qui & doctrinam tantam habent, vt poſſint: & ea natura diuinitus ipſis data eſt, vt cupiant publicas commoditates amplificare.

CAPVT III.

QVIS MODVS SIT ET NVMERVS STIPENDIORVM ET VNDE ILLA PETENDA.

§. I.

ESt etiam certus numerus, & definita ratio, in dandis numerandisque ſtipendiis tenenda. Primo neceſſaria decernenda ſunt, deinde veniendum ad ea, quae in amplitudinem & dignitatem conferuntur. Neceſſaria voco grammaticorum: neque vllus locus eſſe debet, praeſertim in christianorum conuenticulis, vbi non ſit, qui elementa latini graecique ſermonis tradat. Sed quae ciuitates plus poſſunt, illae etiam comparent, qui differendi dicendique artes doceant. Magnarum vero dignitas poſtulat, vt maiorum artium profeſſores conſtituant, atque illis, qui minus poſſunt, theologos & medicos, & iurisperitos ſuppeditent.

§. II. Modus autem in tribuendo ita definiri poteſt; vt liberalitatis ratio non violetur: vt ne, quod alteri deeſt, in eo alter abundet & adfluat. Eſt enim in hoc magnum ſignum reipubl. non recte conſtitutae: deinde qui neceſſariis deficiuntur, atque illis carent, ſine quibus iuſtum in litteris otium non conceditur, ſaepe coacti egeſtate ab officio discedunt: multa remiſſe, aliqua etiam auare, neque indecore nulla & non conuenienter committunt. Numerus vero eiuscemodi conſtituatur, vt pri-

primo ad ciuitatis opes, & ad vtilitates ſtudiorum referatur: poſt etiam ad honeſtatem dignitatemque ratio reuocetur,

§. III. Florere itaque eam rempub. litterarum doctrina putabo, in qua quique neceſſarii ſunt, & qui poſſunt ornamenta ciuibus adferre, non deſunt, & in qua nemo decedit, nemo etiam intermiſſionem facit, qui vel ſucceſſorem, vel adiutorem pro ſe non relinquat. Quae enim poſſunt ciuitates, ſtatim de principio duos in vtroque genere comparent, qui doctrina excellant, &, quoad poſſunt, efficiant, vt ſuis opibus perfectae, & ipſe ſuis viribus contentae eſſe videantur: nihil etiam aliunde comparent, quod domi poſſint inuenire. Satis ad hanc rem, quam propoſuimus, facultatum eſſet, ſi ſacrae opes recte diſpenſentur: atque vtinam ceterae ciuitates noſtrae reipublicae exemplum ſequantur, vt ſi omnia, quae fieri debeant, efficere non poſſint; tamen tantum, quantum poſſunt, quantulumcumque ſit, velint elaborare.

§. IIII. Tria ſunt, quae in omni re ardua & magna ſunt neceſſaria, vnum, vt velint: alterum, vt, quod volunt, poſſint: tertium, vt, quod poſſunt, poſtquam ſusceptum opus eſt, efficiant. Sed medium illud paucarum magnarumque ciuitatum eſt: illa vero altera vbi non ſunt, ibi repraehenſioni atque vituperationi eſt locus. Studendum enim & prudenter conandum eſt, quodcumque vtiliſſimum ciuibus eſſe ſtatuis. Opes eccleſiae maiores noſtri ad officium cultumque deo & Chriſto ſumma cum reuerentia & deuotione vitae tribuendum compararunt. Expletur autem id officium in egeſtate earum rerum, quibus corpus animusque carere non poteſt, doctrina & beneficentia. Horrenda tempora ſunt, cum in eos bona Chriſti conferuntur, qui neque bonitatem exercere volunt, neque docere poſſunt, & inepti ſunt

ad

ad munera in Christianorum conuenticulis suscipienda: denique vt ne quid dicam, quod grauius sit, qui ad dehonestandam, quam ornandam religionem, aptius ingenium habent.

§. V. Sed haec de malis dico, quorum nostris temporibus nimis magnus numerus est. Vtinam boni communibus studiis excitentur ad eos depellendos, qui honestissimo omnium mortalium ordini maculas infames inurunt. Illud satis sit, si iam bonis constet, ecclesiae facultates primum doctrinae & egestati, deinde litteris, quibus doctrina plurimum iuuatur, & nostro tempore necessariae sunt, esse comparatas. Quam rationem si tueamur, poterit aliquando vetustus mos, & maiorum nostrorum disciplina recuperari. Sed haec hactenus de magistratus officio, & magistrorum mercede.

CAPVT IIII.
PARENTVM OFFICIA.

§. I.

PArentum etiam domestica cura ad magistrorum consilia debet esse adgregata. Valde enim puerilem educationem turbat, cum inter hos offensiones exstant. Ferre igitur páter debet, vt laudari, excitari, amari, sic etiam moneri, reprehendi, castigari liberos suos. Sic in scholis litterarum, vt in magno populo, leges constituantur, & ita in puerili turba ad laudem praemia, & ad vituperationem castigatio proponatur, quemadmodum in ciuium conuenticulis a magnis solet fieri legumlatoribus. Sed iniquus aestimator & index saepe est amor, neque quidquam nisi a se corrigi patitur, & frequenter, tametsi aliud dicat, tamen odit seueriorem animaduersionem.

§. II. Illiberale est puniri, & castigari verberibus: at, quoniam maxima pars vitiosam naturam habet, cum

neceſſarium eſt, & propter condiscipulos diſſimulari non poteſt, & cum vtile eſt puero; officium ſibi parens praeſtari putet, ſi ad animum emendandum, corpori dolor, qui animo, quam tangendi ſenſui grauior ſit, adferatur. Crudelitas & cupiditas in eo, qui inſtituit & docet, ſemper vituperari debet, ac amouendi a litterariis ludis ſunt, quicumque ex verberatione voluptatem capiunt: ſed indulgentia multas magnasque incommoditates ſecum adfert.

§. III. Illi igitur ab ingeniorum educatione repellendi ſunt, qui neque in puniendo, neque in ignoscendo modum retinere poſſunt: neque illorum liberis in ſtudioſorum coetu verſari licitum eſt, qui communibus legibus nolunt obtemperare. Coniunctae eſſe debent patris magiſtrique voluntates, neque recte in ſcholis obtemperatur, cum horum a puero animaduertuntur offenſiones.

§. IIII. Domeſticae etiam occupationes, & impediciones curarum, litterarum ſtudia, & quae in ſcholis praecipiuntur, neque impediant, neque perturbent. Liberum requirunt litterae, cum recte eſt excitatus, animum: cui impedimento ſunt labores: qui, tametſi corpori ſalubres ſunt, mentem tamen ita adficiunt, vt ad rerum conſideracionem exſiſtat ineptior.

§. V. Sunt autem omnino quatuor, quae patri elaboranda ſunt pro magiſtro, cum domi eſt adoleſcens. Vnum, ad amorem erga litteras excitet, & augeat induſtriam: alterum, vt agnoscat filius, a quo ſalutaria praecepta ad informandum eruditendumque animum percepturus eſt, huic obſeruantiam praeſtandam eſſe: tertium, vt ne pueri diligentia domeſticis laboribus diſtrahatur: poſtremum, vt in ſermone, & corporis cultu atque in victu nihil committatur, quod aut ſtudia dehoneſtet, aut euertat ingenii acumen, aut quoquo

modo moribus efficiat. Denique id agere vterque parens debet, vt, quae in ſcholis proponuntur, quaeque ipſi tradere, aut ignoratione, aut voluntate aut occupatione impediti, non poſſunt, eadem tamen velle & optare videantur. Erudiet enim indoctus parens hoc modo puerum ad disciplinam.

CAPVT V.

DE PVERORVM DELECTV ET OFFICIO.

§. I.

SEd diligenter principio pueri naturam, & domi a parentibus, & in coetu publico ab eo, cui in disciplinam traditus, conſiderari oportet. Neque enim ſolum, qui tardo ingenio naſcuntur, a disciplinis ſunt amouendi, ſed multi etiam natura ſunt non mala praediti, qui tamen ad litteras ſunt inepti. Quidam etiam naturam eximiam & illuſtrem habent: tamen aut ad rem militarem, aut ad reipublicae curationem idonei magis ſunt, quam ad artes atque disciplinas. Sed vt optimi medici eſt, iudicare poſſe, qui cum magna ſpe liberorum recte matrimonium coire poſſint: ita etiam industrii doctoris atque magiſtri eſt, videre, ad quam quisque artem adcommodatam naturam habeat. Sed diligentis eſt, conſiderare: periti, cognoscere: boni & veri, parentes commonere. *Elaborare enim debet, non, vt quam plurimos, ſed quam optimos habeat.*

§. II. Vt igitur excellens & ſingularis inſtitutio atque disciplina ſuscipiatur ingeniorum, vt militum, ita etiam hic delectus eſt habendus, neque quisquam conſcribendus, per quem te nihil effecturum ſperes. Corporis quidem commoditas ſpectanda eſt, ſed non ita, vt mentis praeſtantiae praeponatur. Magna enim res eſt, ac valde optanda, corporis

&

& ſpecies, & ſanitas, & conformatio: ſed animo nihil praeclarius. Semper igitur de animo iudicium fieri debet, qui, ſi corporis quoque elegantia atque figura commendetur, munitam magis ad labores & auctoritatem viam habet. Animi virtutes ſunt, ardor in ſuscipiendo, ſtudium in veſtigando, acumen in percipiendo, induſtria in perficiendo, & in conſeruando memoria. Vbi enim haec ſunt, ibi etiam mentis eſt integritas, de qua eſt apud Platonem, quae veritatem amat, & odit, quod eſt contrarium. Optabile eſt, omnia haec ſimul, & aequalia eſſe in omnibus: verum id in hominum naturis poſitum non eſt, quae variae ſunt & multiplices. Itaque etiam illa ingenia a ludo & pueritiae disciplina reiicienda non ſunt, in quibus haec inueniuntur mediocria.

§. III. Neque confeſtim iudicium fieri & celeriter poteſt. Quidam enim ingenio atque natura acuti, principio tardi ſunt ad intelligendum: tempore tamen atque exercitatione poſtea celeres motus ad percipiendum conſequuntur. In multis naturae conſopitae, atque oppreſſae corporis grauitate iacent, quae praeceptis informatae & eruditae, eximiae atque illuſtres ſolent exſiſtere. In nonnullis etiam excellens ingenii ad percipiendum ratio eſt: at memoria interim tarda, interim etiam non firma, quae disciplina & vſu excitari & confirmari poteſt. Voluntatis primo habenda ratio eſt, quae cum adeſt, ſpes ſit etiam de mentis ſenſibus: ſi deſit, primum laudatione & promiſſis eſt prouocanda: latent enim multa, quae non adparent. Deinde, ſi hac non ſuccedat, obiurgatione vtendum eſt, neque abſtinendum a verberibus, antequam deſperetur.

§. IIII. Eſt etiam aliud ingeniorum genus, de quo eſt apud Platonem in libris de republica quod *induſtriam claudicantem*, vt ipſe vocat, habet venationi-

bus

bus & palaestrae magis, quam litteris atque doctrinis, deditum. Hoc Socrates a dialectica disciplina repellit: nos etiam ne ad litteras quidem idoneum putaremus, si omnes perfectos esse velimus: at ferendi sunt etiam mediocres, & corrigi possunt deteriores animi impetus disciplina & consuetudine.

CAPVT VI.

DE CVLTV ET ORATIONE PVERORVM.

§. I.

HAec tum demum recte instituitur, cum vniuscuiusque natura considerata est, & cum ad vitae genus omnes actiones, omniaque studia conferuntur. Quapropter & viuendi ratione, ita etiam cultu & oratione, atque moribus studiosi ab indoctis differant. Quibus in rebus maxime quid deceat, videndum est. Decet autem id maxime, quod a professione vitae non est alienum. Iam cum professio studiosorum sit, ratione & oratione vti prudentius, quam faciunt ceteri homines: vacare debet omnis actio atque sermo temeritate & negligentia: & ordo & constantia, & moderatio dictis omnibus factisque est adhibenda. Occultandus etiam, si frenari omnino non potest, voluptatis & libidinis adpetitus. Quare, si amor est vitandus & dissimulandus adolescenti, decet etiam ab eodem formae studium esse remotum. Et si dedita militiae & venationum studiis ingenia, corrigenda sunt, debent etiam, qui corporis cultu militem magis & venatorem, quam litteris deditum puerum referunt, aut emendari, aut commoneri. Vestes dissolutae constringi, pendentes ex humeris adplicari, scissae consui possunt. Quare locus in his excusationi non est, sed est relictus reprehensioni. In sermone semper, quod illiberale & pe-

petulans, & flagitioſum & obſcoenum eſt, in pueris animaduertendum, tollendumque eſt.

II.

Sed habent quaedam naturae vitia, quae verbis magis quam verberibus tolluntur & emendantur, vt eſt in ſermone aut tarditas barbara, aut praecipitata celeritas. Verba etiam & ſententiae emendandae, quibus is, qui audit, contemni videatur, ſed tamen propter conſuetudinem aut ignorationem, non emendandae vel acerbe vel cum dolore. Optimus ſermo eſt, qui habet prudentiam, ordinem, verecundiam. Vituperandum eſt, quod eſt ſtultum: emendandum, quod indoctum & turbatum: quod vero inuerecundum, ſi impudens ſit, vt eſt oſtentatio, verbis: ſi impudicum, & flagitioſum, vt obſcoenitas & mendacium, acrius animaduertendum eſt. Denique cultus ad valetudinem, & profeſſionis conuenientiam: ſermo ad prudentiam & verecundiam referatur. Qui haec non retinent, vitioſi ſunt, & obedientiam, quae in disciplina eſt praeſtanda, abiecerunt.

III.

Eſt etiam aduerſus omnes homines adhibenda reuerentia. Itaque vitioſum eſt, magiſtratui, theologo, magiſtro, parenti, ſeni, non adſurgere, non caput detegere, non reſpondere, aut non ita reſpondere, vt decet. Obedientiam relinquunt, qui ludunt, cum vacatio ſtudiorum non eſt data: contra reuerentiam faciunt, qui tum ludunt, cum id ceteri ciues vident, quibus nota eſt disciplinae conſuetudo. Qui in ſomno & quiete, qui in ludo modum, tum etiam, cum conceditur, non ſeruant, tametſi grauiſſimum facinus non ſit, tamen, quia intemperantes ſunt, deformant disciplinam. Laudata vero illa discipulorum congregatio eſt, in qua & praeſtans natura,

& amor ardens, & diligentia constans, & verecundia est liberalis.

CAPVT VII.

DE PAVPERIBVS.

§. I.

PAuperum vero magnas ciuitates imprimis rationem habere decet. Semper enim honestissimum fuit, liberalitatem & beneficentiam colere, & Christus pro se pauperes suo gregi reliquit. Sed non vnum genus egestatis est. Sunt quibus inuisus labor est, & gratior est inertia, quod genus mendicorum, cum corporis viribus non destituatur, eiiciendum est e ciuitate recte instituta. Est enim vel inutile & ceteris obstat, vel sceleratum & latrociniis furtisque deditum. Quibus vero, etiamsi viribus valeant, & ingenio aliquid possint, tamen aut liberorum multitudo, aut parentum creditores, aut casus amicorum, aut priuatae aduersaeque fortunae impedimento sunt: hi, si virtutem amant, & dedecus effugere cupiunt, ab omnibus bonis ex aerumnis sunt eripiendi. Etsi enim miserum est; tamen, quia non est consceleratum, debet subleuari. Nam si rerumpublicarum finis felicitas est, haberi potest in miseris ea ciuitas: in qua ciues boni premuntur egestate. Est huic generi etiam tertium adiungendum, quod vel diuturnitas morbi, vel virium imbecillitas, vel senectus, facit aerumnosum, Sed haec tria genera, non ad nostram institutionem pertinent.

§. II. Verum est praeterea aliud, quod viribus integris est, & ingenio plurimum potest, nullaque fortuna iniquiore est adflictum, quam quod ex parentibus egenis est natum, & ad litteras excellentem naturam habet: ad quarum studia sua sponte fertur. Huius mendicitas non solum excusari, verum etiam laudari debet, & mouere ceteros ad bonitatem. Est etiam nostro saeculo perneceſſarium

rium. Nam contraria diuitiarum & paupertatis, virtutis & vitii, liberalitatis & auiditatis ſunt ſtudia. Vbi enim ampla litteris praemia expoſita ſunt, ibi maior exſiſtet ſtudioſorum copia, quam apud illas gentes, quibus gratior barbaries eſt, quam elegantia doctrinarum. Diuitum vero atque nobilium, niſi ſingulari naturae bonitate praediti ſint aliqui, multo maxima pars aut effeminata luxu, aut vitiis illis ceteris dedita, quae propria illorum ſunt, peruerſe iudicat, & ad ambitionem, atque pecuniae ſtudium rapitur, in quibus difficile ſemper fuit moderationem retinere: apud hos vero virtus eſſe putatur, vaferrimum opum honorumque ſine modeſtia & religione ſectorem fieri. Longius progrediuntur, & magnos gradus ac proceſſus faciunt, quibus religio & virtutis dignitas propoſita eſt, quam hi, qui quaeſtum atque potentiam ſequuntur, & per gratiam & opes, nulla doctrina, nulla ſanctimonia vitae, ad ampliſſimos honores adſcendunt ſubito. Paupertas vero tarde & ſero peruenit, quo vult, ſed tamen multos edit, qui res magnas & arduas elaborant atque perficiunt. Electio autem in multitudine ac varietate, quam in paucitate & ſolitudine, facilior eſt, & ex his, qui diuitiis effluunt, & genus clarum a maioribus comparatum habent, pauci ſunt, qui ad ſe litteras pertinere putent: paupertas vero, tametſi in omni re optimum quidque rariſſimum ſit, tamen plures ad litterarum ſtudia & amorem excitat. Magnam vim ipſa habet ad ſuſcipiendum: ſed impedimento eſt egeſtas ad perficiendum, ſi non ſuſtentetur.

§. III. Itaque non excludi a ciuitatibus mendicitatem decet, quae amore ſapientiae flagrat: neque ſolum ciuium liberis tribuendum id eſt, vt alantur gratis, virtutis ergo; ſed etiam peregrinis atque alienis, in quibus ingenii ac induſtriae lumen accer-

UNIVERSITÄT MARBURG INSTITUT

censum videtur. Maxima enim semper summaque hospitalitatis & bonitatis laus fuit, & inter nos, qui christiani nominis sumus maximopere necessaria. Hoc enim religio ab elegentia & quaestus cupiditate differt, quod haec duo cum illustribus & florentibus hospitium faciunt: illa vero his, a quibus neque gratiam, neque opem, neque quaestum exspectat, domum apertam habet.

§. IIII. Sed in pauperibus ordo moderatioque tenenda est, vt ne ciuium liberi, praesertim si boni sunt, egeant, & vt meliorum ratio habeatur, semperque praeferatur id, quod est optimum. Ciuium liberos in egestate esse, turpe est: honestum est, alienos non defici. De quorum indole constat, certus numerus constituatur, quibus respubiica victum suppeditet: ceteri priuatim a ciuibus conquirant necessaria. Omnes autem, & qui priuatim ciuium benignitatem experiuntur: & qui ex communibus facultatibus aliquid capiunt, ornamentum non dedecus, & vtilitatem; non molestiam scholae & disciplinae adferre debent: excludendi sunt, si faciant secus, quam deceat. Liberam enim bonitatem ciuium, non obstrictam esse volumus. Ornamento est, qui virtutem & religionem colit: inutilis est, qui non potest esse exemplum, sed exemplo obest.

CAPVT VIII.
DE PRIVILEGIIS.

§. I.

PRiuilegia enim non ad impunitatem, & errato-
rum defensionem feruntur, sed ad puniendum
sontes irrogantur, & tuendum insontes, & confirmandum res communes sunt comparata. Illa vero iura, quibus vtitur Lutecia & Louanium, & ceterae ciuitates, in quibus docentur artes atque doctrinae, ob raritatem studiosorum videntur esse con-

constituta: fuerunt enim tempora, quibus profligatae litterae omnesque doctrinae fuerunt: ad quam calamitatem tollendam excitata fuerunt magistratuum studia, & proposita praemia, & aditus adscensusque patefactus ad honores & in petulantes ciues, quibus ingrata & contemta litteratorum ac studiosorum conditio erat, irrogata priuilegia. Itaque ad excitanda ingenia, praemia honoresque expositi, & ad defendendum otium retinendamque dignitatem, tales leges sunt latae.

§. II. Sed factum est in hac re, quod ceteris omnibus rebus fit, quae sunt bonae, vt paullatim illis homines abutantur. Nam & in tribuendis honoribus, temporum magis & pecuniae ratio habetur, quam virtutis atque doctrinae: neque delectus vllus habetur, ordinesque peruertuntur. Atqe ita iure nostro vtimur, vt ad impunitatem facinorum, & integumentum vitiorum, & vanam falsamque sapientiae persuasionem, constitutum esse videatur.

§. III. Verum magistratus vt dare & praemiis adficere, sic etiam corrigere & auferre potest. Apud Graecos, qui praeclare de republica meriti erant, illis quotidianum in Prytaneo sumtum ciuitas praebebat: at si quis postea patriam prodere conatus esset, & abuti scelerato aliquo facinore cepisset hac benignitate; eumdem non solum honore priuassent, sed lege etiam egissent, & de capite caussam coegissent dicere. Ita honorem in republica retinebant: vitia corrigebant. Legibus frui debent, in quibus ea sunt, quorum caussa sunt latae rerum cognitio, & amor litterarum: qui vero violant leges, & dehonestant consuetudinem, reprahendendus omnis ordo magistratusque est, si non puniantur. Qua propter perennia quidem contestataque priuilegia esse volumus, sed ita, vt seueritas disciplinae mosque vetus retineatur.

§. IIII. Haec ſunt, quae breuiter & generatim de vniuerſis, quae ad litterarum ludos pertinere videntur, ſcribenda commonendaque videbantur. Satis enim praeclare agetur, ſi omnium ſtudia referantur ad pietatem & ſapientiam: ſi copia eorum, qui docentur, tanta ſit, vt praeclarorum ingeniorum delectus haberi poſſit: ſi magiſtratus praemia conſtituat, & addat dignitatem: ſi coniuncta ſint parentum ac magiſtrorum ſtudia & voluntates: ſi magiſtri tales ſint, & doctrinam tantam habeant, vt poſſint, & ea virtute praediti ſint, vt velint & cupiant, illuſtrare atque amplificare litteras: ſi pauperum ratio habeatur, ſi legibus atque priuilegiis, ita vt lata ſunt, vtamur: denique tum demum omnia florebunt, cum id tantum quisque agit, quod ſibi ratio & vitae genus praeſcribit. Id neque a Deo maius nobis imponitur, quam ferre poſſimus, neque quisquam ſuſcipit prudens, quod efficere non poteſt, & in liberis ciuitatibus tantum vnicuique mandatur, quantum vires atque ingenium poſſunt ſuſtinere.

CAPVT VIIII.

VNVM IN CIVITATE COMMVNE PVBLICVMQVE GYMNASIVM ESSE CONSTITVENDVM.

§. I.

SCribendum deinceps de conſtituendis ſcholis, & diſtribuendi ſunt ordines & docendi ratio atque disciplina tradenda eſt. Quod enim temere fit, & perturbate, & diſſolute raro magnos facere progreſſus ſolet. Itaque recte apud Platonem Protagoras ſentit, & ſi orator non ſapiens inducitur: tamen illud vere: *πᾶς γὰρ ὁ βίος τῷ ἀνθρώπῳ εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοσίας δεῖται.*

§. II. Vno igitur in loco, quemadmodum vnus etiam verorum ſtudiorum finis eſt, ludos litte-

ra-

rarum comprehendi vtilius est, quam per diuersa ciuitatis loca esse distractos. Vt enim ineptum esset, decem ouibus magistros singulos singulaque pascua singulis adsignare; sic etiam non laudabile est, quod ab vno, aut a paucis peraeque vt a multis, fieri potest, eodemque in loco, distrahere id, & pluribus committere.

§. III. Deinde gaudet homo societate & frequentia, & pauci sunt, quibus grata sit solitudo. Raro etiam absque varietate & praestantia est multitudo: itaque & delectum & exempla habet. Xenophon quoque Persarum ἐλευθέραν ἀγοράν vno in loco fuisse coaedificatam scribit, semotam a turba atque strepitu. Omnis enim liberalis educatio ἐυκοσμίαν καὶ συζήτησιν καὶ συμφερτὴν ἀρετὴν habere debet, vt ordine atque modo omnia progrediantur, vt communia studia coniunctaeque vires, quasi vno adspectu adpareant. Quae caussa etiam Persas mouit, si vere Xenophon scribit, vt, tametsi distributa loca illa essent, quae adpellabantur χῶραι: tamen in iisdem locis versarentur pueri, adolescentes, natu grandes, & qui emeritum militiae tempus habebant. In coetu enim & frequentia, plura atque praeclariora ad excitandum exempla, & maiores ad discendum occasiones exhibentur, quam in paucitate. Quare ciuitates ad docendum aptiores sunt, quam loca deserta vt vult Socrates apud Platonem in Phaedro.

§. IIII. Itaque nisi multitudo hominum conuenientium, & ciuitatis amplitudo tanta sit, vt locus vnus non sit satis, id quod fit Luteciae; vtilius est coacta esse, quam distracta gymnasia. Etenim & qui docent, & qui audiunt, varietate & copia excitantur, languescunt autem solitudine atque raritate. Vnum igitur litterarum liberalium sit gymnasium, in commodo medioque ciuitatis loco coaedificatum, si id ferant, & locorum

interualla, & multitudo: sed hoc quoque suis sit distinctum ordinibus, qui diuisi erunt, & docendi genere atque varietate, & laborandi exercendique temporibus, de quibus nunc est praecipiendum.

CAPVT X.

ORDINVM DISTRIBVTIO.

§. I.

PRopositum a nobis est, sapientem atque eloquentem pietatem, finem esse studiorum. Omnes enim homines pietatem colere decet: at hoc litteratus ab indocto differt, quod ratione atque oratione praestet. Quare proposita esse debet rerum cognitio, & orationis puritas & ornatus, qui hoc nomine, quo homo homini antecellit, volet haberi dignus. Huc igitur referant, vniuersa studia, qui profiteri, & qui accipere talem disciplinam volunt. Et quamquam coniuncta sunt sapientiae & linguae studia; tamen humanae naturae aptius est, si ab orationis elementis inchoetur institutio: verumtamen morum, quemadmodum dictum est, semper atque continuo disciplina retineatur.

§. II. Cum ergo primus labor ad informandam erudiendamque linguam, suscipiendus sit, recte fiet, si ad orationis diuisionem, etiam ordinum distributionem accommodemus. Volunt enim optimi auctores, vt oratio perfecta, primum pura sit, & dilucida; deinde ornata; post etiam ad id, de quo dicitur, congruens & apta. Duo illa prima, prope eamdem & certe copulatam doctrinam habent, & tum nostris temporibus cognoscuntur, cum adhuc magistris & paedagogis est puer subiectus. Tertium, vt est insignius, ita etiam liberaliorem exercitationem requirit, sed tamen non solutam legibus, vt in metu adhuc sit adolescen-

centulus. Quartum, confirmatum in litterarum ſtudio animum deſiderat: itaque eiusmodi leges postulat, vt obſeruantiam praeſtent auditores, & qui docent, retineant auctoritatem, & in obtemperando obſequium voluntatum, &in praecipiendo ſeueritas ſit liberalis.

§. III. Diuidemus igitur omnes ordines in duo genera. Vnum eſt pueritiae, quod neceſſarias, perpetuasque auſcultationes habet: alterum adultae aetatis, quod publicas, atque liberas requirit. Puerili educationi annos nouem damus: publicae auſcultationes vtique quinque ſibi adſumunt. Itaque fiet, vt etiamſi ſeptimo anno puer ad magistros ducatur: tamen vigeſimo primo per omnes ordines ſit progreſſus.

CAPVT XI.
QVO TEMPORE PVER DVCENDVS SIT AD MAGISTROS.

§. I.

SEd non idem in omnibus ingenii lumen eſt. Excellentes quaedam naturae ſunt, quae quinto anno litterarum vim, & legendi rationem conſequi poſſunt: quaedam etiam vix ſeptimo excitantur, quamquam, qui id tempus excedant, ſi ſtupor maneat, raro ad frugem perueniunt. Sed vt illae, quae celeriter & cito incipiunt, aliquando praeproperae ſolent eſſe; & aetate deprauari; ſic illi, qui vix ſeptimo anno excitantur ſaepe firmius iudicium, & conſtantiorem voluntatem conſequuntur.

§. II. Medium igitur tempus, ſextum annum, idoneum ad discendum omnibus ſtatuimus, vt ſimulac puer annum quintum egreſſus eſt, & ad ſextum aetate peruenit, disciplinae tradatur. Qui vero ante eam aetatem adſequi grandiores poſſunt,

magna de se signa dant, talis naturae, quali dialecticos praeditos esse vult Socrates & εὐτραχεσάτους nominat, quibus scilicet celeres motus sunt ad intelligendum.

CAPVT XII.

QVOT ORDINES NECESSARIARVM AVSCVLTATIONVM.

§. I.

CVm primum igitur infantiae anni praeterire, & aduentare pueritia incipiet, committendus puer est, litterarum doctoribus, & ducendus paullatim per omnes huius disciplinae ordines. Horum numerum annis illis definimus, quos dedimus puerili educationi. Sint igitur nouem ordines, siue curiae, siue classes, aut etiam tribus, aut quocumque modo adpellare libet, quemadmodum anni sunt etiam nouem. Ex his orationi latinae atque dilucidae septem constituimus; reliqui duo ad comparandum ornatum idonei sunt, cuius prima praecepta in his duabus curiis traduntur: exercitatio autem iustior atque maior facultas illis quinque annis, quos liberis scholis atque apte dicendi generi necessarios putamus, accedet. Vt enim pura & perspicua oratio, coniunctam doctrinam habet, & sunt, ἀντίστροφα; sic etiam ornatus esse vix vllus potest, si sit ineptus, & aptum nihil dicitur, quod est inconditum.

§. II. Fui aliquando in ea sententia, vt sex ordines sufficere putarem, sed vsus hanc partitionem vtiliorem docuit. Septem igitur annos matri ad educandum & ludendum cum puero damus: quatuordecim debentur magistris: neque poeniteat ante vigesimum primum non exire e scholis puerum. Ante enim id tempus & matrimonia & publicae curationes inutiles sunt: sed hoc curriculum, litterarum palaestrae & ludo aptissimum est.

Cap.

CAPVT XIII.

ORDINVM VTILITATES ET SINGVLORVM ORDINVM DISTINCTIO ET QVOMODO EXCITANDI PVERI

§. I.

EST autem in hac distributione tum necessaria quaedam vtilitas; tum eiuscemodi oblectatio, quae pueritiae studiis est, accommodata. Nam fieri non potest, vt vnus omnia docere possit: & nisi certus contestatusque adscensus inueniatur, accidit plerumque, vt a vero itinere non solum ignoratione, verum etiam cupiditate aberremus. Nostris etiam temporibus quotusquisque est, qui vigesimo primo anno aliquod praeclarum doctrinae documentum statuerit. Vix quinquagesimo adsequimur, in quo statim iuuenes decebat excellere. M. Cicero annos natus viginti sex, nec amplius orationem pro P. Quintio & Sexto Roscio habuit: quis postremis hisce saeculis e vita excessit, vel senex, qui tale post se exemplum reliquit? At neque libri nobis desunt neque ingenio carent homines nostri, labore fortassis etiam non cedunt: duo tantum desunt Romanus sermo: & recta ratio, vetusque disciplina, quorum vtrumque comparandum est, antequam perfectum aliquid exspectemus.

§. II. Sunt aliae multae vtilitates, quas hic commemorare non est opus. Delectatio vero in eo est, quod quasi imaginem exprimat, ciuitatis & integrae reipulicae. Tres enim illi viri omnium praefecti, quos senatus constituit, quasi Aristocratiae faciem repraesentant: & alteri tres, qui intermedii sunt, inter hos tres, quos dixi, & inter moderatorem disciplinae, tamquam administri sunt, si quid extra ordinem sit deliberandum. Tota deinde multitudo, vt omnes ciues, sic in ordines, quasi in tribus atque classes digesta est, quibus singuli doc-

to-

tores, tamquam plebi curatores, aut etiam tyronibus magiſtri, ſunt praefecti. Ordines vero per decurias diſtinguuntur, ex quibus decuriones deliguntur animaduerſores morum, & exactores officiorum. Ipſe etiam moderator ita praeeſt, vt innoxius dictator, qui magiſtratui potentiori ſubiectus, tum demum laudem obtinet, ſi recte regat, & magnos vtilitatis fructus praebeat. Praemia etiam ſingulis ordinibus ceu fortibus ciuibus proponuntur, cum progreſſio quotannis fit ad loca ſuperiora, de qua eſt etiam explicandum.

CAPVT XIIII.

DE PROGRESSIONIBVS ORDINVM.

§. I.

MVltum excitat adolescentes, cum quantum profecerint animaduertunt. Plerumque etiam poſteriora faciliora putant, cum priora ſuperarunt. Vnde illa Aeneae cohortatio,

O paſſi grauiora: dabit deus his quoque finem.

ſolemnis debet igitur quotannis adſcenſus ad ſuperiores ordines fieri: ad quem non ſolum magiſtri venient, verum etiam omnes praefecti, cum theologis, atque puerorum parentibus ac amicis. Duobus etiam in ſingulis ordinibus, qui maiores, quam ceteri, profectus fecerunt, praemia danda ſunt induſtriae atque virtutis. Et quoniam ea in re gratia ſuſpecta ſaepe eſt, ius erit inferioribus congredi, cum his, qui praepoſiti ſunt, & ſtilo & oratione, & disputatione contendere, vt, ſi par ſit, qui concertat, eodem praemio adficiatur: ſi imbecillior, redeat tamen ad ſuum locum, cum nullo dedecore.

§. II. Calendae octobris vtiles ſunt ad eam progreſſionem. Aut enim deſinunt tum morbi, aut nulli ſunt, aut ſi ſunt, vitari poſſunt. Medium eti-

etiam tempus est, vt neque nouo labori hiemis inclementia obstet, neque finis aestatis fastidio adficiat adolescentes, qui se tum ad calendas octobris praeparabunt.

CAPVT XV.

POSTREMVS ORDO HOC EST NONVS.

§. I.

EST autem a postrema parte sumendum principium. Itaque sub quintum sextumue annum ad eum ducatur, qui litterarum figuras, coniunctiones, sonosque docet: cui cognitioni nonam tribum, primumque & vnum annum damus. Sed cum duo proposita sint, ad quae illa tria referantur, lectio atque scriptura, quod omnibus praecipiendum est, hic primus tenere debet, vt, quod optimum est, sequatur. Doceat igitur litterarum figuras, quoad potest elegantissime ducere atque repraesentare, & earum sonum plene, & vt decet exprimere. Tradat ergo linguae; & spiritus, & vocis moderationem: in quo videndum est, ne quid quod putidum, obscurum exanimatum, inflatumque grauius sit exprimatur. Vox lenis, non aspera; spiritus plenus, non anhelatus; sonus pressus & aequabilis, non vastus aut hiulcus, aut rusticus esse debet.

§. II. Qua in re vulgi consuetudinem improbare, cum fit recte, licet: sed quod doctissimi faciunt, id semper est retinendum. Qui optime pronuntiant, multa cum Graecis & Italis communia habent: sed quaedam habent singularia. In Germanis multa sunt corrigenda: plura in Anglis & Gallis. Itali peccant minus. Sed nemo in litteris nonnullis non vitiosus aut singulis, aut connexis.

§. III. In docendo etiam morum curam hic agere decet. Itaque in catechismo exerceatur adolescentu-

tulus. Is breuis sit, vt statim transitus fiat ad nominum & verborum inflexiones, quarum certa exempla, eaque generalissima sunt deligenda. Si recte institutio accommodabitur, in quo non praua natura est, vno anno & legere discet, & inflectendi formas communes mandabit memoriae. Quibus vero aliquid supereſt temporis, his faciliores & breuiores Ciceronis epistolae sunt proponendae, quales illae sunt, quas ad Terentiam vxorem, & quaedam, quas ad Tironem Libertum scripsit. Nos tres libros ex omnibus epistolarum voluminibus elegimus: in quibus non, quid doctissimum sit, spectauimus, sed quae maxime idonea huic aetati essent, congessimus, neque scio, an quidquam sit, quod vtilius a principio proponi possit.

CAPVT XVI.

ORDO OCTAVVS.

§. I.

AD octauum ordinem illis, de quibus dictum est, iactis fundamentis, prima studiorum progressio, primaque industriae exercitatio fiat. Nam, qui praemia acceperunt, conabuntur, vt sequenti anno, partum honorem non perdant, & ad nouam laudem viam munient: &, qui postremi fuerunt, vt ne rursus vincantur, elaborabunt, & nitentur pares esse doctioribus, aut etiam antecellere. Diligentior tum primis sex mensibus tradenda est grammatices partitio, verum neque obscura, neque ad omnes exceptiones deducta. Duabus quotidie horis opus est ad hanc explicationem.

§. II. Id quod reliquum temporis est eclogis Vergilii & epistolis Ciceronis est tribuendum. Est autem id duarum horarum: quasi enim quatuor horis doceatur, ita praecipio. Dissolui epistolae debent, & flectenda atque varianda verba singula, eaque rursus coniungenda, & vniuscuiusque con-

se-

ſecutionis tradenda ratio. Sed rationem conſtruendae orationis in poſteriores ſex menſes differo, cui doctrinae horae duae quotidie ſunt transmittendae: alteras duas, vt ſuperioribus ſex menſibus, in epiſtolis Ciceronis, & Vergilii eclogis alternatim ponere oportet. Conſuescere hic puer latino ſermone incipit & propoſitas ſermone quotidiano ſententias formis latinis commutare. Haec enim exercitatio recte ſtilum praecurrit. Carmina etiam modulari tum debet magiſter: idemque puer conſuetudine atque exercitatione magis, quam ratione, imitari. Quodcunque autem traditur, niſi id apertiſſime explicetur, vitioſum eſt.

CAPVT XVII.

ORDO SEPTIMVS.

§. I.

VBi ad ſeptimam tribum adſcendit, colligere poſt vires ingenii illa aetas incipiet, & de ſe aliquid promittere. Cognita enim hic tum ſunt magna ex parte nominum verborumque, & genera & inflexiones: praecepta etiam non ignorantur orationis coniunctae. Sed repetenda haec ſubinde ſunt, & renouanda memoria. Quapropter recte diſtribuenda tempora ſunt: vt ne horum reuocatio, inſequentium rerum cognitionem impediat. Verborum enim atque ſyllabarum omnium tempora atque morae ſunt perdiſcendae: neque ignorandi orationum modi, & verſuum genera: ſed ſatis eſt, horam vnam huic praeceptioni quotidie dare. Nam neque multis tradenda eſt, & ſi quid deerit, quod cauere, ne ſit nimium, oportet: ſi quid tamen deerit, in ſextis conſummabitur.

§. II. Proponendi hic duo ſunt, illi libri Ciceronis & elegantes & pii, & ad intelligendum faciles, vnus de *amicitia*, alter de *ſenectute*. Atque his

his alteram horam vacuam cetero labore volumus. Tertiam Poetae sibi vendicant. *Aeneis Vergiliana* virtutes omnes heroici versus habet: reliqua genera ex Catullo, & Tibullo, & Horatio sunt congerenda. Plura ex Catullo & Tibullo, si essent pudica: sed si id non licet, & si quae desunt: meliora enim vix apud ceteros inuenias: tamen quae desunt, ex Horatio colligantur. Sed nihil in pueri aures atque animum intret, quod non sit pudicum, pium, elegans, liberale.

§. III Stilo quartum discendi tempus concedatur, propterea quod in proponendis argumentis & corrigendis scriptis vtilitas magna posita est, & plurimum temporis consumitur. Si quid autem supererit; id ei rei, quae magis egebit explicatione, licebit surripere. Sed eruenda sunt argumenta ex illis, quae audierunt pueri, vt cognoscant, vnde sint capienda vocabula, & sententiarum formae.

§. IIII. Distinguenda quoque diligentissime poetica verba & figurae, ab oratorum puritate, cogitetque, nihil, quod non legerit in Cicerone, aut non permiserit magister, esse oratorum. In carminibus faciendis subleuanda pueri industria est. Est enim per se molesta, idque principio, scribendi consuetudo. Poetarum vero oratio eo plus habet difficultatis, quo coniunctior est atque adstrictior verborum continuatio. Quocirca transponenda bonorum carminum verba sunt primis mensibus, vt solum in structura laborent: post sententiae liberae proponendae, sed tamen omnes, vt harum inuestigatione non habeat opus, sed in verborum inuentione & connexione sit occupatus.

CAPVT XVIII.

DE MEMORIAE EXERCITATIONE.

§. I.

TRes isti ordines magnam requirunt memoriae exercitationem. Nam eiuscemodi praecepta sunt

sunt, quae traduntur, vt omnia illa teneri memoria, eaque perpetua debeant. Itaque non plus legendum est, quam recordandi vis possit sustinere. Quarumdam tamen rerum intellectarum loca vtilius notantur, vt exceptionum, quam res ipsae statim animo insculpantur. Sed sunt quaedam, quae statim teneri perneceſſarium est, vt καταλήψεις artis & inflexionum formae atque exempla. In Cicerone & Vergilio haud scio vtiliusne sit omnia, quae leguntur, an ea solum, quae insignem habent imitationem, posse memoriter commemorare. Inconsulta enim adhuc illa tum aetas est, & multa mandanda, quae sua sponte non faciet: neque satis illud discitur, quod, cum opus est, nos fugit.

§. II. Itaque quotidie aliquid proponendum non solum ad intelligentiam, sed etiam ad memoriam exercendam: verum, vt dixi, quantum vires, rerumque natura ferre potest; tantum est imponendum. Repetenda etiam modico interuallo ad cogitationem renouandam, quae semel didicerunt, saepenumero & statis temporibus.

§. III. Sed illustriores fiunt animi sensus, ipsaque reminiscendi facultas magis illuminatur, & singulorum facilior est & inuentio & vsus, si partiantur, & communibus quibusdam indiciis, quasi membratim inciſimque ad generalia capita congerantur, vt quae mens ipsa composita memoriter recitare potest, sciat etiám, quibus in locis eadem dissoluta atque distincta inueniat. Quemadmodum enim valde nos illae tabulae cosmographorum excitant, atque illustrant sensus, quae eadem loca descripta habent, in quibus aliquando versati sumus; ita etiam vasta sunt illa composita, quae animo comprehendimus, propterea quod vna in re, omnia stilus non complectitur, sed cum vnum in locum adnotando cumulantur, explicant sese, & clarius intuenda proponunt.

CAPVT XVIIII.
DE RATIONE DOCENDI ET DE HORIS.

§. I.

SEd alio loco tradenda est haec ratio resoluendi: nunc vero, antequam ad sextum ordinem veniamus, breuiter de modo explicandi, & de horis, quibus docendum est, quaedam interponamus. Neque enim onerandi sunt longis lectionibus pueri: neque satis est, magistrum praestantissima deligere, eademque intelligere: sed in explanando expeditissimam vtilissimamque viam cognoscere atque inire oportet.

§. II. Qua in re vituperandus illorum mos est, qui continentibus multisque horis aures occupant auditorum; neque satis esse putant, id solum explicare, quod est in scriptore; neque sufficere posse putant inchoatam saepe alicuius rei cognitionem: sed omnia conantur vno in loco docere, & plerumque aliena adferunt, quo quam diligentissimi, & quam doctissimi esse videantur. Equidem fateor semper aliquid vel audiendum, vel legendum, vel scribendum, vel cogitandum atque quaerendum esse: sed fastidium parit continuata & prolixa attentio: varietas vero satietatem & offensionem auffert, & habet voluptatem. Relaxata scholarum contentio domestica studia & secretas cogitationes excitat.

§. III. Quatuor aut ad summum quinque, sed non pauciores quam quatuor, neque plures, quam quinque horae sunt imponendae magistris. Hae pro locorum & temporum & consuetudinum ratione sunt distribuendae. Facilitas in explicando semper tenenda est, vt, quaecumque audiant iuuenes, queant etiam intelligere. In postremis istis ordinibus verba tantum, & verborum coniunctiones tradendae, & sententiarum for-

formae interpretandae ita ſunt, vt & ſenſa illarum conſequantur, & cognoſcant, quibus in locis ſimilibus vti liceat. Primi autem conſuetudinum, hiſtoriarum, conſiliorum, ornamentorum, & inſignium locorum, qui in arte continentur, explicationem requirunt. Verum diſtribuenda ſuis temporibus omnia ſunt: neque artificioſi doctoris eſt, quidquam alieno tempore exponere, aut commemorare. Deliberare igitur ſemper, cum re, & cum viribus ingeniorum oportet. Ex quouis enim ligno Mercurium velle facere, ineptum eſt.

§. IIII. Haerere etiam atque ſedere vno in loco diu, obſtat & officit celeritati atque feſtinationi mentis. Sed & praepropera feſtinatio ſenſus fatigat, & conturbat memoriam. Medium tenet, qui mature agit, neque plus proponit, quam ingenia ferre; neque diutius immoratur, quam res, quae ad cognoſcendum exponitur, requirere videatur. Varietas etiam eodem die vitanda eſt, illa inconſiderata, quae fit aut ſingulis, aut iisdem horis. Quae dierum interualla habet, vtilior eſſe ſolet: ſed numquam ad noua veniendum eſt, antequam ſusceptum argumentum perficiatur. Inchoatam enim aut argumentationem aut narrationem, aut artis caput, intermittere, & aliquid interponere, intelligentiam diſtrahit, memoriam confundit, & mentem, quae ſemper ad perfectionem peruenire conatur, grauat. Plura eodem die, quam tria, exerceri, viruperandum eſt. Vtilius eſt in duobus conſiſtere: ſed aliquando neceſſarium eſt, tertium adhibere.

§. V. Quantum vero pueri intelligant, & quantum conſecuti ſint, facile cognoscunt tum doctores, cum, quae audiuerunt, quaſi repetunt interrogationibus, quae breues ſint & apertae. *Cauendae enim omnino ſunt in ſcholis illae orationum longae & concitatae circumductiones*: quas etiamſi animi celeritas adſequatur; tamen memoriae fidelitati ſemper eſt

inimica: mentis etiam vegitationi, quae ſpatium ſaepenumero ad meditandum requirit, eſt ingrata.

CAPVT XX.
ORDO SEXTVS.

§. I.

NOn mihi dubium eſt, quin conſequatur puer, quod pollicemur, tribus hisce annis: vt latinae atque dilucidae orationis praecepta teneat; ipſe etiam vim aliquam faciendi ſimilia comparet, ſi ingenium ſtudiumque non deſit, & ſi recte, atque hac ratione inſtituatur. Poſt nonum igitur decimumue annum ingredi puer in eum locum debet, in quo educantur, quibus praecepta reducenda potius in memoriam ſunt, quam tradenda noua. Itaque niſi quid addendum ſit, quod antea doceri non poterat; vacatio praeceptorum danda eſt eo anno, & ſolum cognitarum rerum memoriae conſulendum.

§. II. Id commode in oratorum & poetarum explicatione fieri poterit. Pergere hic in Aeneide adhuc debent, hora vna, & abſoluenda ſunt ea, quae ex Catulli & Horatii collectis carminibus reſtabunt. Deligendi etiam ex Cicerone ſpecioſi, & illuſtres quidam loci, vt ſunt magnarum rerum infinitae quaeſtiones, vt commemorationes, quae aliquam laudem, aut vituperationem, aut ſingularem quemdam vel ordinem vel munitionem habent. Sunt etiam argumentationum pulcherrimarum exempla nonnulla, quae recte ad imitandum proponuntur. Quidam ſunt quoque in Ciceronе ſententiarum circuitus, qui ornatum ſummum, qui figurarum non vnum genus habent, & vtiliter mandantur memoriae. Ipſae praeterea figurae varie & ſingulari ſaepe ratione commiscentur: quae niſi notentur, occurrere in ſcribendo

non

non ſolent. Illa omnia huic curiae tribus libris congeri ac diſtingui velim.

§. III. Scio equidem vituperandos eſſe illos libros, qui nobis pueris legebantur, & ex ſcriptoribus ſine ordine coactas ſententias habebant, breues illas quidem, & ſubtiles, & elegantes; ſed hoc genus memoriam vaſtat, aciem ſtili diſtrahit, & ſaepe facit, vt multa inepte ſcriptis interponantur. Sed quemadmodum ſummi oratores quaedam in forum, Athenis & Romae, ſcripta attulerunt; cetera parua commentatione quaſi ante delineata dixerunt ſubito: ita etiam ego in ſcholis fieri velim, vt quae ab oratoribus non potuiſſe dici videantur, niſi ante domi compoſuerint, ea certo iudicio ſeligantur, & adferantur in ludum.

§. IIII. Neque inutile eſt in hoc loco, etiam ex aliis ſcriptoribus aliquid ad cognoſcendum interpretari. Medii ſunt inter oratores, & Tragicos & Epicos & Melicos, poetae, hiſtorici, etiam comici: qui & ipſi poetae quidem certe ſunt, ſed tamen ſtructura magis & argumenti genere, quam verbis atque ſententiis. Hiſtorici poetica multa habent, verba ſcilicet & formas ſententiarum: ſed plura ſunt oratorum. At vtrique quaedam habent peculiaria. Nam hiſtorici temporum ſaepe, vt tum vſurpabantur, vocabula retinent, & liberum quidem compoſitionis genus habent: ſed ad legendum diligenter, quam ad recitandum celeriter aptius. Caeſarem excipio, qui oratori, quam hiſtorico, ſimilior, ſuas res quotidiani ſermonis verbis maluit conſcribere. Itaque hunc ſolum in ſextam tribum admitto. Vtilis enim in iſto loco voluptas erit, ſi inter Terentium & Plautum interponatur. Etiam Saluſtium darem: ſed transfertur vtilius in quartam, quod etiam in Plautinis malim teneri. In Terentio eſt, *adpellere animum*, pro adplicare ſeſe, & *occipere*, pro incipere, & *proh*

De-

Deum atque hominum fidem: etiam in Plauto, tum similia tum etiam plura sunt, & libenter vterque postponit pronomina, in clausulis sententiarum. Sunt alia multa eius generis, quae notare quidem pueros, sed non vti velim, nisi in re simili, aut cum potest fieri decore, id quod a magistro est demonstrandum.

§. V. Oratorum stilus genus aliud orationis facit, & audaciores translationes similitudine explicat. Sic Catulus in secundo Ciceronis libro de oratore, *timide tanquam ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentem ad philosophiam adpulisti*; eodem verbo vsus est ille senex, quo Terentius, sed oratorum more, expressa similitudine.

§. VI. Sed Terentio post Ciceronem nihil vtilius est: purus est sermo, & vere Romanus: verum vt oratorem statim & recte sequitur; sic sine imitationis vitio non potest praecedere. Est enim ibi aliud orationis, quam illud genus dicendi oratorum: quod tametsi ab omnibus adiumenta capiat; vult tamen principio ex suis fontibus vt perlucidus amnis defluere.

§. VII. Habebunt igitur praeceptores, quod duabus horis in gymnasio explicent. Tertia hora id iterarem atque redintegrarem, quod esset vtilius: id quod saepe ad stilum est adcommodandum. Cum enim carminis argumentum propositum est, recte Vergilius bis recitatur: cum vero epistolae, aut argumentationis, aut loci communis, vtilius in tribus libris, de quibus dixi pergitur. Mutari hic ordo non debet, nisi cum res tempusque postulat. Quartam horam scriptarum compositarumque rerum emendationi damus: neque poenitere nos debet, eius temporis, quod in hac consumimus. Sed fit aliquando, vt sit aliquid legendum. Itaque libenter hoc tempore Caesarem & Terentium proponam alternatim & explicatione menstrua.

Cap.

CAPVT XXI.
ORDO QVINTVS.

§. I.

SVperior annus quasi finis est eius disciplinae, quae latinae, purae atque apertae est orationis, & relaxationem quamdam praeceptionis concedit: hic autem illa repetenda est, & ad linguam graecam est transferenda. Huc vsque enim in latinae linguae elementis, tanquam Romae atque in Latio, versata pueritia est: nunc veniendum ad graeci sermonis consuetudinem, ceu Rhegium, aut ad aliquam ciuitatem aliam, ad quam graeci negotiatores commeunt, & in qua ipsi doctores, quasi eius ciuitatis ciues, quae commercium cum Graecis habet, vtriusque sermonis sint periti.

§. II. Sex igitur primis mensibus semel quotidie, ex graecae linguae grammaticis praeceptis aliquid proponatur: in quibus quoniam multa cum latinis communia eademque sunt, facilis est & cognitio & memoria. Secundum illos sex per tres eius anni insequentes menses, fabellae Aesopi graecae, paucae & faciles, conuenienter explicabuntur: quibus postremo trimestri tempore Olynthiacae Demosthenis succedent. Haec igitur in eum annum vnius horae sit occupatio.

§. III. Alterius labor in Ciceronis libris, quos *de officiis* scripsit, suscipiatur, si tres illi libri, qui ad sextum ordinem adferuntur, sint perlecti. Non enim inutile est tertium huic loco relinquere, si absolui nisi praepropera festinatione non possit. Bis in Cicerone vtilius quotidie est versari in hac curia, quam in poetis: quare tertia hora, tametsi Georgicis Vergilii destinata sit, & primis mensibus tribus legenda ea sint continenter, tamen in sequentibus recte interponetur Ciceronis aliqua oratio, qualis est illa *pro lege Manilia*, aut pro *Q. Ligario* habita.

§. IIII. Quartam horam ſcripturae & compoſitioni relinquo: verum coniungi huic debent rhetorici libri de orationis ornamentis ſcripti, quae ex illa enumeratione, quae eſt apud Ciceronem libro tertio de oratore, & in oratore ſunt petenda. Sed perficienda atque explicanda horum praeceptio ex Hermogene. Elocutio enim ideo praecedere inueniendi rationem debet, quod ad cognoſcendum faciliora ſunt ſingula orationum ornamenta: inuentio melius inter ſcribendum principio vltro a pueris & a natura adhibetur, quam ab iisdem docendo poſſit intelligi.

§. V. Itaque verborum maior hic copia comparanda eſt, & cumulandae ſententiarum formulae. Nam hae ſonum & ſententias ipſaque argumenta adferunt, & ſaepenumero ſunt informatae atque figuratae. Multos videmus, qui in quotidiano ſermone prudentiam prae ſe ferunt: at in lingua latina aut graeca, parum ab ignaris atque indoctis differunt. Hoc non rerum ignoratio neque ſententiarum deſtitutio, ſed verborum penuria parit. Vtiliter igitur cum ſtili exercitatione, atque correctione ſcriptorum, coniungentur modorum atque figurarum partitiones, quae in tradendo ſingula indicari debent: mixta vero atque variata, commonſtranda ſunt in ſcriptoribus.

CAPVT XXII.
ORDO QVARTVS.

§. I.

QVinto demum anno tentandum eſt, vt aequabiliter in graecis atque latinis progrediamur, & coniungamus cum Cicerone Demoſthenem, & cum Vergilio Homerum, alternatim horis duabus. Nam tertia primis ſex menſibus grammaticae adhuc graecae eſt impendenda: in qua quaedam fortaſſe de

de orationis ſtructura & de ſyllabarum moris atque accentibus reſtabunt.

§. II. Praecepta rhetorica quartum locum cum ſtilo occupabunt, qui hic incipit eſſe ornatior & ipſis praeceptis conſentiens. Omnes libellos rhetoricos Ciceronis *partitiones* ſuperant, ſi recte explicentur, & mandentur memoriae. Sed praecepta Herenniana, quae libro primo tradita ſunt, in hoc loco ante partitiones praenoſcuntur celerius, neque ſine fruge.

§. III. Saluſtius poſt hanc praeceptionem adiungi poteſt, & Plautus, non exemplorum gratia, quae in Cicerone & Demoſthene duabus horis demonſtrantur, ſed ob hiſtoriam & ſingulare genus orationis, in quo cum iudicio verſandum eſt. Saepe enim cum decore adhibetur, elegantiſſimum eſt in oratore: vt in Cicerone Terentiana ſunt, quibus ſic vtitur, vt non ſolum ornata, ſed etiam neceſſaria fuiſſe videantur.

§. IIII. Qui huic loco praefectus eſt, quomodo vtendum iſtis ſit, doceat, & congeſta habeat, atque deducta per ſua capita, quaecunque lecta ſunt per hosce ſex annos, ita vt vulgata, & in conſuetudine poſita, a poeticis & hiſtoricis ſint ſeparata.

CAPVT XXIII.

DE RESOLVTIONE ORATORVM.

§. I.

HAbent enim omnes artes propriam, quamdam reſoluendi rationem: ſed eam velim ita tractari ab oratore, vt non ſolum cognoſcat, quid factum ſit ab aliquo in oratione, quem vel legit vel audit, aut etiam quomodo id ſit confectum: ſed vt & ſimilia ipſe efficiat, & quaſi quemdam penum congeſtas omnes & res & rerum ſententiarumque formas, & earum partes, hoc eſt, verba habeat, &

plena possideat omnia loca artis tamquam copiosus & locuples paterfamilias.

§. II. Sit igitur illa oratorum ἀνάλυσις orationis compositae solutio, & reductio ad locos tum verborum tum rerum tum artis. Quae verò reducuntur, etiam notari a studioso & congeri, & ita deduci per capita membraque debent, vt quodcunque in animum atque nostram linguam cadit, etiam inuenire possimus, quibus id verbis, vel graece, vel latine, exprimere concinne & docte possimus. Verborum locos adpello, qui in ipsis sententiarum formis reperiuntur: vt in his duo latent loci, *aliquem aliquid colere*: *aliquem amicitiam colere*.

§. III. Partitio horum recte ex ordine naturae petitur: qui cum a nobis intellectus erit, facile, vbi vnumquodque vestigandum sit, cognoscemus. Est autem illa diuisio humanae naturae adcommodata, qua res omnes in ea, quae sunt in natura, & ea, quae non sunt, partimur. Esse dico non solum οὐσίας, & quae ὑφεστηκότα nominantur: verum etiam illa, quae dicuntur accidere, nouem rerum adtributa, quae sunt apud Aristotelem. Non sunt autem particulae ac vincula orationis. Rursus eorum, quae sunt, vtrumque aut diuinum est, aut naturale, aut humanum, neque quidquam est in natura rerum, quod non ad horum aliquod referatur. Quod vero diuinum est, aut est re vera id, quod esse dicitur, vt *deus*, *angelus*, *caelum*: aut falsum est, & ex errore natum, vt *Iupiter*, *Iuno*. Eamdem etiam diuisionem habent, quae ad haec duo pertinent atque adhibentur, vera scilicet religio, falsusque cultus. Naturales autem res, aut simplices sunt, vt *elementa & naturae quatuor*: aut compositae: quae vel sensu praeditae sunt, vel sensu carent. Rursum quae sensu carent, aut sub aethere in ipsoque aere generantur, vt *fulgur*, *fulmen*, to-

tonitru, *nubes*, *pluuia*, *nix*, *grando*: aut ex aqua terraque ſumuntur, vt *mare*, *fluuius*, *inſulae continentes*: quae vero ſentiunt, ſimilem diuiſionem habent, & aut in aere, aut aqua, aut terra degunt. Latiſſime fuſus eſt ille locus: neque hic propoſitum eſt, omnia perſequi. Naturalia voco quaecunque ortum & occaſum ſentiunt, praeter hominem, cui propter dignitatem proprium locum tribuo.

§. IIII. Illa igitur humana ab eo, vnde nominata ſunt, hoc eſt, ab homine incipiunt. Huic deus vitam largitus eſt, & propter hominem cetera quoque animantia in lucem produxit. Homo igitur vitaque proponatur, ac ſub vtroque ambos ſexus marem atque feminam complectamur. Recte enim coniunguntur contraria: itaque ex altera parte mors etiam vitae opponitur. Hominem praeterea in corpus animumque ſecamus, & ambo proprias ſuas habent partes, officia, ſitum, figuram, quae a medicis & phyſicis ſunt petenda. Sed hoc animal, quod homo adpellatur & ceteris omnibus praeſtat, tria bonorum genera, tamquam *agros* & *praedia* poſſidet, vt animi, vt corporis, vt fortunae, vt *iuſtitia*, *ars*, *ſanitas*, *libertas*, & quae ab his ſunt orta, vt a iuſtitia, *ius*, *iudicium*, *hereditas*, *proprium*, *alienum*, *poena*, *praemium*: ab iniuſtitia, *caedes*, *rapinae*, *adulterium*. Contraria enim, vt dictum iam eſt, ſemper ſunt componenda. Omnia haec proprias actiones & priuatos effectus habent. In animo eſt *cogitatio*, *ratiocinatio*, *recordatio*: in corpore *ingreſſio*, *ſtatus motusque*. Sed hae actiones vel neceſſariae ſunt, & natura fiunt, carentque ratione, vt *crescere*, *marcescere*: item quaſi neceſſariae, vt *edere*, *potare*, & ceterae, quas nominare turpe eſt: vel voluntariae, vt *ambulatio*, *nauigatio*. Has actiones quaedam praecurrunt aut ſunt coniuncta, vt *locus*, *tempus*, *facultas*, *inſtrumenta*, *cauſſae*: quaedam

vero

vero ex omnibus conſequuntur, *vtile, honeſtum*, quibus adiungi, ſed ſeorſum poſſunt, *facile difficile*. Inter praecurrentia etiam locum habet, *multitudo*, *copia*, *varietas*, *paucitas*, *ſolitudo*. Generæ quoque rerum effectarum, *nouum*, *iucundum*, *admirabile*, ceteraque eius generis recte hisce adnectuntur. Operoſum eſt hoc in loco omnia enumerare: viam indico, perquam non difficile iter erit, quibus propoſitum eſt ingredi.

§. V. Verborum igitur loci, ex hac partitione diſtribuendi ſunt; ſed diſtinguuntur hi ipſi locis rerum quatuor, *ſubſtantia*, *quantitate*, *qualitate*; & duobus aliis, ex quibus vnum facio, *actione* ſcilicet & *paſſione*. Philoſophorum haec ſunt & nomina & inuenta, ſed maximas etiam oratori vtilitates adferunt: & neceſſaria ſunt in omnibus artibus ac disciplinis. Omnia igitur quae diſſoluuntur ex illis, quae eſſe in natura dicuntur, per haec quatuor diſtincta loca requiruntur.

§. VI. Sed & illis, quae accidere dicimus, quaſi ſub ſenſum cadant, vtimur. Itaque ad primum genus & *oratio* & *orator* deportatur: ad alterum *oratio prolixa*, & *orator copioſus*: ad tertium *oratio ſuauis*, & *ornata*, vt etiam ſuauem & ornatum oratorem adpellamus. Ad poſtremum *orationem habere & dicere & perorare*. Ita ſingula diuiduntur attributa, in res & perſonas. Vtrumque vel ſimplex eſt, vt *oratio*, *lingua*, *eloquentia*: vel coniunctum, vt *oratio atque lingua*, *vis eloquentiae*, *ſapientiae eloquentiae*; *dicendi ſcientia*. Omnia vero ita inter ſe connexa ſunt, vt antecedentia, media & conſequentia. Sic enim differunt *conſuetudo*, *amicitia*, *beneuolentia*. Naturae quoque ordo in actionum varietate poterit teneri, vt *orationem inſtituere*, *orationem facere & ornare*, *orationem perficere & perpolire*. Sed actio etiam atque paſſio per duo illa media diſtinguuntur genera.

Di-

Diuiſa enim ſuis locis ſunt, *aliquem habere multam orationem de re aliqua*, & *eſſe alicuius orationem perelegantem & perſubtilem*. Ad contraria vero certo ordine veniendum eſt: in amicitia enim primum eſt, *deligere amicos*, deinde *amare*, *poſt augere*, *hinc confirmare*, ex hoc *permanere*, *florere*. Offenſiones etiam exſiſtunt: & irrumpunt ſaepe in amicos amicorum vitia: inde *laedere*, ex quo *offendere*, & *discindere amicitias contingit*, tandem etiam *capitali odio disſidere*.

§. VII. Sed haec hactenus de verborum & rerum locis. Sunt etiam artis, hoc eſt, rationis dicendi alii loci, de quibus in rhetoricis libris explicabimus. Nos, ſi deus nobis vitam largietur, pleniora haec atque perfectiora paucis annis edemus: neque video, quae via melior eſſe poſſit, quam haec, adſequendi eam orationis copiam & puritatem, qua noſtris ſcriptoribus veteres praeſtant. Procul enim adhuc omnes abſunt ab eo fine, quem propoſuerunt, & adhuc homines iudicare melius de re facta poſſunt, quam perfectum aliquid conſummatumque dare.

CAPVT XXIIII.

DE RATIONE COMMENTANDI.

§. I.

LOngius ab inſtituta oratione digreſſi ſumus: redeundum igitur ad quintam tribum eſt, & addenda quaedam ſunt, quae deeſſe videbuntur. In hoc itaque ordine non contenti eſſe debemus ſcribendi exercitatione, verum memoriter etiam quaedam non ſcripta recitanda ſunt. Argumento igitur ad narrandum, aut probandum, aut amplificandum propoſito, dandum ſpatium eſt diſcipulis eadem hora, qua docendum erat ad cogitandum, vt quod antea ſcriptum adferre conſueuerant,

rant, id iam meditatione atque cogitatione comprehensum pronuncient. Tria enim in scholis facimus dictionum genera: vnum scriptum: alterum subitum: tertium, quod intermedium est, & meditatum.

§. II. Sed a stilo principium faciendum est, inde recte ad commentationem fit progressio: subitae dictiones suscipi non possunt, nisi post diuturnam & adsiduam scribendi atque commentandi consuetudinem. Commentatio recte instituetur, quemadmodum & ipsa scriptura in rebus notis atque quotidianis, aut si illa latine & aliena lingua recitent, quae in graecis scriptoribus sunt interpretata: quales sunt Homeri & Demosthenis narrationes, laudes, vituperationes, amplificationes & loci communes. Sed poetica ita referenda sunt, vt foro & circulis quam theatris atque orchestris sint, similiora. In oratoribus etiam liberam volo linguam, vt illa solum retineantur, quibus nihil potest esse melius: quae vero similia sunt, commutentur, si videtur, & quae deteriora; quod fieri solet in formis deterioribus, aut vocabulis peregrinis, illa semper tollantur. Id etiam in scribendo est retinendum.

§. III. Verum adiuuanda industria est tenerae aetatis magistrorum diligentia, & vt in primis ordinibus scripta argumenta dictantur a doctoribus, non inueniuntur a pueris, verba etiam dantur & singula & coniuncta multa: sic hic prius explicandus est locus ille a praeceptore, & ostendenda, quae sint insignia & talia, vt nihil praestantius, quae item cum latinis similia, quae diuersa. Satis enim profecerit puer, si principio recte coniungit, quae audiuit, si aequabiliter pronuntiet, si non erret, si scripto similia esse adpareant.

§. IIII. Post hanc exercitationem, etiam contrariae rationes inueniendae sunt, neque solum, quod

quod Demoſthenes narrauit, ſub commentationem ſubire debet, ſed etiam quae a media & aduerſariis patronis veriſimile eſt potuiſſe adferri. Haec ab illo etiam, qui docet, ſunt praemonſtranda. Vt enim optandum eſt, qui crus fregit, illum, ſi alteri innitatur, incedere poſſe: ita etiam dignum maxima ſpe eſt, vel illa recte referre puerum poſſe, quae ante magiſter voce praeiuit.

CAPVT XXV.

ORDO TERTIVS.

§. I.

EXtremo vero pueritiae anno ad tertium ordinem adoleſcens adſcendet, vbi cum praeceptis rhetoricis dialectica ſunt componenda, & maior dicendi facultas differendi ratione adiuta comparanda eſt. Sed conſtringere oportet dialectica ex Ariſtotelis libris, & exemplis philoſophorum & theologorum illuſtrare. Sunt apud Ariſtotelem multa, quae non ad doctrinam artis, ſed ad praeceptorum demonſtrationem pertinent, quae hoc in loco ſunt omittenda. Fidem enim iam nos habemus optimo magiſtro: ſuis ipſe tum temporibus aduerſarios habuit eruditos & doctos homines, quos nunc non habet, aut ſi habet, eſt illud eiuscemodi genus Sophiſtarum, quod a doctiſſimis ſemper ſcriptoribus eſt vituperatum. Artis igitur probationem hic non requirimus, ſed eius poſtulamus explicationem, & eam neque prolixam, neque operoſam, neque obſcuram, ſed breuem, expeditam & planam.

§. II. In rhetoricis autem id legendum eſt, quod ex differendi ratione petitum eſt, vt ſunt Ciceronis topica. In hoc etiam ordine Demoſthenis & Aeſchinis aduerſarias orationes interpretando explanari velim: ſed partiendae illae ſunt propter prolixi-

lixitatem, & Demoſthenis orationem ad ſecundam curiam, ſi abſolui in tertia non queat, velim transferri. Hic illae commentationes in quarta inſtitutae continuandae ſunt, & partes integrae in vtriusque oratione, poſtquam enodatae ſunt, ſumto ad cogitandum tempore oratione latina memoriter dilatandae: ea exercitatio recte adoleſcentulis, cum dimittuntur, imponitur & auditur domo reuerſi.

§. III. Surripere igitur huic labori quartam horam oportet: qua, cum per tempus & recitationem earum rerum, quas cogitatione & meditatione habent complicatas, licebit, legere etiam vtile erit hiſtoricum Saluſtium, aut Caeſarem: ad Liuium tum, cum illi lecti erunt, perueniatur. Magnus ille quidem ſcriptor eſt, ſed obſeruator aetatum, & oratori diſſimilior, quam Caeſar & Saluſtius. Thucydides enim magis Liuio, quam Xenophon placuit, quem ſecutus eſt Caeſar. Saluſtius rerum breuitatem, verborum vſum diſtincto, & adcommodatione propria compenſat. Topicis Ciceronis, de quibus dictum eſt, haud ſcio an Hermogenes rectius praeponatur: certe legenda in hoc ordine ſunt, quae de ſtatibus ſcripſit. Ita enim loco ſecundo libri, qui eſt in Herennianis, ſubſtituetur. Primus in quarto ordine interpoſitus eſt: quae in quarto libro docet Herennius, illa in quinto propoſui explicanda. Tertius liber, quae de memoria habet; nolim explicari. Impedient enim curſum noſtrum, & artis obſeruatio, & dialectica praecepta magis, quam illa, memoriam augent & ſtabiliunt.

CAPVT XXVI.

ORDO SECVNDVS.

§. I.

POſtquam ingreſſus eſt adoleſcentum coetum, qui antea puer erat, mature, vbi annum in ter-

tertia tribu verſatus eſt, ad ſecundam progredietur: in qua finem ornatae orationis, praecepta & principium apti generis dicendi reperire oportet. Sed quae finitima ſunt, non ſolum continuari debent, verum etiam coniungi atque neceſſitudine vinciri. Ita & in ornatu id, quod decet, inchoari, & in eo, quod decet, ornatus perfici debet. Tarde Cicero & tum, cum ſciret, quid aptum, quidque ineptum eſſet didicit, *remos inhibere* quid eſſet. Tironem etiam docuit, tum cum limari ab illo ſua ſcripta pateretur, ineptum eſſe, *fideliter inſeruire valetudini*. Quamobrem coniunctam habere debent exercitationem: ſed in praeceptione tenendus eſt ordo, & modus, de quo explicatum eſt.

§. II. Demoſthenis igitur oratio, quam pro Cteſiphonte habuit, ſi in tertia claſſe non potuit exponi, hic explanetur. Si vero ibi explanata ſit deligatur ex ceteris, quae videbitur idonea. Dialectica praecepta, de quibus ſcriptum eſt, ita cogi & explicari debent ex Ariſtotele, vt duos annos in illis maneant adoleſcentes, ſed tamen in hoc loco exercitatione magis, quam praeceptione ſunt erudiendi. Itaque eadem hora, qua praecepta docentur, dialogus aliquis ex Platone aut Cicerone interponatur, in quo demonſtretur, vtendi modus, & recta doceatur disputandi ratio. Partitiones etiam Ciceronis hic proponendae ſunt, ad illuſtrandam firmandamque memoriam. Vtiliſſimus hic libellus eſt, vt antea propoſui, & in omnibus ſcholis retinendus, ſed explicandus expedite.

§. III. Pergant etiam in commentando & ſcribendo adoleſcentes, & ſeuerius iudicium ſcriptis corrigendis adhibeatur. Incipiet enim iam ſeſe ſtilus foras efferre, & exſpectare omnium ordinum indicia. Poſt cognitas partitiones veniendum eſt ad Ciceronis oratorem, vbi breui indicatur, quid deceat, & quas res oratorem habere oporteat, &

quomodo perficiatur. Isto enim anno fundamenta operis perfecti iacienda sunt, quod vigesimo primo absolutum volumus videre.

CAPVT XXVII.

ORDO PRIMVS.

§. I.

DEcimus quintus annus libertatem adolescentibus promittit, & viam ad primas artes maximasque disciplinas patefacit. Post hac enim conandum est, vt illud aptum genus dicendi adhuc adolescentes consequantur. Aptum adpello, quodcunque litteratum est, & doctrina illuminatum, & liberale, & rebus personisque adcommodatum. Hoc teneri haudquaquam potest absque maximarum atque adeo prope omnium rerum cognitione. Et quamquam ne ornatus quidem adfingitur honestus, sine liberali artium atque philosophiae doctrina: tamen, quo perficitur, hinc habet, quod exapto defluxerit. Quaecunque igitur philosophus summique viri profitentur, elaborare decet, vt adipiscamur: qua vero via ad huius studii arcem perueniamus, paullo post aperiemus. Ergo tenendi adhuc sunt hoc anno sub magistris, & maiorum rerum facienda principia & discenda ea sunt, quae postquam adsecutus est adolescens, publicis doctoribus commendetur.

§. II. Proponendus igitur hic est liber Aristotelis *περὶ ἑρμηνείας*, & alter liber eiusdem scriptoris de mundo, qui duo eodem anno vna aliqua hora quotidiana facile percipiuntur. Tradenda etiam arithmetica sunt, & excutiendus Mela, & proponendus Proclus, & cognoscenda sunt astrologiae elementa. Demosthenes adhuc etiam & Homerus interpretabuntur, quibus Ciceronis ora-

torios libros adiungo. Dandum etiam otium ſcripturae & ſtilo eſt, neque deponenda commentandi exercitatio. Denique quid ſuperiori & proximae diſciplinae deſit, & quid principio ſit opus in ſequenti, diligenter oportet conſiderare.

CAPVT XXVIII.

DE FESTIS DIEBVS ET DE SACRIS LECTIONIBVS.

§. I.

HActenus percurrimus omnes claſſes, & tributim omnem pueritiam digeſſimus. Sed quoniam pietatem finem ſtatuimus ſtudiorum, & de ſacris litteris nihil diximus de his aliquid etiam eſt praecipiendum. Feſti igitur dies huic auſcultationi comparati ſunt, quam rurſum in duas partes diſtribuimus. Vna ſeorſum a populo in ipſo ludo conſtitui debet: inde continuo ad alteram & ad publicam ducenda tota multitudo eſt, & collocanda cum populo.

§ II. Verum in concionibus ordo praeſcribi non poteſt: eſt enim ibi ſeruiendum tempori. Modeſtiam autem & ſilentium, & attentionem ſummam eſſe oportet in primisque cauenda eſt omnis populi offenſio. Imaginem enim honeſte disciplinae iuuentus prae ſe ferre debet. Ornamentum non minimum ciuibus adfert liberorum modeſtia, ſanctimonia, ſtudium: dehoneſtant rempublicam, qui ſecus quam deceat, faciunt.

§. III. In puerili gymnaſio curandum eſt, vt antequam ad liberas auſcultationes veniatur, cognitam habeant adolescentes omnem Chriſti atque apoſtolorum hiſtoriam, & ex Moyſe quaedam praecipienda ſunt, quibus rerum geſtarum & antiquitatis memoriam collegit, & vtilia ſunt ad cognitio-

nem doctrinae christianae festis diebus etiam is, qui praecedit, coniungi decet in illis ciuitatibus, quae vnius diei solum vacationem habent. Postremo ordini catechismus explicandus est, tribus insequentibus, latino sermone versum esse debet, id quod interpretatur: ceteris melior oratio, sermoque graecus vtilior. Duobus etiam primis hebraica grammatica tradi debet, & cum primum fieri poterit, in ea lingua Moyses interpretatione est explanandus.

§. IIII. Hoc modo primus atque postremus dies deo dicandus est: qui intermedii sunt, illis recordationem quidem & cogitationem diuinitatis deponere non licet; eloquentiae tamen & philosophiae studia licebit recolere, sed ita, vt ad illustrandam religionis doctrinam suscipiantur. Pomeridianis horis, postremo die hebdomadis, in musicis omnes exercendi sunt. Liberalis enim est huius artis & scientia, & vsus, & nisi a pueris condiscamus, sero grandiores cognoscemus.

CAPVT XXVIIII.

DE PVBLICIS ET LIBERIS LECTIONIBVS.

§. I.

PVblicorum professorum collegium tamquam populi liberi ciuitas est, in qua populus ipse sibi leges constituit, & quibus ipse se adstringit: qui vero in nouem ordinibus versantur, quasi patresfamilias sunt, qui vt liberis, ita discipulis suis imperant, quod honestum putant. Sed cum lex sit, qua deus vniuersum mundum regit, nihil est, quod omni ex parte legibus sit solutum. Itaque vt liberum populum, ita etiam istas auscultationes, propter illas pueriles, in quibus indulgetur mimis adpello liberas, sed tamen certis legibus distinctas. Qui igitur summis

suis-

ſuisque doctoribus proximi ſunt, ſed tamen longo interuallo proximi admitti debent ad hunc coetum. Finis enim ſtudiorum non ita procul, vt ante videri poteſt, quem quisque inde ab initio debet proponere.

§. II. Fecimus autem vnum & primum ſtudiorum finem, pietatem litteratam, ſed multis illa certe modis exercetur, & diuidi ſe ipſa patitur in varia officia, tamquam partes. Manet enim ipſa non in theologis ſolum, verum etiam in iurisperitis & medicis, & in omni profeſſione manet. Et docere religionis ignarum: & defendere innocentem: & curare aegrotum ad caritatem atque christianam religionem pertinet.

§. III. Primum igitur vnusquisque ſe in conſilium adhibere debet: deinde etiam magiſtros, & parentes & amicos aduocare, atque prouidere, ad quod vitae genus ſit aptus. Ad quodcunque vero idoneam ſe naturam habere ſentiet, ad id & conſequendum & ornandum, omnes & cogitationes, & lectiones, & ſcriptiones, & auſcultationes referat, atque ita referat, vt in eo ceteris conetur praeſtare.

§. IIII. Deprauatum genus eſt hominum, etiam eas, quas ignorant, artes exercentium, & qui, eo ingenio ſunt, neque theologi, neque iurisperiti, neque medici, neque doctores vlli ſunt ferendi. Non enim illud ſine miſerabili iactura fit acuminis, valetudinis, bonorum, & mentis. Neque quisquam ſe poteſt excuſare multitudine, qui minus ſit adſecutus, quam profiteatur. Sed vt in theologia, ita etiam in ceteris disciplinis ſummum eſt animi integritas metusque dei, minusque nocent indocti, ſi ſint boni, quam docti, ſi negligant virtutem: vterque tamen in vitio ſed minus alter, verum in vitio tamen, qui, dum id ſuscipit, quod efficere non poteſt, vel priuati propriique ſtudii vel impuden-

tiae

tiae vel ſtultitiae & inertiae ſignificationem praebet.

§. V. Sit igitur is, qui ad publicum ludum & iſtam liberalem disciplinam deligitur, natura ita bonus, vt velit; & ita induſtrius, vt poſſit; ita etiam erecto & alacri animo, vt nolit exercere, priusquam eam, quam ſequitur, artem didicerit: atque cum hac voluntate ad doctores ac magiſtros deducatur.

CAPVT XXX.

QVALES PVBLICAE INTERPRETATIONES ET QVALES PRIVATAE LECTIONES ESSE DEBEANT.

§. I.

SEd habet vnaquaeque ſaepe ars ſcriptores multos, variosque libros, & multiplicem praeceptionem. Quibus in rebus electio eſt facienda. Incidere igitur in libros, inconſiderati hominis eſt: ſummo cum conſilio, ſummoque iudicio, qui prudentes ſunt, accedunt. Qua in re multos illa vulgata ſententia fefellit, nullum eſſe librum tam malum, qui non aliquid boni habeat. Sed ad id genus tum eſt tandem veniendum, cum, quod optimum eſt, & quod obſcuritatem magnam habet, & ſine quo habere id, quod ſequimur, non conceditur a natura. Non omnia poſſunt, etiam quae vtilia ſunt, explicari in ſcholis.

§. II. Itaque neceſſaria & optima ex optimis auctoribus deligere praeceptores oportet: cetera relinquenda priuatis ſtudiis ſunt, ſine quibus impedita atque imperfecta doctoris induſtria eſt. Auctorum explicatores domi leguntur vtilius, quam interpretantur in ſchola. Vt enim ineptum eſſet, Bartolum a iurisperitis recitari, Iuſtiniani ſcripta negligi: & vt imperite ac foede fecerunt Sophiſtae, qui

qui Scotum & Thomam interpretati in ſuis coetibus ſunt, ita peraeque prope illi atque hi, qui in explanandis aphorismis, atque ſimilibus Hyppocratis ſcriptis Galeni commentarios exponunt & interpretantur. In ſacris litteris, quod praeter euangeliſtas, & epiſtolas apoſtolorum, & Moyſis atque prophetarum libros explicatur, prope totum intempeſtiuum eſt. Ne Cryſoſtomum quidem aut Baſilium, & his aequalem Gregorium legendum in gymnaſiis theologorum cenſeo: ſed domeſticis ſtudiis committo. Idem ego de omnibus philoſophiae ſtudiis iudico.

§. III. Poetae excutiendi ſunt, qui graues ſunt, & ad intelligendum difficiles, poſt bene perceptum Vergilium, & Homerum; & quoniam multa ſunt poetarum genera, ab vtilioribus eſt incipiendum. Ouidius prope in omnibus facilis eſt, ideoque relinquendus bibliothecis, & legendus domi. Faſtorum tamen libri & vtilitatem habent & difficultatem. Metamorphoſis legi omnino debet: at ſcholae curriculum impedit. Neceſſaria magis eſt comicorum & Tragicorum Graecorum explicatio, ſed non omnium vel Tragoediarum, vel comoediarum, ſed Comicorum & Tragicorum omnium. Sunt enim inſignes, vt Euripides, Sophocles, Aeſchylus. Ariſtophanem propter nubes & calumnias aduerſus optimum philoſophum Socratem fictas atque conflatas de ludo eiicerem, niſi vtilitas in eo tanta eſſet, vt cum optimis comparetur. Pindari hymni, & Horatianae odae recte componuntur & leguntur. Idem de Vergilii Eclogis & Theocriti Idilliis ſtatuo: ſed Vergilius puerili ludo & inferiori ordini aptior eſt. Theocritus in hiſce liberis ſcholis collocandus. Praeterieram Heſiodum, qui cumprimis eſt legendus, neque male Homero ſuccedit. Aratum mathematicis cum Dionyſio relinquo. Lucretius philoſopho

dignus eſt, ſed tamen concedimus illum otio poetarum: eſt in illo vetuſtas verborum, & ſententiarum inſignes formae ſunt, cum de diuinis ac naturalibus rebus agit: multa habet, quae vel oratorem deceant. Olim grammatici poetas interpretabantur: poetae vero tantum ſua recitabant: noſtra tempora requirunt, vt idem ſit & grammaticus, & poeta..

§. IIII. In hiſtoriis facilis eſt lectio. Noſtri ſcriptores ſine interprete cognoſci poſſunt. Ex graecis Thucydides, & Herodotus, & Xenophon ſi intelligantur, ceteros domi licet cognoſcere. Ex Thucydide ſententiarum grauitas, & plenorum verborum collocatio: ex Herodoto lepos & profluens genus compoſitionis: ex Xenophonte ſuauitas, & puritas orationis locupletatur: denique multa Herodotus, plura Thucydides, Xenophon nihil non habet, quod ſequaris. Hos tres Caeſari & Saluſtio, quos dedi inferioribus ordinibus, ſentio adiungendos. Liuius etiam opus habet explanatione: ſed pars quaedam eius eſt deligenda, neque tres illos volo absque intermiſſione totos legi: poſt ſingulos libros plerumque permittitur nouae materiae interpoſitio.

§. V. Ex philoſophis illa legi & proponi volumus, quae neceſſaria ſunt, & a doctoribus ceterarum artium non explicantur, vt dialectica, ethica, politica, & phyſica, quae a mathematicis & medicis non leguntur, vt libri Ariſtotelis de anima, & de naturalium rerum auſcultatione, & Platonis Phaedo. Animalium hiſtoria; & humani corporis compoſitio, & herbarum vires atque notiones, & Platonis Timaeus, & ſimilium rerum libri, cum medicis ad exponendum diuidi poſſunt, neque poteſt mathematicus ea ignorare, quae ſunt apud Aristotelem de caelo & mundo. Quapropter hi duo philoſopho adſint, qui non omnia ſimul docere poteſt,

teſt, tametſi omnia debeat ſcire, atque i profiteri.

§. VI. Iurisperiti etiam non omnia, quae ſunt apud Iuſtinianum, neceſſe habent excutere: quaedam diſcipulorum ſunt relinquenda induſtriae: ſed quae neceſſaria ſunt, & viam atque rationem habent, & inſignes vtilitates adferunt, in illis profeſſio ſuscipienda eſt: neque ignarus poteſt eſſe, vt nec conſuetudinis & iuris, ſic etiam, quae de moribus & republ. a philoſophis ſunt explicata. Quapropter etiam hic poſtquam aliquid in ſua arte abſoluit, ex philoſophis poteſt adferre quaedam tum, cum eſt in hac litterarum disciplina neceſſarium ad abſoluendum iſtud annorum quinque curriculum.

§. VII. Neque immunis theologus, qui ſcire debet, quomodo res publica ſancte gerenda ſit, & quomodo cuique inter ciues ſuos, & in ſua familia ſit, verſandum. Quare ad huius etiam officium pertinet, docere, cum eſt opus.

CAPVT XXXI.

DE ARISTOTELE PLATONE ET CICERONE.

§. I.

SEd ex quibus ſumenda ſint, quae traduntur, facilis eſt conſideratio. Habent enim omnes artes ſuos auctores, in quibus errari non poteſt. Theologia duo genera certiſſima perpetuaque ſcriptorum habet. Apud medicos Hyppocrates ac Galenus perfectam artem confecerunt. Apud iurisperitos nihil melius eſt, quam quae Iuſtinianus edi curauit. Philoſophis Ariſtoteles datus eſt, qui praeter tot tantarumque rerum explicationem, qua prope omnia docet, non ſolum eam artem perfecit, qua in omnibus artibus vtuntur, & quam ad omnem disputationem

adferunt, ſed etiam dicendi rationem pulcherrima doctrina dilatauit.

§. II. Plato inter philoſophos copioſisſimus & amplisſimus auctor, dialecticorum exempla omnia ſuppeditat, neque mihi dubium eſt: dialecticos in arte perficienda multum Platonis veſtigiis adiutos eſſe. Sed & orator, quam plurima notare apud Platonem poteſt, quae in dicendo imitetur. Inter ſapientes eloquentiae laus ſumma, & inter eloquentes ſapientiae locus primus huic philoſopho debetur. Ita copioſus eſt in eius ſermonibus Socrates, vt quodcumque demas, id te credas amiſiſſe: ita docet, vt diſcere velle videatur: ita concedit, vt vincat: ita vincit, vt non id voluiſſe adpareat. Itaque poſt puericiae educationem interpretandi ſunt huius dialogi, in quibus amplitudinis quidem & doctrinae delectus haberi non poteſt: ſed tamen ad ſtudiorum progreſſionem & ad ludi diſtributionem neceſſaria quaedam & ratio & electio poterit adcommodari.

§. III. Quod vero nomen inter graecos philoſophos Plato, id inter latinos oratores Cicero eſt conſecutus, ſapientiſſimus orator, eloquentiſſimus philoſophus, oratorum omnium clariſſimum lumen, & vnicum omnium litteratorum exemplum. Summa laus apud hos tres manet, &, vt video, manſura perpetuo eſt: & cum omnia cognoscenda ſint, quae ſcripſerunt, tamen, quoniam ab vno atque altero interpretari, omnia non poſſunt, partitione opus eſt, vt doctorum vnusquisque, quod ſuam artem ornare poſſet, putet ad ſe pertinere: & quoniam ne ſic quidem omnia legi poſſunt, ſeligi primum neceſſaria, deinde optima debent: cetera priuatis ſtudiis atque bibliothecis concredenda.

CAPVT XXXII.

DISTRIBVTIO PVBLICARVM LECTIONVM.

§. I.

COmmunicare igitur inter ſe doctores, docendi mu-

munera oportet, & distribuere operas: quod si facient, & in curiis inferioribus firma fuerint posita fundamenta, facile reliquum opus exaedificabimus. Sunt autem lectorum atque doctorum nouem genera. Vnum, quod sacras litteras explicat, quod primum est & summum: alterum iura legesque interpretatur: tertium, quod conseruandae recuperandaeque sanitatis praecepta tradit. Atque in his tribus exercetur vita humana: quidquid enim agunt homines; faciunt id aut animi mentisque caussa, quam deo deuotam volunt: aut ob vitae custodiam atque productionem: aut, vt sua honeste tueantur, amplificent, tradantque quasi per manus nepotibus.

§. II. Nostris paucis hisce saeculis, qui horum trium doctrinam consecuti essent, doctores vocari placuit, nouo vocabulo in hac significatione. Vnaquaeque enim ars suos doctores habet, quemadmodum rhetorica Hermetem & Hermagoram habuit, & grammatica Aristarchum.

§. III. Sed sunt quidam, quibus horum trium professio vel difficilior est, quam vt adsequantur, vel non exercere cupiunt, otiumque, quod malunt, sequuntur. Itaque quartum genus quoddam est, quod se mathematicis dedit, in eoque aetatem consumit. Est etiam quintum, amans antiquitatis, quod in legendis scribendisque historiis consultum esse cupit sibi vitaeque humanae. Quidam etiam excellentes ad laetitiam nascuntur, ingenii vi & impetu mentis plurimum valentes, ideoque numerosum genus orationis sequuntur, quod est poetarum. Nonnulli vero philosophorum sunt administri, vt dialectici: aliqui oratorum, vt rhetores aliqui poetarum atque historicorum, vt grammatici, quod genus nos hodie in puluerem detrudimus, & molestissimis adstringimus laboribus: minimum nunc inter eruditos, olim vero professione

ne magnum. Itaque de hoc dictum est ante: nunc de his octo est explicandum.

CAPVT XXXIII.

DE CONSENSV ARTIVM ET RERVM OMNIVM ET DE NVMERO LECTIONVM.

§. I.

SEd in his octo philosophum atque oratorem contineri volo, quorum vterque omnia posse profiteri atque suscipere videtur: sed alter scientiam rerum, alter dictionem verumque ornatum illorum, quae sciri possunt, pollicetur. Vt igitur hos duos in horum omnium, de quibus dictum est, scholis versari atque educari volumus: sic etiam hi in minorem numerum poterunt constringi. Nemo enim omnium perfecte vnius alicuius doctrinae scientiam consecutus est, qui ceteras ignoret. Omnes enim res, quae in natura positae sunt, quaeue ortum & occasum habent, perpetuo & sempiterno connexae sunt inter se vinculo quodam societatis: & quemadmodum res, sic rerum etiam disciplinae perenni sunt constrictae necessitudine, vt qui vnam earum perfecte norit, reliquarum quoque profiteatur, se non esse ignarum.

§. II. Contrahamus igitur octo illa genera, & ex paucioribus magistris gymnasium constituamus. Nam poeta ille etiam historicos interpretari poterit & grammaticam, quem pueritiae praefecimus. Quocirca septem sunt qui docebunt quotidie, ita vt neque horas neque scriptores eosdem occupent. Etiam eiuscemodi viã poterunt atque rationem ingredi, vt vnus ex omnibus artibus ac litteris, quantum satis est ad excellentem doctrinam, consequatur.

§. III. De Iurisprudentia, & de medicina, & theologia nullum dubium est, quin, qui discere tantum non potest, quinque illis annis, si vnam

quo-

quotidie horam verſetur in ſcholis, vt per ſe reliqua adſequatur, ineptus ſit ad illam doctrinam, ad quam ſe adplicarit. Neque dubium aut ambiguum eſt, poetam illum atque hiſtoricum iactis his initiis, quae in illo inferiori gymnaſio fieri volumus. Tantum quinque annis efficere poſſe, vt in omnibus ſcriptoribus egreſſus adoleſcentiam iuuenis expedite ſine interprete verſetur.

§. IIII. Dialectico plus oneris impoſitum eſt. Nam quoniam philoſophi, qui prope ſolus omnia profitetur, adminiſter eſt, rationem differendi, & perſpiciendi, atque diiudicandi omnem debet tradere: viam etiam patefacere ad earum rerum ſcientiam, quae de moribus & vita, & quae de rebus naturae a maximis viris, hoc eſt, a ſapientiſſimis traditae ſunt, & cognitione in hac vita, quantulacunque eſt, comprehenſa. Qua in re adiutorem illum rhetorem habet, oratorum famulum, qui non ſolum dicendi praecepta dare atque perficere debet, ſed etiam ea cognoſcere omnia, quae in oratione ſub ſtili acumen ſubeunt, & ſuscipiunt orationis cultum conuenienter ac honeſte. De differendi ratione nemo melius Ariſtotele explicari poteſt.

§. V. Rhetorici libri exſtant complures, ſed tres illos Ariſtotelis, & tres de oratore, & Hermogenis, quos ſcripſit de dicendi formis, vitioſum eſt ignorare: reliqua, quae de moribus praecepta ſunt, & ſcribuntur de natura, a Platone & Ariſtotele ſunt petenda. Sed & morum optimus informator, & in ciuitate praeclarus conſiliarius, theologus eſt. Percurri breuiter, quae de his ſeptem doctoribus ſentirem: cetera inſtitui commodius, quam praecipi poſſunt.

CAPVT XXXIIII.

QVAE LECTIONES THEOLOGO QVAE IVRISPERITO QVAE MEDICO QVAE CETERIS SINT AVDIENDAE.

§. I.

QVi igitur neceſſarias illas tres hominum vitae artes cognoscere volent, ita in his eos verſari oportet, vt a ceteris artibus ac litteris, quibus adiuuari hae tres poſſunt, non deficiantur. Itaque ille dei quaſi interpres, & caeleſtium rerum praeco theologus, neque ignarus ſit differendi, dicendique ſcientiae, & eos cognoscat, a quibus conſeruata eſt antiquitatis memoria, & praeſcripta ratio conſtituendarum rerum publicarum atque familiarum.

§. II. Iurisperitus vero indignus eo nomine eſt, ſi quae de republica & moribus philoſophi ſtatuerunt, ignoret, & amouendus a ſua curatione, ſi non cognouerit, quid maiores eius a quibus leges accepit, egerint, neque legerit aetatum omnium hiſtorias: & quoniam chriſtiana respublica quaſi imaginem diuinitatis exprimere debet, tenenda etiam ſunt illa, quae deus litterarum monumentis mandari a ſacrarum rerum ſcriptoribus voluit, & cum e ludo iurisperiti multi prodeant regum conſiliarii, & gubernatores rerumpublicarum, vox quoque eius rhetoricis praeceptis eſt erudienda: & quia ſaepe disceptandum eſt de iure, ſcire cum ceteris & illa debet, quae traduntur a dialecticis.

§. III. Medico etiam multa neceſſaria ſunt ad artis ſuae perfectionem. Niſi enim illa habeat, quae philoſophi de rebus naturae explicarunt, non poterit cum magnis numerari. A philoſophis igitur & mathematicis multa cognoſcenda ſunt, ſi iuſtum curriculum ſuae profeſſionis volet percurrere: quo in ſtudio, ſi differendi ſcientia deſtituatur, deficient etiam ea, quae in perfectis medicis ſunt ſumma.

§. IIII.

§. IIII. Non infinita ſunt ea, quae praecipimus: vix credi poteſt, quantas & quam multas res humanus animus annis quinque poſſit perluſtrare, poſt illam puerilem disciplinam. Difficilis eſt, fateor, & plena faſtidio ſex horarum auſcultatio: at, qui quatuor recuſat, haud ſcio, an dignus, vt adpelletur ſapientiae ſtudioſus, videri debeat. In hoc igitur publico & litterato gymnaſio, vt in illo puerili quatuor horas quotidie doctorem audiat, qui volet eſſe magnus, aut theologus, aut medicus, aut iurisperitus. Ita vero quatuor haec tempora dispenſet, vt quinto ſextoque atque etiam ſeptimo carere poſſit.

§. V. Ita vero illi ſex interpretes ſua tempora distribuant, vt, quae ſingularia ſunt artis, & cetera ſtudia non multum adiuuent, tum legant, cum parti alicui vtilius eſt, alia cognoſcere. Neque enim neceſſe habet theologus audire medicum, cum tradit curationem oculi: at cum anatomica docet, & humani corporis partes, & partium ſingularum, & actiones & figuram indicat, & oculis ſubiicit, ac quaſi contrario ordine, quam eo, quo factum eſt, animal, in quo mens eſt, reſoluit, eo vtiliter & poeta & theologus accedit. Cum igitur liber Galeni de pulſibus legitur, minui poteſt labor theologo, cum iuris interpres ſingularia, quae in Iuſtiniano ſunt, capita explanat, abeſſe poteſt: at cum quatuor illi libri interpretantur, quibus informatur iuriſconſultus, non poteſt ſine inertiae ſuſpicione abeſſe. Sunt omnium artium ſcholae quaedam, quae ad omnes non pertinent, quae ita digerendae ſunt, vt ſtudiorum continuationem non diſturbent.

§. VI. Quod de tribus dictum eſt, id etiam ad illos pertinet, qui in nulla profeſſione neceſſariae doctrinae aetatem degunt, neque certis limitibus ſeſe coerceri patiuntur, ſed otio tantum & litterarum oblectatione adquieſcunt: quibus tamen ita vi-

viuendum est, vt illorum etiam vitae ac studiorum ratio apud amicos constet. Nam quo liberior est, & quo minus se arctioribus artium atque litterarum locis includi patiuntur, eo plus possunt percipere.

CAPVT XXXV.

DE DVPLICI PARTITIONE IN RATIONE DOCENDI.

§. I.

TEnenda igitur in scholis duplex via & ratio est. Vna est, qua generatim res vniuersa traditur, nulla disceptatione cum aduersariis suscepta: altera singularium rerum, quae proprias quasdam habent & exceptiones, & quaestiones, & demonstrationes.

§. II. Est etiam altera partitio, quam maxime sequi in scholis, vtile est. Aliquando enim sine auctore nulloque popposito scriptore ars aliqua docetur, tum cum magister id potest breuius, & planius, quam hi, qui de eadem re scripserunt: id quod fieri potest in multis: aliquando etiam liber adfertur, in quo rursum bipartitus est modus in docendo.

§. III. Nam aut omnia ordine atque singulatim excutiuntur, aut quaedam omittuntur, & ea solum aperiuntur, quae sunt necessaria, quod in multis fieri potest apud Aristotelem & Galenum aliosque scriptores multos, quibus aliter, quam ars ipsa desiderabat, propter aduersariorum opiniones explicandum de rebus fuit. Itaque illa generalia quotidie nisi a quatuor tradi debent, quo omnibus cognoscere liceat: tresvero semper sint, qui illos, quae singularia sunt, & redacta in angustos quasi carceres earum artium, quarum quaestiones habent eos doceant, quos proprios perpetuosque auditores habent. Hoc modo adsequemur, quod volumus, vt intelligamus ac teneamus illam omnium artium atque litterarum consensionem.

Cap.

CAPVT XXXVI.
DE PRIVATIS STVDIIS.

§. I.

AT parum adferunt vtilitatis ſcholae, ſi ſecreta ſtudia domi nulla inſtituantur. Et ſi enim nulla ſine interprete ars perfecte percipi poteſt, & magnam vim ad excitandum eius, qui docet, vox habet, tamen in eodem ſunt vitio, & qui nullam exercitationem domi ſuscipit, & qui ſe non ſinit a doctore erudiri. Sed vtrumque ſuas habet, & commoditates & impedimenta.

§. II. Nam qui in coetu cum multis inſtruitur, is hoc quaſi emolumentum capit, quod, quae domi magno cum labore vix conſequi poſſit, ea ipſe breui auſcultatione, certius & perfectius cognoſcit, quam ſi ſua inueſtigatione nitatur. Illud vero eſt, in eadem re incommodi, quod ſaepenumero mentis acies in ludo turbatur, & animus ad alienas cogitationes rapitur, quod in noſtra bibliotheca cum adſidemus, tametſi accidat etiam, tamen quae ibi aguntur, quaeruntur, inueniuntur, quaſi priuata ſint, & a nobis nata ſic amplectimur, vt firmius animis inhaerescant. Sunt aliae multae vtilitates vtriusque rationis, vt niſi coniuncta ſint haec duo paruos progreſſus in litteris facturi ſimus.

§. III. Sed in frequentia, & in publico conuentu ſimplex labor ſuscipitur, in quo diligens attentio, firmaque memoria requiritur: ille vero ſecretior locus duarum rerum curationem praeſcribit: vna eſt, vt reuoluat, quae in ludo tractata ſunt, vt & ſingula intelligat, &, quae diſtracta fuſaque ſunt, ad communes generum ſummas reuocet: altera, vt ea priuatim legat, quae doctoris induſtriam ſubleuent, & quorum vi ſaepe id, quod tantum inchoatum a praeceptore notatur, perficiatur, vt plenus progreſſus, expeditus adſcenſus ad arcem doctrinarum ſiat. Saepe etiam accidit, vt vel morbo impediti,

vel occupationibus neceſſariis auocati, non adſimus, cum docetur: aliquando etiam vtile eſt, aut comoediae, aut orationis, aut hiſtorici libri recitationem praeterire, tum cum vacamus melioribus. Quas incommoditates priuata diligentia, nostraque bibliotheca compenſat, ſi fine magiſtro & interprete nos eadem adſequamur.

§. IIII. Semper aliquid ei, qui volet eſſe magnus, eſt aut quaerendum, aut audiendum, aut legendum, aut disputandum: qua in contentione cum ſoleat ſatietas & faſtidium eſſe, reficiendus animus varietate, relaxandus inaequalitate, vt facilia grauibus, laeta triſtibus, noua veteribus ſuccedant, & a lectione ad ſcriptionem, a ſcriptione ad ludum, a ludo ad ſermonem eruditum, & litteratam familiarium congreſſionem accedatur.

CAPVT XXXVII.

DE DISPVTANDI ET DECLAMANDI CONSVETVDINE.

§. I.

PRaeſcriptum iam a nobis eſt, quomodo puerilis educatio inſtituenda ſit, & quomodo quinque illi anni poſtremi ad perfectionem ſtudiorum ſint impendendi: ſed de discipulorum exercitatione, quae in ludis ſuscipi ſolet, nihil eſt hactenus explicatum. Sunt autem eius conſuetudinis duo genera, vnum disputandi, alterum declamandi.

§. II. Disputandi morem bis per menſem repeti, moderatum laborem habet. Hic vt excitatio adhibeatur quatuor ſunt perſonarum genera comparanda: vnum eius eſt, qui reſpondebit: alterum eorum, qui ſubſidium adferent: tertium id eſt, quod in aduerſariorum ſubſelliis ſedet: quartum, quod vniuerſam disputationem moderatur. Haec quatuor in duo contrahi poſſunt, vt vnum dis-

differentium sit, alterum iudicantium. Qui vero quaestionis capita proponit, vnus sit, isque solus interrogetur ab his, qui contra differunt. Sed quia fit saepe, vt subito nobis in mentem non veniat, quod commode respondeatur, addi huic tres debent, qui quasi subsidio veniant. Sed dandae illis respondendi partes sunt ab eo, qui omnibus praeest, ne perturbatio oriatur, & ne se impediant mutuo, qui tamquam in conuiuio rex sit, & vnicuique, quod videbitur, imperet.

§. III. Iudicare autem hunc non prius oportet, quam recurrat interrogatio ad primum: huic enim illud concedendum est, vt bis rogetur. Liberalis decet hunc coetum disquisitio, carens metu & stupore: verum alacritas adsit & reuerentia. Itaque is, qui iudex constitutus est, aestimatoris se partes, non obiurgatoris sciat sustinere. Pudor enim subrusticus & metus, etiam quae meditata scriptaque habemus, tollit: alacritas vero & excitatio multa saepe subito & ex tempore inuenit, quae, cum domi sumus, nobis in mentem non veniunt.

§. IIII. Res etiam ipsa, quae ad disceptandum proponitur, talis sit, vt in contrarias partes verisimiles sententias habeat, id quod non solum in probabilibus fieri potest, sed necessaria quoque pronunciata saepe habent aduersarias opiniones, quibus videntur infirmari. Conclusiones & argumentationes apertae, breues, atque simplices, & singularum partium interrogationes vtiliores principio sunt, quam perpetuae & prolixae orationes, & argumentorum multitudo; ad quas tum veniendum est, cum facultatem disputandi fuerint maiorem consecuti: at in his ipsis longis probationibus, siue scriptae adferantur, siue nascantur ex ipsa concertatione, epilogi breues atque concinni faciendi sunt, qui efficiunt, vt intelligenter disceptent. Sed aptissima disputationibus breuitas

eſt, & ad intelligendum, & ad vitandum inſidias aduerſariorum idonea. Suspecta enim eſt propoſitionum conglobatio, & ſaepe a Sophiſtis adhiberi ſolet. Protagoras quidem a Socrate facete, laudando irridetur, quod & copioſe & breuiter interrogatus reſpondere poſſit: at ab eodem oratores vituperantur, qui σμικρὰ ἐρωτηθέντες δόλιχον κατατείνουσι τῷ λόγῳ. Sed haec de disputandi conſuetudine.

§. V. Declamandi vero exercitatio non ſolum ad verborum volubilitatem, ſed etiam ad praecepta philoſophiae eſt adcommodanda, vt non ſolum diſerta, ſed etiam ſapiens ſit oratio. Triplex autem eius eſt tractandi via. Aut enim ſubitae dictiones fiunt: aut dato ad cogitandum ſpatio: aut domi ſunt ſcriptae.

§. VI. Prima illa duo expeditam promtamque requirunt memoriam: poſtremum etiam ex ſcripto poterit recitari: quam conſuetudinem non possum improbare: ſi non ſolum pronunciet adoleſcens, quae ſcripſit, ſed etiam, quam viam ſequutus ſit, indicet. Hoc enim modo & plus vtilitatis auditoribus adfertur, & ipſe, qui recitabit, maiorem ad ſcribendum diligentiam & curam eſt adhibiturus. Poematum etiam & carminum feſtiuorum & concinnorum & argutorum lectiones admitto. Eſt enim liberalis exercitatio, & magnas vtilitates adfert etiam in orationem. Haec de declamandi, ſcribendique conſuetudine, ſine qua exercitatione nihil praeclarum in litteris effici poteſt.

§. VII. Sed videndum eſt, ne in disputando loquaces, & in ſcriptura tumidi, & inanes, & impuri, & negligentes ſimus. In disceptando ſubti-

li-

litas, & acumen, & in ſtilo vis & ornatus, & elegantia & diligentia laudari ſolet. Scribere quam plurimum, & disputare quam ſaepiſſime oportet: neque prolixitate diligentiam, ſed ornatu & acumine aeſtimamus. Quod concinnum eſt, etiamſi breue ſit, tamen laudem induſtriae habet: quod vero inconditum & mendoſum, quantumuis prolixum ſit, cadit in vituperationem. Eſt autem in omnibus argumentorum habenda ratio, vt ea ſeligamus, quae ſubtilitatem, acumen, ornatumque capiant: qua in re illud videndum eſt, ne, quod proponimus, nobis ſit ignotum. Quod enim ignoramus, in eo neque elegantiae conuenienti, neque ingenio ſubtili poteſt eſſe locus. Notum igitur ſit, quod tractare volumus, & capax omnium, quae ſtudemus adfingere.

CAPVT XXXVIII.

DE CONCORDIA, ET MODESTIA, ET DILIGENTIA PROFESSORVM.

§. I.

IN his rebus & in ceteris omnibus ſtudiis, diſcipulorum induſtriam alere debet magiſtrorum diligentia. Et quanquam diligentia inprimis in doctoribus ſpectanda eſt, tamen concordia atque modeſtia maxime praeceptores decet. Offenſiones enim turbulentae & ſpiritus effrenati, ab auaritia plerumque & ambitione oriuntur: quorum alterum impium, alterum illiberale, vtrumque ſemper indignum magnis ingeniis fuit. Saepe turbare ſtudia ſolet, inuidia, & nulla re magis religio, quam ambitione, vitiatur & in quocunque illa duo ſunt, nullus ibi locus eſt caritati.

§. II. Vt autem ipſarum artium atque doctrinarum, quarum profeſſio in ludo ſuſcipitur, ſem-

piterna conſenſio, & firmiſſimum vinculum eſt: ita etiam neceſſitudine coniungi harum doctores decet, vt ſimilia ſint in tali quaſi collegio ſtudia, eadem conſilia & conſentientes voluntates. Qui inuidia torquentur, & iactantur ambitione, in illis nihil fidum, nihil perfectum, nihil, quod cuiusquam virtutem poſſit oblectare. Et ſi quibus vnquam temporibus religio magna exempla deſiderauit, noſtra maxime deſiderant, in tanta potentia & copia aduerſariorum.

§. III. Ferendae igitur in illis locis offenſiones non ſunt, vbi ſeuerior inſtituitur disciplina, quae ad omnes homines pulcherrimas quaſi demanantes commoditates habet. Plerumque enim, vt regum voluntatem & cultum ceterorum nobilium habitus, ſic discipulorum, ſtudia magiſtrorum orationes etiam ineptiſſimas imitantur. Itaque non doctrinam ad poſteros vitioſi transmittunt, ſed vitiorum ſtirpem radices agere ſinunt, atque in ſempiternum, quantum in ipſis eſt, propagant. Conſenſus igitur ſit ſtudiorum & laborum, & communicatae voluntates, & diſtributae operae.

§. IIII. Illud etiam elaborandum eſt, vt non ſolum ea teneamus, quae nos docere oportet: verum etiam cetera cognoscamus, quoad poſſumus, quae a reliquis, vel qui infrae, vel qui ſupra nos ſunt, traduntur. Nam & quae ante didicerunt pueri, ea in ſuperioribus locis ſunt etiam retinenda: & quae in manibus ſunt, inſequentibus ſunt adcommodanda. Praeſentia doceri, praeterita renouari, & futura praedici debent. Haec enim plurimum ad excitandum, cuſtodiendum, erudiendum valent. Verſatur autem omne docentis officium in docendo, corrigendo, cohortando, dehortando: quae omnia diſſenſione perturbantur.

§. V.

§. V. Sed ſunt quaedam neceſſaria concertatio-num genera, vt pueritiae, & veritatis. Errores enim ex hominibus tollendi ſunt, & contra inſcientiam doctrina, & contra vitium virtus eſt defendenda. Sed abeſſe debet ab omni inquiſitione veritatis animi perturbatio. Itaque recte a philoſophis Socrates laudatus eſt, cuius ſuauiſſimus ſermo ita cum Sophiſtis inſtituitur, vt veritatis ſtudium ſuſceptum eſſe videatur, & maximus lepos atque humanitas adpareat, cum docet, cum emendat, cum contra ſentit, cum ridet: ſine contumelia, ſine ira, ſine ſcurrilitate, vt vitia vitaſſe, homines vero non odiſſe videatur. In pueris etiam & adoleſcentulis honeſtae contentiones excitentur. Alitur enim his illorum induſtria, & frenari moderarique poſſunt a praeceptoribus tum, cum praeter modum exartescunt. Non vituperandum eſt, ſi vinci turpe, & doctrina excellere glorioſum eſſe exiſtiment. Turpe enim eſt numquam excitari, & ſemper ignauiae inertiaeque condemnari. Deinde non manent in puerili aetate adfectus, immo ſummae amicitiae ex talibus contentionibus efflorescunt. Vt enim cauſſarum aduerſarii maximique patroni, cum olant, grauiter contendunt & vociferantur; vbi vero peroratum & iudicatum eſt, reconciliantur: ſic etiam poſt puerilia haec diſſidia, quae litterarum doctore moderantur, ſumma plerumque inter grandiores exſiſtit caritas, & beneuolentia.

§ VI. Sed magiſtrorum ſtudia magis, quam concertationes exerceri decet, & ſi quae contentiones eſſe debebunt, quod fateor, ſint illae comitatis, humanitatis, caritatis, non asperitatis, non crudelitatis, non odii: & talis in litterarum gymnaſio conuictus, qualem poetae Helicone & Parnaſſo muſarum eſſe fingunt, ſum-

ma cum concordia, vt vocum, numerorum, inſtrumentorum, ſic vitae, ſtudiorum, atque voluntatum.

§. VII. Percurri breuiter, quae de puerili educatione & de aperiendis litterarum ludis in praeſenti praecipi poterant: & viam quamdam ſi non patefeci, at commonſtraui ſaltem iter, in quod ſi intremus, facilius ea, quae maxima ſunt, conſequamur.

IO.

IOHANNIS STVRMII

CLASSICARVM EPISTOLARVM LIB. III.

SIVE

SCHOLAE ARGENTINENSES RESTITVTAE.

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

DOMINO ALBERTO

MARCHIONI BRANDENBVRGENSI: PRVSSIAE, STETINENSI, POMERANIAE, CASSVBIORVM ET VANDALORVM DVCI: BVRGGRAVIO NORIMBERGAE: ET RVGIAE PRINCIPI.

IOHANNES STVRMIVS

S. P. D.

ADolescentibus, quos nobis anno superiore commendari placuit, cum ita, quemadmodum tanti & talis principis virtus atque bonitas requirit, nostra fide & diligentia adesse & consulere statueremus; in eo cursu studiorum nostrorum pestis ita nos interpellauit, vt, nisi iuuentam

noſtram vniuerſam obiicere crudeli neci videri vellemus, omnes adolescentes coacti ſimus miſſos facere, & ſcholas noſtras intermittere. Quamobrem noſtrum officium eſſe putauimus, prouidere, vt viaticum, quod opus eſſet, a ſcholarchis noſtris acciperent, & cum illis Conradus Daſypodius prorector proficisceretur, & Francofordianis commendaret, vt valetudinis & ſtudiorum curam gererent; neque ſinerent eos aliqua rerum neceſſariarum indigere. Hoc genus officii tametſi omnibus debeamus; tamen gratiſſimum nobis fuit, a tali principe Fabianum Baronem Thoninum & nobiliſſimi viri Gaspari Noſticii Camerarii conſiliarii, filium Chriſtophorum, & filios duos prudentiſſimi hominis Baltaſaris Ganſii Fridericum & Albertum commendari; atque commendari a principe, a duce: a duce, inquam Alberto: in hac viridi & ſana ſenectute: poſt tot tantorum doctorum virorum praeconia huiusmodi principis viri virtutibus tributa. Ac me certe valde reficit hoc noſtro religionis tempore, cum multorum bonorum principum ſucceſſio, qui in locum demortuorum in imperio ſuffecti ſunt, tum eorum inprimis, qui adhuc pauci ſunt: inter quos principem locum occupas. Fui ſuperiore autumno apud Chriſtophorum Oldemburgicum Comitem: hospitem, patronum, & patrem meum. Valde me reficiebat,

prae-

praeter benignitatem eius erga me liberaliter declaratam, ſenectus viri vegeta, & venerandi cani, & animus fortis atque militaris: qui adhuc paratus pro religione vel mortis ſe periculo committere. Cum huius viri memini, videor etiam mihi Alberti Pruſſiae ducis venerandam ſenectutem, & hanc multis virtutibus ſplendentem atque fulgentem adſpicere, & adſtantem ad patris latus Albertum Fridericum filium, patris imaginem: quem omnes boni vt bonorum ampliſſimorum, ſic etiam ſanctiſſimarum virtutum, quas colet, haereditatem accepturum ſperant atque confidunt. Et ex his ego vnus ſum, vt qui princeps a populo ſuo amatur & colitur: qui eccleſiis paſtores idoneos magnis ſtipendiis praeficit: qui ſcholas conſtituit: qui Sionem illum ſanctum, Regium, inquam, montem gymnaſium litterarum: academiam doctiſſimorum hominum tam liberaliter ornat: qui tot hominum filios alimentis litterarum enutrit: eius credo atque confido filium, illuſtriſſimae ſpei adolescentem Albertum Fridericum, deo curae eſſe, vt patri ſuperſtes maneat, & paternis veſtigiis inſiſtat, et ſuis virtutibus patris memoriam intermori non patiatur. Saepe magnas & preeclaras virtutes minora facta comprobant. Mihi certe haec adolescentum commendatio, quae ad nos miſſa eſt, vt nobis illi curae ſint, quos ſupra poſui, pro

in-

indicio eſt, earum virtutum, quas Ioachimus Camerarius, & Georgius Sabinus in libris ſuis tribuunt; & nos eo loco & hos adolescentes & ceteros, qui ex Pruſſia venient, habituri ſumus: quo liberos & pignora noſtra, ſi adhuc idonei eſſe videbimur, noſtraque disciplina & noſtra docendi ratio apta talibus habebitur ingeniis. Quae autem via in noſtris ſcholis & quae ratio inſtituta ſit erudiendi pueros, & exercendi hanc aetatem, aliquot epiſtolis expoſui, quas ad te, Princeps Clariſſime, mitto: primum vt ſeſe tuae auctoritatis atque amplitudinis patrocinio contra iniquos, ſi quos habiturae ſunt, tueantur. Deinde, vt, ſi haec ratio placeat: Regii montis academia habeat, vel quo vtatur, ſi placebit; vel cuius nos commoneat, ſi improbabit. Cupio enim mea ſtudia & meos labores aliis prodeſſe hominibus: non ſolum Argentinenſibus placere. Et valde laetor hac aetate mea, quae a ſexageſimo prope abeſt, quoties audio, ſcholas vel emendari vel conſtitui. Itaque fama Regiimontis annos iam multos me recreat: & Roſtochiana academia vt laudes maximi principis ducis Iohannis Alberti Megalopolenſis generi celebrat; ita me ſaepenumero delectat: & quia hunc ducem propter litteras & doctrinam & ſingularem virtutem amo; & quia propagari opto litterarum ſtudia non ſolum locis & regionibus, ve-

verum etiam temporibus & aetatibus perpetuis humani generis. Haec etiam a pontificiis fieri mihi gratum & iucundum est: & laudo Augustanum cardinalem, quod Iesuitarum collegium maximis, vt mihi videtur, impensis atque sumtibus instituit. Idem audio Archiepiscopos Moguntinensem & Treuerensem facere. Beatos viros, si doctrinam euangelii sanam & incorruptam permitterent. Recte enim distributae sunt facultates ecclesiarum, cum ad vtilitatem & necessitatem: tum etiam ad auctoritatem atque dignitatem. Nam principes Episcopi suas non solum opes, verum etiam facultates copiosas habent. Canonicorum etiam collegia omnia singulis suppeditant, quae ad vitam & ad existimationem pertinent: & ceteri sacerdotes & administri sua habent praeclara stipendia: & nusquam non sunt nosodochea & xenodochea: haec omnia illis, si doctrinam bonam defendant, iure bono debentur: & possent retinere auctoritatem & dignitatem, absque inuidia maiorem & firmiorem & diuturniorem, quam iam habent, quae quotidie magis atque magis debilitatur. Et metropolitanos & patriarchas quis non laudet? sed dum vnum hominem defendunt dignitatis suae pericula sibi facessunt: & pontificis malunt atque episcopi romani, quam Caesaris & imperii clientes esse; & romani pontificis potius iura-

ci

ti administri esse, quam in imperio liberi principes. Sunt multis & insignibus virtutibus praediti, quos noui, & laudo & laetor propter virtutes: sed doleo propter easdem virtutes, has omnes virtutes hoc iurisiurandi & religionis errore suos non posse fructus profundere. Verumtamen recreant me haec instituta, non minus, quam Bembus & Sadoletus, dum viuerent, recreabant: sed nostrorum magistratuum scholis magis reficior: & Neuburgo ex Bauaria rediens: Tubingae coaedificata collegio pauperum domus mirabiliter me exhilarabat. Centum & amplius opinor, alit delectos adolescentes optimus princeps: legibus bonis, bonoque moderatore Samuele Heylando: cubicula & hypocausta coniuncta bini aut quaterni habent, amplitudine & aere salubria, & fabrica eleganti iucunda: perpetuum monumentum maximi principis. Sed longius digredior, redeo ad adolescentes vestros, qui eo loco apud nos erunt, si reuertantur: & alii, qui istinc venient omnes eo loco erunt, quo apud ipsos parentes atque amicos, amoris, fidei, curae & solicitudinis. Verum, quoniam vsus nos docuit, iuuenes vt ex remotissimis locis adueniunt, ita minus obtemperare legibus; & eos inprimis, qui paullulum aetate progressi sunt: minores natu plus ad doctrinam proficiunt, & regionum interualla principum & magistratuum commendatione at-

atque voluntate minus nocent: si testimoniorum accedet necessitudo, quae non annua esse debet, sed trimestris: non enim locorum solum interualla; verum etiam temporum spatia negligentiam pariunt & disciplinae fastidium gignunt, & verecundiae modestiaeque limites, & parentum atque propinquorum voluntates non respiciunt. Oculorum enim & aurium, quam animi & mentis sensus in disciplinae & legum reuerentia sunt acriores. Gladium districtum, quam in vagina conditum, magis extimescimus: & biduum in prouisione mortis magis percellit miseros mortales, quam quae multis annis exspectatur. Atque idcirco senex sanus quam adolescens aegrotus saepe deum minus metuit. Quo saepius adolescenti testimonium a praeceptoribus postulandum est; eo diligentius cogitat, quantum mali negligentia & vita dissoluta, & quantum boni, vita frugi & diligens pariat: ad vtilitatem, ad laetitiam, ad dignitatem. Deus, princeps illustriſſime, tibi det populum obedientem & frugi: iuuentutem diligentem & eruditam. Filium vero patris optatis & bonorum virorum votis & omnium spei atque exspectationi respondentem custodiat, defendat, amplificet, & matrem vna cum parente sanam & incolumem, fortunatam & prosperam deinceps annos plurimos tueatur. Argentorati III. Calend. Aprilis, Anno M. D. LXV.

AD

AD

NOBILES ATQVE PRAECLAROS VIROS

HENRICVM MVLHEMIVM

CAROLVM MIEGIVM

FRIDERICVM GOTESHEMIVM

SCHOLARCHAS, PRAETORIOS, CONSVLARES,

TREDECEMVIRALES VIROS

IOANNIS STVRMII

PRAEFATIO.

IEſuitarum nouum & recens nomen eſt, & hominis acuti callidum inuentum, ad colligendas multorum hominum & ciuitatum & populorum, imperatorum etiam & regum gratias. Et is, qui excogitauit, pontificis, qui tum viuebat, ſibi beneuolentiam conciliare voluit; & ſibi ad dignitatem maiorem atque ad pontificatum, quem adſecutus tandem eſt viam, hoc nouo monachorum collegio patefacere: cuius ipſe, cum in minoribus adhuc eccleſiae gradibus haereret, ſe auctorem & praefectum profitebatur. Sed tamen prae ceteris monachorum familiis, ſi laudandae eſſent, iſtud laudem mereretur. Nam quod neque bonus & pius Ioannes Capnion Phorcenſis; neque diſertus atque litteratus Erasmus Roterodamus; neque ante hos duos Alexander Hegius & Rodolphus Agricola a theologis atque monachis obtinere potuerunt, vt bonas litteras, ſi non colere vellent, at doceri ſinerent: hoc iſti ſua ſponte ſuscepe-runt, & linguas docent, & dialectices praecepta tradunt, & dicendi rationem quoad poſſunt, ſuis explicant diſcipulis: qua ratione id adſequuntur, vt quo rariores illae ſcholae, quas academias vocamus, quam iſtae, ſunt, quae in omnes ſeſe vrbes inſinuant;

eo

eo plurium mortalium gratiam atque fauorem compa-
rent. Laetor ego hoc instituto duabus de caussis: qua-
rum vna est, quod nos iuuant, & bonas litteras colunt,
quarum nos perstudiosi & percupidi sumus. Vidi e-
nim, quos scriptores explicent, & quas habeant exer-
citationes, & quam rationem in docendo teneant:
quae a nostris praeceptis institutisque vsque adeo pro-
xime abest, vt a nostris fontibus deriuata esse videatur.
Itaque non magis nobis & nostrae religioni obfuturi
sunt, quam Bembus, Sadoletus, Contarenus, Polus,
aliique multi docti sane homines minimeque mali viri:
quorum amici non pauci atque etiam discipuli in nos-
tris visi castris sunt: ab illis armati non in nos, quos
defenderunt, sed in idolatriam, quam nobiscum for-
titer oppugnarunt. Altera caussa est, quod cogunt nos
maius suscipere studium & vigilantiam, ne illi, quam
nos, diligentiores esse videantur: & plures eruditos
atque litteratos efficere, quam nos efficiamus. Tribus
in locis sunt in Bauaria & Sueuia vicina gymnasia:
duo Ingolstadii, veteris academiae & Iesuitani collegii:
Lauingae nostrae religionis & Dillingae Iesuitarum.
Cupio in his aemulationem excitari & eodem conten-
dere; ad doctrinae & eloquentiae artem: sed certe La-
uinganae scholae caussam defendent meliorem, & si ra-
tionem hac hieme institutam in exercendis adolescenti-
bus persequantur; non se sinent a Iesuitis superari. Est
enim Lauingana eadem cum nostra ratio atque via,
quam ego ante annos viginti octo a me institutam iam
explano, vt simplex sit & directa: absque asperitate:
absque locis auiis: absque vllis salebris, ne specioſos
quidem labyrinthos admisi, qui cursum studiorum impe-
dire possint. Hunc ego laborem tribus de caussis suscepi,
quarum vnam mihi Petrus Sturmius, Iacobi Sturmii
frater, quem memoriae & honoris caussa nomino, scho-
larcha, anno ante mortem suam praebuit. Nam cum in
quodam dolore meo consolaretur me, cum me obtempe-
rare suo consilio videret, rogauit, vt, quoniam auctor

gymnasii nostri senatui essem: non constituti (nam sua sponte eo senatus properabat) sed hac ratione instituti: vt, quod bene a me institutum esset, perficerem, si quid mihi deesse videretur. Altera caussa est senatus nostri beneuolentia & constantia in hoc instituto retinendo, & bene merendo non solum de suis ciuibus; verum etiam exteris populis atque nationibus. Postrema, fama scholarum nostrarum: quae si in annum iam prope trigesimum floret; nullum mihi dubium est, quin se sit ipsa posthac superatura, & profusura fructus longe melliores atque vberiores, quam vsque ad hoc tempus mortales senserint: si hanc, quam nunc ingressi sumus viam, persequamur. Quamobrem & propter Petri Sturmii petitionem & senatus voluntatem, & vrbis nobilitatem, quae fama academiae nostrae amplificatur, feci, quod me nunc videtis facere: & viginti epistolis classes rursus distribui, officia descripsi, exercitationes institui, docendi rationem talem patefeci, quae mihi proxime ad Latinorum atque Graecorum, si non facultatem, at certe facilitatem & consuetudinem videtur accedere: non modo magno emolumento, verum etiam praeclara laude senatus & reipublicae nostrae. Nam cum magnas eleemosynas quotidie ciuitas nostra exerceat in xenodocheo, ptochodocheo, nosodocheo: in ciuibus alendis, & domo Marciana; tamen nescio quomodo scholarum nostrarum gloria Deo gratior esse videatur, & fructus proferat longe salubriores atque suauiores doctrinae atque religionis. Ac facultates certe ecclesiasticae hoc potissimum nomine comparatae sunt: & cum tria sint furtorum genera, vnum in rebus priuatis, alterum in aerario senatus, tertium in bonis ecclesiae; quanto peculatus furto tetrius maleficium semper habitum est, tanto horribilius est scelus sacrilegium, quam peculatus, & tanto sacrilegus, quam peculator, est detestabilior. Romani furtum quadruplo mulctarunt; peculatorem rebus repetitis atque restitutis in exilium eiecerunt: at sacrilegi semper

per deo poenas dederunt. Deus etiam daemoniorum delubra qui ſpoliarent, de iis grauiſſima ſumſit ſupplicia: nullum vnquam ſacrilegium impunitum praeteriit, ſi hiſtoricorum monumenta vera prodiderunt de harum rerum memoria. Romani parricidam iudicarunt, qui ſacrum ſacroue commendatum clepſerat aut rapſerat. Adeo antiqua lex illa fuit, vt verba legis Ciceronis aetate in vſu eſſe deſierint, cum vis atque auctoritas legis in memoria haereret bonorum ciuium. Ego certe magnam ſaepe voluptatem capio, cogitans, quod haec respublica omnium acceptorum & expenſorum queat rationem reddere: neque in hoc genere bonorum manus parricidio inquinatas habeat. Ergo adhuc integrae facultates ſunt collegii Thomani: neque a nobis, qui eas adminiſtramus, & legibus veteris eccleſiae in locum demortuorum ſucceſſimus, minuuntur ſed augentur: & ex illis tantum pro parte noſtra ſuppeditamus, vt neque templis concionatores, neque ſcholis magiſtri litterarum queant deſieri. Prouiſum etiam ſic ratione eſt, vt ne quaeſtor quidem vel auarus, vel callidus, vel improbus aliquid queat de commodis collegii, vel tabularum & litterarum, vel pecuniarum & agri ſubtrahere. Et quoniam ego huic etiam, collegio praepoſitus ſum, primum ego veſtro iſtud patrocinio commendo: vt a vi atque iniuria nobiscum velitis defendere, & iſtud litterarum & religionis aerarium contra barbariem tueri. Deinde vt hoc inſtitutum immutari non patiamini mortuo me: quod annos iam viginti octo & amplius magnas commoditates attulit, templis, ſcholis, cancellis conſiliorum: in ciuitatibus, in aulis regum, in legationibus, in comitiis, in iis locis, in quibus adhuc viuunt eruditi & experientes viri, in noſtro informati gymnaſio & hanc rationem retinebitis, ſi meum conſilium ſequemini neque libros atque ſcriptores commutari patiatis, ſi illa mala depellere vultis, quae a barbarie & indocta doctrina ſolent procreari. Poſtremo ſi praeceptores offi-

cium ſuum facient; dum facient, egere non patiamini: etiam liberis eorum prouidete, ne parentum fides atque diligentia, quam in hoc munere praeſtant, liberos relinquat in egeſtate: *& quoniam Seuenus ita in hoc officio demortuus eſt, & curiae primae multis annis praefectus ita fuit, vt nemo illo iudicatus fuerit diligentior & doctior; cuius laudis multos praeclaros viros discipulos ſuos teſtes habet; commendo veſtrae benignitati liberorum eius cauſſam, quorum ego tutor ſum, & quos ego aeque ac ſi liberi mei eſſent, mea fide defendere debeo. Itaque ego patris officium facere illis debeo: ſed veſtrum tanquam auorum & proauorum peto & poſtulo auxilium.*

I.

IOHANNES STVRMIVS ABRAHAMO FEISIO PRAEFECTO DECIMAE CVRIAE.

QVod agricolae facere ſolent, vt arbores, quas ipſi plantarunt, aut in quas ipſi ſtirpes inſeruerunt; maiore ſtudio educent poſteris ſuis, quam eas, quas a ſuis acceperunt parentibus: idem magiſter bonus facere debet, in ſcholarum noſtrarum tribu infima, cui tu, Abrahame, praefectus es: vt plantas & ſtirpes ſuas eſſe ſtatuat discipulos ſuos, non ex alterius ludo acceptas aut emendatas; ſed quaſi nouellas radices, nullius manu adhuc manſuefactas, quarum enutritio gratiſſimam memoriam & vberrimos fructus relinquat ſuis poſſeſſoribus.

Accipis, mi Feiſi, a parentibus adolescentulos prope infantes pueros: rudes adhuc non ſolum a doctrina, verum etiam a moribus: vt & disciplinam virtutum a te primam accipiant: & doctrinam artium atque disciplinarum adipiſcantur, quarum tu in hac aetate prima ponis fundamenta. Iuueuturis enim & ſenectutis, totiusque in ſequentis vitae fundamentum virtutis atque doctri-

trinae pueritia & adoleſcentia eſt, quod his conſtat quaſi partibus officii, tui in docendo; & illorum, in discendo: vt litterarum formas cognoſcant, non partitione aut definitione acuta vel obſcura; ſed oculorum & ſenſuum indicatione, vocis pronunciatione, linguae flexibilitate. Remouendum enim a primis annis, quidquid cognitione obſcurum & difficile eſt. Vt lacte & cibo, ita etiam doctrina delectantur & enutriri volunt facili teneri ventriculi.

Huic litterarum ſingularum obſeruationi ipſa lectio & pronunciatio orationis ſcriptae coniuncta eſt: nullo prope interuallo. Sed magis mihi placet, & priuatim expertus ſum, ſatius eſſe ab inflexionibus nominum & verborum facere principium, quam a partibus catecheſis. Primum quia non eſt neceſſarium catecheſin proponere latinam, ſi germanicam teneant. Pſyttaci carmen eſt, non hominis, ſermo latinus aut graecus ab eo, qui loquitur, non intellectus. Bene adpellat deum, qui materna voce adpellat bene.

Itaque quod domi de catecheſi didicerunt, curandum eſt, vt eius non obliuiſcantur: quod deſit, id & domi a parentibus & in ſcholis abs te addatur, iis horis, quae huic disciplinae ſunt conſtitutae.

Ad nominum & verborum inflexiones puer ducendus eſt, ſimulac notas litterarum cognouerit. Dum enim idem vocabulum caſibus & perſonis commutatur; dum primae ſyllabae retinentur; poſtremae variantur non temere ſed arte: duo commoda adſequitur magiſter, vt adoleſcentulus nullo faſtidio adipiscatur legendi facultatem, & id mandet memoriae, quod diſcere eſt neceſſarium, & ſine quo conſiſtere non poteſt doctrinae coaedificatio. Diximus enim in tua curia tanquam in ſoli callo fundamenta litterarum eſſe iacienda: & tribum tuam veluti ſeminarium eſſe pulcherrimarum

arborum, quas tu aliquando non in hortis & pomariis radicibus in terra fixis ſtare videbis: ſed in foro & curia, in aulis regum verſari, & vberrimos ex ſeſe fructus conſiliorum producere. Incredibile eſt, quam bene fundata ſit memoria in homine ſtudioſo acceptorum beneficiorum hisce primis vitae annis Matris meae Gertrudis, & patris Wilhelmi Sturmii, & aui paterni Iacobi Sturmii, & materni aui Conradi Hulſani, & auiae vxoris illius, Euae: illiusque matris proauiae meae, quas omnes vidi memini, gratiſſima mihi atque ſuauiſſima memoria eſt. Sed certe neque ingrata neque inſuauis recordatio Iohannis Neoburgii, primi praeceptoris mei, & Iacobi Blomedalii & Antonii Dalberi, & Gerardi Episcopii: quos omnes in patria audiui: & ita amo, vt illorum liberis atque nepotibus gratificari me poſſe mihi eſſet gratiſſimum. Arnoldum vero, Einatenſem, quem Leodii audiui in collegio Hieronymiano, ita amaui, vt adhuc mihi in visceribus atque medullis haereat. Qanta laus Socratis, quod Platonem habuit discipulum? quanta Platonis, quod Ariſtotelem? ſed hi fortaſſis litterati, antequam ad Socratem adducti eſſent: at credibile eſt, non illis minus fuiſſe primos magiſtros caros, quam nobis noſtros eſſe ſentimus.

De his te monere mihi viſum eſt, Abrahame, vt dum in hac curia officium diligentis magiſtri facis; non te poeniteat virtutis tuae, cuius etiam ego & qui mecum ſcholis praepoſiti ſunt, rationem habituri ſumus. Vale. Argentorati, quarto calendas Martias. II.

IOHANNES STVRMIVS HENRICO SCHIRNERO NONAE CVRIAE PRAEPOSITO.

MIttо ad te, Henrice, epiſtolam, quam hodie Abra-

Abrahamo ſcripſi: propterea quod idem te velim animaduertere, quod illum volo conſiderare. Non enim longo interuallo tui diſcipuli antecedunt: antecedunt tamen, ſed hos habent proximos: Abrahamus inchoat inflectendi nomina & verba facultatem, tu auges atque confirmas: ille certa, tu omnia caſibus atque temporibus varias. Ille tibi adhuc balbutientes & haeſitantes mittit: tu habitudinem firmam in illis abſoluis, vt nihil illis ſit inflexibile: praeter ea, quae flexibilia ſuapte natura non ſunt.

Sed praeter hoc tuum inflectendi officium, illud alterum tibi etiam atque etiam diligenter faciendum eſt, vt copiam ſibi atque facultatem vocabulorum comparent: rerum earumomnium, quae in quotidiano verſantur vſu, quae ſenſibus hominum ſunt explicatae. Nihil videatur in corpore hominis, nihil in pecudibus, nihil ſit in culina, in cella vinaria, in cella frumentaria, ad coenam quotidianam nihil adferatur, nihil in hortis conſpiciatur herbarum, fruticum, arborum, nihil in ſcholis ſit vſurpatum, nihil in bibliotheca, nihil in templis frequentatum, nihil in coelo ſenſus quotidie hominum moueat, quod pueri tui, quoad eius fieri poterit, non queant latino nominare nomine.

Quomodo id fieri debeat, ex me didiciſti. Sit omnium ſilentium, vnus ſit, qui tibi reſpondebit & hic reſpondeat tibi voce contenta & clara, vt ab omnibus audiatur: etiam tuam tu intendes, vt exaudiaris: & tu interroga & ille reſpondeat ex loco remotiore, non ſolum vt intelligant ceteri, quid rogatum ſi, & quid referatur; ſed etiam vt eamdem rem ſaepe repetitam recognoſcant. Vitium magiſtrorum maximum eſt, ad aures illius, qui rogatur, ſtare.

Singulis quotidie ſingula propones vocabula: ſed diuerſa, verum ſub eodem genere rerum poſita

sita. Non necessarium est, vnum omnia scire eodem die, sed vniuersi omnia habeant: singuli sua sciant singula. Vt enim mercium & pecuniarum inter ciues; ita verborum & nominum sit in scholis commutatio. Id adsequemur, si tu roges, ita vt me rogare vidisti: si ipsi adolescentuli sese interrogent: si συζυγιαις a te fiant, quales a me fieri sensisti: si crebro, quae tradita sunt, reuocentur ad memoriam, praesertim difficiliora: si genus cum suis formis in medium prodeat: si totum partes suas omnes habeat pedissequas: si in ludo exiguo prope totus mundus constituatur. Nam si Cosmographi terrarum situs & vrbes, & montes, & siluas, & maria, & flumina, & lacus, animantia etiam permulta, vna in tabula, dilucide complecti possunt; si istud faciunt in singulis: cur istud nos non faciamus in vniuersis, in generibus, generumque formis? Mediocri arte opus est: labor etiam mediocis requiritur & vnius anni labor prope omnia conquirit, quae in reliquas aetates sunt profutura. Fuit haec ratio a me indicata ante annos viginti septem, sed, vt video, non intellecta, nunc vero & intelligi illam volo, & tradi, & exerceri, & in scholis, si meum consilium sequantut homines, retineri. Quam caussam esse putamus, quamobrem romani & graeci adolescentuli quam celerrime dicendi facultatem adsequebantur? Domi prope in cunis ad matrum papillas lallare condocefiebant: balbutientes dum aetas tulit, ferebant nutrices: crescentibus viribus corrigebant, vocabula suggerebant domestici, iidem colludebant, non solum, vt recrearent, sed etiam instruerent sermonis latini facultate. Iuuit hanc commoditatem quotidiana consuetudo aequalium, quorum ludi & sermones, & res adferebant nouas, domi non cognitas & earum rerum vocabula. Hac facultate destituta est nostra aetas & iuuentus nostra. Non parentes, non domes-

meſtici, non familiares, non ciues, non magiſtratus ſunt, qui latine loquantur. Iſtud publicum & commune malum magiſtrorum corrigendum induſtria, atque hac ratione, quam nunc inſtitui: quam ſi adſequar in hac curia tua, & in hac aetate apud pueros annorum ſeptem; non dubium eſt, quin ſuperiorum curiarum praefecti eadem & longe maiora ſint adſecuturi, quae ab ipſis etiam requiram & in illis claſſibus ſunt neceſſaria.

Quod ab Abrahamo, idem a te peto, vt ne te pigeat neque pudeat huius officii, quod non aeſtimabis tua doctrina, ſed vtilitate publica, cuius viros bonos decet eſſe ſtudioſos. Fateor ſane, in ſuperioribus te curiis vtilem & idoneum eſſe poſſe; & aliquando ex illis tibi aliqua committetur; breui fortaſſis: ſed nunc in hac arena te pugile habemus opus contra barbaros gladiatores, qui latini ſermonis puritatem propter negligentiam corrumpunt, & propter inuidiam non patiuntur efflorescere. Efflorescit autem in hac aetate, cui tu praepoſitus es, & maturescit in ſuperioribus gradibus: & fructus edit vberrimos in foro & iudicio, in magiſtratu & curia, in templis & eccleſiis Chriſti, in omnibus locis reipublicae chriſtianae. Vale. Argentorati Calendas, quarto Martias.

III.

IOHANNES STVRMIVS MATTHIAE HVEBNERO OCTAVAE CVRIAE MAGISTRO.

QVod tuum ſit officium, quae te pueros tuos docere oporteat, & qua ratione ea, quae docebis, tradere deceat, ex libro, quem *de litterarum ludis*, ante annos viginti ſeptem ſcripſi, per te, mi Matthia, potes intelligere. Confeci etiam hisce diebus librum *de ſcholis Lauinganis*, qui te etiam adiuuare poterit. Eamdem enim rationem, quam

de principio institui, retinendam in huiusmodi siue gymnasiis siue academiis arbitror. Non enim meliorem inuenire possum, neque, vt ego puto, melior inueniri poterit, si recte intelligatur: & idoneos sit adsecuta magistros, quos adhuc paucos habuit. Itaque ego hisce proximis diebus superioribus adesse coepi Henrico Schirnero, nonae curiae moderatori: & per omnes classes progredi cogito, vt non solum scriptor, sed etiam actor esse videar: & eorum nihil omittamus, quae in natura posita sunt, & suscepta atque elaborata a graecis & latinis philosophis atque rhetoribus; & quae nostris & litteratis hominibus probari poterunt; & adcommodata sunt ad recuperandam, quam amisimus, veterum Graecorum & Romanorum docendi, declamandi, disputandi, scribendi, dicendi facultatem. Sed haec ad primos nostrarum scholarum gradus pertinent: ego vero adhuc vobiscum in imis haereo, qui tamen tales sunt, vt ad illos summos peruenire atque adspirare cum nostris adolescentulis non possimus, nisi ab his fiat principium: & nisi nos ad illos superiores viam patefaciamus: qua in re itidem ego te, vt Henricum, adiuuabo, non solum consilio, sed etiam labore: sed ita, vt meum studium tua leuetur industria.

Primum igitur omnium tibi maximopere etiam atque etiam prouidendum est, vt eorum, quae pueri in curia nona didicerunt, ex animis illorum non discedat memoria, quae cuiusmodi sint, in libris exemplorum & in diariis videre est. Hos libros deponere de manibus non patieris, seuere in illum animaduertens, quicunque in his conseruandis sit negligens: hi sunt testes diligentiae, hi custodes memoriae: hi, quid adepti sint pueri sua industria & magistri diligentia, indicant: hi praemonstrant, quid deinceps porro addi debeat. Quod hic tibi praecipio; idem reliquos magistros superiores facere

cere iubeo, vt hos libros & has ephemerides tanquam perpetuum veſtalem ignem exſtingui non ſinant. Puer, qui ad te adſcendit, ex loco inferiore, eum exempla omnium inflexionum tenere oportet, & inflectere nomina & verba omnia poterit: ſed hanc facultatem magis conſuetudine & exercitatione, quam ratione artis adipiscitur: vt Romae pueri latini, & Athenis graeci adoleſcentuli, prius loqui didicerunt, a parentibus & cognatis & & amicis & familiaribus, quam ex grammaticis: quamobrem ita loquendum ſit, vt loquebantur, didiciſſent. Habere etiam hunc oportet ſingulorum, binorum, ternorum, quaternorum membrorum omne genus comprehenſionum, quas Graeci περιόδους nominant: in quibus ſententiae comprehenſae ſint, quae ad vtilitatem aliquam vitae, & ad mores atque disciplinam pertinent. Sed quoniam huiusmodi comprehenſiones non eſſe tam multae poſſunt, vt quotidianarum rerum complectantur verba omnia atque nomina; congeſtam oportet puerum habere copiam in hisce rebus vocabulorum; diſtinctam generibus & formis: integris & partibus: ſocietatibus, inimicitiis, propriis notis, diuerſis, ſignis, cauſſis, effectis: quae omnia cuiusmodi ſint, fortaſſis non videbit, niſi procul, memoria tamen & vſu erit adſecutus, vt quoties illis opus ſit, in promtu ex ſua penuaria cella habet. Sed haec copia atque facultas in illa tribu & puerili populo ſumma eſſe non poterit, propter aetatem & rerum multitudinem & disciplinae nouitatem, & temporis breuitatem: itaque tibi addenda ſunt, quae illis defieri videbuntur. Illic didicerit, quid epiſtola ſit, quid litterae, quid dare, quid accipere, quid reddere: apud te vero, quid litteras dare: quid reddere epiſtolam, quid accipere, quae amicus & neceſſarius ſcripſerit. Illic nomina quam plurima habebit, verba etiam multa, ſed tibi plura ad-

addenda sunt: illic multa discet, sed singula, quae tibi erunt coniungenda.

Ergo ad hanc inchoatam copiam verborum, tu reliquam, quoad poteris, addes: & ad illas verborum comprehensiones, quas ab Henrico accepit, tu alias, quae deesse videbuntur, adcumulabis, vt ephemerides diariaque crescant: & amplificetur vna cum verborum multitudine memoria atque cognitio.

In omnibus illud Quintiliani non consilium esse putato, sed praeceptum: nomina declinare & verba inprimis pueri sciant. Nam tametsi istud ad Abrahamum atque Henricum pertineat; tamen horum est inchoare, tuum vero perficere. Verum vt apud Mathematicos conclusiones τῦ διότι excellentiores habentur, quam τῦ ὅτι; sic tuum officium maiorem pollicetur doctrinam.

Quantum enim inter matrem patremque & magistrum atque grammaticum differentia est; tantum inter te & illos incipit esse discriminis. Tu enim omnem sermonis atque orationis facultatem atque varietatem octo complecteris partibus: tu singulis partibus suas attribuis definitiones atque partitiones: tu declinationes nominum discernis, tu genera illorum distinguis: idem tu in verbis facis, similem rationem in ceteris sequeris orationis partibus.

Haec omnia adsequeris, si necessaria deligas, superuacanea reiicias; si obscuritatem fugias, perspicuitatem adhibeas, si idoneis exemplis explices; si illa ex iis sumas, quae audiuerunt: si crebro reuoces ad memoriam & e memoria euelli non patiaris: si eam rationem in rogando atque respondendo retineas, quae Henrico mandata est.

Praeter has partitiones atque diuisiones & inflexiones: & praeter haec grammatica praecepta & praeter illa diaria, & volumen illud comprehensionum,

onum, Ciceronis delectas a me interpretaberis epistolas, in quibus ita properandum, vt necessaria non praetereantur: ita commorandum, vt nihil nisi necessarium exerceatur, & quemadmodum singulis pueris singula committimus, sed diuersa, eodem vero pertinentia vocabula; idem in his epistolis faciendum est non singulis pueris, sed singulis decuriis, aut in vna decuria binae proponendae epistolae sunt: quas ad verbum interpretentur, quas tu illis resoluas: quarum vnum quodque verbum ad sua artis grammaticae loca queant reducere. Hoc enim modo, & res plures discere poterunt: & tu tuum, quod dicitur, poteris, quod a te exigimus, pensum soluere.

Stili exercitationem nondum abs te exigo: praesertim sex primis mensibus officium facies, si loquendi modos & sententiarum formulas integras generibus, casibus, modis, temporibus, personis, verbis nominibusque vel diuersis vel idem significantibus vel eodem pertinentibus, commutes & adcommodes vsui & loquendi consuetudini quotidianae: denique si loqui eos doceas: stilum tamen attentare posterioribus mensibus non inutile est, vt pueris concessum est gladios gestare, e vagina educere, distringere, eo recondere, lateri in vagina adplicare, cum illo per forum ambulare, vt ne omnino illum rudem superioris curiae magister, tamquam bonus gladiator, accipiat. Sed de his coram, & quasi in re praesente, cum ad tuam tribum peruenero. Hoc vero tempore satis est, si quae in nona trado, ea ad te mittam, vt & haec tui discant, & reliqua addamus, quae in hac tua curia tibi tradenda & pueris sunt elaboranda. Vale.

Argentorati, Mense Martio.

IIII.

IOHANNES STVRMIVS THEOBALDO LINGELSEMIO SEPTIMAE CVRIAE MODERATORI.

SI, quod ſpero, perſequi potero curiarum, quas hiſce diebus obire coepi, inſtitutionem, ad autumnales progreſſiones, Theobalde Lingelſemi, adoleſcentes tibi adducemus bene inſtructos, atque paratos ad declinadum verba & nomina, & ad reſpondendum: ſiue de partibus orationis rogare voles eos, & de illarum diuiſione; ſiue de nominum declinationibus, generibus, caſibus, numeris; ſiue de verborum coniugationibus, temporibus, modis, numeris, omnique illorum varietate; ſiue ea quaerere placebit, debes autem quaerere, quae tradi oportet a praeceptoribus & cognosci ab adoleſcentibus, quae ad reliquas ſermonis partes ſunt neceſſaria. Inſtructi etiam erunt mediocri vocabulorum copia eaque digeſta atque partita, ita vt cognitionem ſecum verborum adferant adcommodatam ad artium & disciplinarum diuiſiones: & ad philoſophiae totius diſtributionem. Poſt hanc inſtitutionem trium magiſtrorum, tuum officium eſt, Lingelſemi, vt neque horum obliuiſcantur, ſed confirmentur, iſta tua induſtria & exercitatione adſidua, & alia addas, quae ad tuam tribum maxime pertinent, & tui coetus propria ſunt. In his locum vnum tenet orationis latinae conſecutio, quam ſyntaxin grammatici graeci nominant: hanc regulis velim eſſe non nimis numeroſam, ſed breuem, verbis claram, exemplis apertam; latinis maxime, Ciceronis imprimis, vt eſt noſtra, quam Theophilus Golius confecit.

Harum regularum memoriam & vſum confirma ἀναλύσει quotidiana epiſtolarum Ciceronis, & illorum, quae in volumine periodorum explicantur:

tur: & renouatione eorum, quae in classibus audiuerunt inferioribus.

Vt progressus possis facere magnos in eo curriculo conficiendo, cuius meta tibi in hoc stadio constituta est: propones singulis pueris singulas vel epistolas aut epistolae partem, si sit prolixior; vel periodos singulas longiores; breuiores binas singulis propones interpretandas ad verbum. Sed crebro iteranda ista sunt, & commutandae personae vna cum rebus, quas singulis commiseris, vt singuli pro vniuersis videantur respondisse primi, vniuersi vero eadem cognouisse omnia. Illud quomodo fieri conueniat, ex his cognoscere poteris, quae me audis in his inferioribus instituere decuriis: sed tu commodius facere poteris, posterioribus praesertim mensibus. Augescit enim facultas, augescente copia, crescente arte, exercitatione inualescente, & vsu adsiduo, qui artem plerumque superat. Plinianum est, *multum legendum esse, non multa*. Sed hic ego velim multa abs te fieri, vt illud multum adsequaris. Stilum hic dare pueris in manum debes, & in hac curia nouus & adolescens pugil instituendus est simili disciplina: qua in re facere tu debes, quod gladiatores solent, qui motu corporis & gestu, qui progressu, qui regressu, qui saltu, qui statu, qui petitione qui depulsione non desistunt praeire: antequam lanista discipulus idem facere incipiat. Idem musici faciunt, & tantisper praecinunt, dum puer concinere simul, aut solus queat canere. Propones igitur puero argumentum, quod ὑπόθεσις dicitur, rei, quae fieri solet, fictum negotium. Ea res nota sit, & aperta, gestione, personis, locis, temporibus. Sed non longa sit haec hypothesis & vel incisim vel membratim, principio praecipue comprehendas atque absoluas sententiam: paullatim ad δίκωλα & τρίκωλα & τετράκωλα veniendum

dum eſt. In his tu rerum nominabis vocabula, eaque coniunges & formulam pones ob oculos: non voce ſolum, verum etiam ſcriptura in tabula: immo hypotheſim abs te compoſitam voce praeibis. Semel, iterum, ſaepius, vt illi, de quibus iam dictum eſt, gladiator atque cantor: ita vt puer manu vtatur ſua & ſtilo ſuo, ſed magiſtri voce atque beneficio. Iſtud quotidie faciendum eſt; aliquando etiam iterum atque iterum quotidie: ſed ita, vt nullum exſiſtat faſtidium. Nihil enim ſtilo faſtidioſius eſt: & noſtra aetate nihil in ſcholis magis nocuit adoleſcentibus, quam. quod magiſtros in prolixis argumentis non habuerunt adiutores: quorum vtrumque pernicioſum eſt, non adiuuari & grauari onere. Haec argumenta non ſolum ſumes ex his, quae heri aut nudius tertius cognouerunt; ſed reuocanda etiam, quae in curiis audiuerunt inferioribus: inde repetenda nomina, verba, formulae: nihil ſat ſaepe repetitur, quod non ſatis bene cognitum eſt: & notatum confirmatumque memoria. Habet etiam haec ratio memoriae renouandae hanc vtilitatem, quod, quoniam pueri in tribus inferioribus ordinibus vocabula cognita attulerunt in tuam ciuitatem, diſtincta generibus atque formis; poterunt in hac ſtili exercitatione & ſcribendi conſuetudine, vna comprehenſione verborum res vnius generis omnes amplecti absque moleſtia. Vt ad hanc te rationem adſtringam; notabo tibi eam nomine Graecorum, qui ὑπόμνησιν eam vocant, quae requirit eorum, quae ante tradita & cognita ſunt, ἐπανάληψιν: quam etiam ἀνακένωσιν in arte dicendi nominare ſolent. Habet enim quaſi renouationem quamdam memoriae & rerum cognitarum haec repetitio atque reſumtio. Ergo Ephemerides adolescentum ὑπομνήματα eſſe puta: ſed tuum officium eſſe quotidie ὑπομμνήσκειν.

Ad

Ad ſtili etiam exercitationem pertinet, diebus feſtis aut pridie feſtorum catecheſin ex patrio ſermone in latinum traducere ea facilitate, de qua iam dictum eſt, vt tu voce praeeas, puer cogitatione atque ſtilo ſequatur. In hac parte illud tenebis, vt latinis vtare verbis & latinis ſententiarum formis: niſi cum religio noſtra propria habet vocabula, quae propter eccleſiae auctoritatem ſuam auctoritatem habere debeant, vt non modo pura ſed etiam ſacroſancta habeantur, vt *trinitas*, *vnitas*, *ſacramenta*, *baptismus*, *coena domini*, *baptiſta*, *euangeliſta*, *apoſtolus*, *episcopus*, *diaconus*, *claves regni coelorum* & cetera, quae ſunt huius generis: exornari tamen iſta poſſunt ὁρισμοῖς, ἰσοδυναμίαις, ἐπιθέσεσιν: de quibus ego tecum coram agam. Vt hic aliam catecheſin pueris proponas, quam eam, quam didicerunt in gradibus humilioribus minime laudo. Qui enim iſtud faciunt, quid aliud faciunt, quam quod tempus conſumunt, meliora negligunt, & hanc aetatem ſuperuacaneo labore vexant, & memoriam non augent, ſed diſtrahunt magna moleſtia, nulla vtilitate?

Si haec ſequeris, Lingelſemi, officium facies magiſtri diligentis: & tametſi nobis probaſti annis iam multis fidem & diligentiam tuam; tamen laudabo te magis atque magis, ſi hanc rationem ſequeris & conſilio noſtro obtemperaueris. Vale. Argentorati menſe Martio.

V.

IOHANNES STVRMIVS MARTINO MALLEOLO

ſextae curiae moderatori.

AMabo te, mi Malleole: diligenter animaduerte primum, quae praecepta dederim inferiorum tribuum praefectis, vt eamdem curam adhibeas facilitatis, perſpicuitatis, puritatis, copiae, in docendo, interrogando, exercendo. Nam

tametsi diversa doceatis; eamdem tamen viam vos ingredi atque rationem sequi eamdem, necessarium est. Deinde illud etiam diligenter considera, quot quantasque res discipuli ex inferioribus locis in hanc sextam curiam apportent: quae omnia facile intelliges, si cum probatio fiet, ante progressiones classium aderis: id quod necessarium est fieri, vt superior magister ex ludo inferiore adolescentes quasi e sua manu a probatoribus accipiat, suae fidei atque diligentiae commissos atque concreditos.

Tertium vero in officio tuo est, videre atque elaborare, vt quae assecuti sunt, ea custodiant, auctores, diaria, praecepta vocabula, & ea, quoties occasio dabitur & vtile est, interrogando reducere ad memoriam, ea vero inprimis, quae vel difficiliora esse videntur; vel quae sunt necessaria: neque satis saepe repetuntur, quae non satis bene retinentur. Illud praeceptum, quod in re familiari traditum est, locum etiam in scholis nostris habeat, *non minor est virtus, quam quaerere, parta tueri.*

Post haec tria, quae in tuo officio sunt, quartum sequitur, vt cogites, quae tibi addenda sint: in quibus sunt *epistolae Ciceronis longiores*: quas principio singulas diuersi argumenti singulis propones decuriis: quas ipsi interpretentur sermone patrio: deinde etiam plures singulis decuriis diuersis scriptas temporibus, & de rebus diuersis atque variis.

Idem facies in carminum voluminibus. Videat primus decurio, cognoscat aut ex te, aut ex aliquo superiorum tribuum, aut a suo didicerit paedagogo, & ab horum aliquo adferat hymnum Ambrosii episcopi,

Veni redemptor gentium:
Ostende partum virginis.

Proferat eodem modo secundus decurio epigramma Martialis,

Vitam quae faciunt beatiorem,
Iucundissime Martialis, haec sunt,

Ap-

Apportet tertius Horatianam Oden,

Rectius vives, Lycini, neque altum.

Idem faciendum eſt in frequentia, cum plures ſunt decuriae, vt in curia tua. Hi tibi primum interpretentur, & tibi de omnibus reſpondeant: idem ipſi a contubernalibus exigant, voce clara, vt reliquae decuriae exaudiant.

Idem in volumine exemplorum facies, ſiue interpretanda illa ſint, ſiue diſſoluenda, ſiue mandanda memoriae.

In vocabulis accumulandis ignauum, ſingulis ſingula aut bina proponere: ſinguli ſuas partitiones vnius loci & generis expediant in rebus coeleſtibus, in elementis, in re domeſtica & familiari, in re bellica & militari, in cella vinaria, in frumentaria, in culina, in ſenatu & curia, in foro & iudicio. Sed non totas partitiones neceſſe eſt perſequi, aliqua relinquenda ſunt altioribus gradibus: ea deligenda ſunt, quae huic loco & huic aetati congruunt.

Stilum ſcis dicendi opificem, artificem atque magiſtrum eſſe: hunc in eo loco incipies expolire, vbi Lingelſemius exercere ipſum deſiit. Eadem etiam illud facies ratione: ſed hypotheſes poterunt eſſe longiusculae: verumtamen non multis membris; minus multis periodis: ſint tamen hae comprehenſiones confertae rerum verbis, quae vnius ſunt generis, non omnis, nam id fieri non poteſt & quae varietatem vel requirunt vel patiuntur. Sit tamen ſtilus atticus, puritate, acumine, perſpicuitate.

Catecheſin latine extremo hebdomadis die & feſto die perſequeris: ſunt etiam Hieronymi quaedam epiſtolae vtiles propter religionem, elegantiam, doctrinam, quas euangelicae amant feriæ. Haec ſuscipito, haec facito, & propter hanc tuam induſtriam, fidem, diligentiam erga tuos discipulos, meam erga te beneuolentiam, amorem & ſtudium tibi poteris promittere, & a me exigere, vt perſoluam. Vale. Argentorati.

VI.

IOHANNES STVRMIVS IONAE BITNERO

praeceptori quintae curiae.

QVoniam vsque ad tuam curiam inde vsque ab extrema in classibus obeundis hoc tempore, Iona Bitnere, peruenimus: & id adsecuti sumus in illiusce aetatis adolescentulis, quod volebamus; quae reliqua erunt, si non adipiscamur, necesse erit, aut me vobis, aut vos mihi defore in nostris persoluendis officiis. Adducimus enim ad te adolescentes impuberes: praeceptis grammaticis linguae latinae bene exercitatos. Earum rerum, quae in coelo & aere videntur, quas aquae nobis quotidie proferunt, quas terra largitur, quae in hortis coluntur, quae in templis docentur, quae in homine animaduertuntur, quae in bestiis notantur ab omnibus hominibus, quae in curia & foro agitantur, quae in contractibus hominum versantur; quae locis, temporibus, aetatibus, sexu, vitae professione distinctae sunt: & harum rerum actiones, harum rerum omnium nihil est, quod non latino debent nominare nomine, & verbo explicare latino. De rebus loquor quotidianis, quas quisque patria lingua in classes attulit, aut adolescente aetate atque crescentibus annis didicit.

Has res mediocriter in curiis inferioribus si adsequantur; cognitis formis inflexionum, quid deinceps metuendum sit, non video: si desit inertia, & ignauia non officiat. Sed quid ego haec ad te? cuius voluntatem, industriam, studium, curam, fidem perspectam habeo; aut quid haec ad alios? in quibus eadem ista omnia agnosco. Sed ad omnes nos pertinet, scire, quid in unaquaque discant curia pueri, & quae cuiusque curiae sit docendi ratio, quae decuriarum exercitationes, & quantum ad su-

am

am curiam pueri primum vniuersi; deinde singuli adferant, aut adferre debeant; & quae sint illae res, quas quisque in sua tribu addere debet: multa enim ad vos superiores reiecta sunt, & ea necesse fuit reiicere; & in tua tribu statim proponentur ignotae res, & ignota rerum vocabula. Nondum enim quidquam de arte poetarum audiuerunt. Hic tu illis audebis hanc artem aperire, & syllabarum ostendere longa, breuia, communia tempora; numerorum & pedum ostendere genera, versuum & carminum discrimina, & illorum omnium exempla ob oculos ponere.

Graecas etiam illis proferes verborum complexiones de virtutibus & vitiis, de moribus & vita hominum, de rebus publicis. *Eclogae Virgilianae*, vtiles huic tuo choro, cognoscendae: & quae fuerint poetarum nouem deae, quae Gratiae, quae Parcae; quid Naiades, quid Hamadryades, quid Parnassus, quid mons Helicon? & in his fontibus ne te poeniteat *Ciceronis Catonem aut Laelium* recitare: amant enim musae huiusmodi auditores, & tradunt in sese mutuas operas, oratores atque poetae; & ab vtrisque philosophi atque historici adiuuantur. Et poteris haec coniungere: nam primam illam graecae linguae institutionem ad te ex sexto ordine adferent, quod opus grammaticum tibi exædificandum est. Inspiciendae tibi sunt diligenter non solum in hoc principio noui instituti, verum etiam in sequentibus post hac annis puerorum ephemerides, atque rerum quotidianarum codices recognoscendi, vt & earum rerum instituas ὑπομνήσεις: & ea addas, quae nondum adsequi poterant propter aetatem, & inopiam ptaeceptorum. Singuli tibi pueri hic singulos absoluant locos, in quibus latent rerum ὁμοειδῶν καὶ συγγενῶν vocabula, ordine non solum doctrinarum, verum etiam naturae retento.

Ordinem ita instituere poteris in explicandis scriptoribus, vt quotidie vnam abs te Virgilii Eclogam bene intellectam domum referant. Idem faciendum est in volumine comprehensionum. In memoria exercenda non vnum omnes meminisse & recitare debent; sed vniuersi omnia, quae vnius diei sunt pensa. Sed hic properandum quoad licet, vicibus atque officiis in respondendo saepe mutatis? Saepe etiam interuallo interposito & intermissione facta ad easdem res, quas ante didicerunt, recurrendum est.

Quod de graeco volumine monui, idem de volumine poetico sentio, in quo versus sunt omnis generis & exempla multarum rerum, quae in carminibus conficiendis exercenda sunt imitatione.

Stilum eo magis hic exercere debes, & acuere, & polire: quo pluribus, quam in gradibus inferioribus, abundabunt verbis & praeceptis & exemplis. Sed hic in versibus faciendis inchoandus est posterioribus anni mensibus, non argumentis propositis, sed poetarum solutis versibus: vt neque sententiarum inuentione sit opus, neque verborum delectu, sed solum collocatione. Quamquam non incommodum est, etiam poetica verba commutare aliquando cum oratoriis aut historicis, quae ratio πειραστικὴ est, vt iudicium facias de adolescentis industria: & ipse adolescens animaduertat, quid orator a poeta differat. Oratoris locum aliquem germanice interpretari, vt subito latinum in ipsis scholis faciant, facultatem dicendi auget, ingenium acuit & efficit, vt non tu, sed ipse orator adolescentis sit emendator & magister. Breuiter percurri, quae tibi suscipienda & elaboranda & praestanda censeo: opus habent ista explicatione longiore & praemonstratorem requirunt: sed habebis me in hac ratione atque via comitem & adiutorem & socium. Vale. Argentorati mense Martio.

V. IO-

VII.

IOHANNES STVRMIVS LAVRENTIO ENGLERO

quartae curiae praefecto.

HEri ego, Englere, ad Bitnerum scripsi, in qua epistola videbis, & quid pueri ad illum apportent ex classibus inferioribus, & quid ei adgregandum sit, in quo etiam perspicies, quae tua sint in tua curia officia. Nam quoniam volo pueros ad te deduci, eruditos latinorum & graecorum grammaticorum praeceptis, & instructos ab omni verborum delectu, & copia; & abundare exemplis cum poetarum, tum oratorum, sed oratorum inprimis: aliquid abs te amplius flagito, quod iuuentutem faciat bene litteratam.

Primum igitur officium tuum est, vt pueri quam plurima audiant, interpretentur, intelligant, memoriter etiam multa recitent, cum, quae antea didicerunt in ordinibus inferioribus, tum, quae abs te addentur quotidie. Plurima autem ea statuo, quae iuuentutis viribus aequiparata sint, non quae vires superent. Quae moderatio adhibetur non solum numero & pondere, verum etiam ratione bona & modo erudito. De qua ratione inferioribus praecepi magistris. Volo enim eamdem esse omnium vestrum viam. Eodem enim contenditis, sed non eadem onera, & sub oneribus expeditos volo esse milites, & alterius fascem aut imminui, ab altero aut leuari.

Do igitur tibi atque constituo: in voluminibus exemplorum illud longiorum ambituum, in quo exempla argumentationum & amplificationum, & huic libro addo *Verrinam sextam* accusationem, quae prope omne genus narrationum continet.

Perficies etiam hic tu, quod reliquum est in volumine poetico, & ex *Horatio epistolas & sermones* addes, qui tibi videbuntur esse idonei.

Et his latinis ſcriptoribus coniunges volumen graecum exemplorum, in quo & res ſuppeditant & earum rerum formae & veſtes & ornamenta, quibus indui poſtulant. Non opus eſt, te illius monere, quod apud vos maiorum gentium patres meminiſſe volo quotidie, non negligenda eſſe, quae ſemel pueri apud minorum gentium patres didicerunt. A quibus lac ſuae ſtirpis acceperunt, vt ſunt grammatica praecepta, vt vocabulorum congeſta atque digeſta copia, vt ſcriptores, quos cognouerunt, vt diaria & ephemerides: haec omnia conſiderare & ex his ea identidem reuocare ſub incudem, quae niſi recudentur, excudi commode, cum erit opus, non poterunt.

Stilum tibi etiam atque etiam commendo, & quidem commendo diligenter. Tantum addes ad inferiorem ordinem penſi, quantum addi poſſe iudicabis. Et quamquam multa adolescentes ſuapte facultate exſequi poterunt; tamen vtile eſt, immo neceſſarium in nonnullis eſt, te non ſolum voce verum etiam ſtilo praeire, aliquando etiam ſubſequi; quoties erratum erit in iis, quae illorum abs te ſuerunt viribus commiſſa. *Epiſtolas paullinas* diebus feſtis & pridie diei feſti partieris cum Iona: de minoribus loquor: longiores enim tribus concedo ſuperioribus claſſibus, & cum has explicabis, non conſiderabis, quid in ſuis faciant commentariis theologi; ſed quid Romani fecerint, cum ad illos Paullus ſcripſiſſet, quid Corinthii, quid Galatae, quid Philippenſes, quid Epheſi, denique, quomodo Timotheus & Titus ſuas ad ſe ſcriptas recitarint litteras eccleſiae. Quod illi recitando adſecuti ſunt, cur non tu interpretando, non commentario, ſed verborum commutatione & numero. Aliud eſt commentarium ſcribere, aliud, diſcipulum ſuum erudire. Currendum eſt, non aſſidendum, poſteaquam in curriculum & ſtadium peruen-

tum

tum est. Vale, mi Englere. Argentorati mense Martio.

VIII.

IOHANNES STVRMIVS MICHAELI BOSCHIO

tertiae curiae magistro.

VIdeor mihi in Heliconem montem penetrasse, & non procul ipsum musarum consessum adspicere: quoniam in tuam curiam ab infima perueni. Volo enim te non solum oratorum & historicorum; verum etiam poetarum explicatorem esse, & ad tuum fontem omnia personare musarum & poetarum vocibus, & inter hos ne quidem oratores silere, sed accinere.

Scis enim tu etiam hos duos habere numeros, quos graeci rhetores ῥυθμὸς nominant, & sunt omnia apud oratores ἔυρυθμα: quos numeros vtile est pueros etiam in hoc soluto dicendi genere obseruare. Liuius ab Heroico versu fecit principium: facturusne operae pretium sim, nec scio, nec si. Et caesar noster: Gallia est omnis, cur non? omnis Gallia diuisa, nisi quod συνθήκη τὸ ἔυρυθμον quaesitum est. Sed in his modus constituendus est: ne illud Iuuenalis satyrici poetae nobis queat obiici,

Vexatus toties rauci Thebaide Codri,
Scriptus & in tergo, nec dum finitus Orestes.

Lampas spectanda est, & properandum ad metam & ad βραβεῖον. Itaque neque obliuisci patieris eorum pueros, quae inde ab infimis vsque gradibus ad tuos apportarunt librorum, auctorum, ephemeridum, praeceptorum; & exempla eis explicabis exordiorum, partitionum, narrationum, digressionum, quaestionum infinitarum & grandium amplificationum. Rhetorum etiam trades sen-

tentiarum & verborum ornamenta, hoc eſt, τρόπους, χήματα, μεθόδους: quorum omnium multa adferant ad te exempla ex inferioribus locis: ſed tu addes de tuis, quae illis es explicaturus, cum ex hoc, de quo dixi, exemplorum volumine, tum ex iis ſcriptoribus, qui tuae curiae ſunt tributi.

Non mihi displicet, *Heremniana* hic abs te *elocutionis praecepta* tradi, aut ea, quae ego ante aliquot annis dictaui: ſed quae de dicendi figuris ex *Hermogenis* ſententia explicaui; maiorem exercitationem & doctrinam requirunt, & relinquenda Hertelio, & propria ſunt publicorum doctorum collegii, quod in cacumine noſtri Parnaſſi coaedificatum eſt.

Cluentiana oratio exempla habet omnium μαθημάτων, quae de narratione traduntur, vt Quintilianus fatetur, hanc explicabis, vt intelligant pueri & loca in illa, quae imitatione digna erunt, cum rhetores audient, notata habeant; aut, cum haec videbitur prolixior: nam ſaepe tibi docendi ratio mutanda eſt propter hominum caſus atque ingenia; in huius locum aliam tibi licebit orationem ſubſtituere. Praeter graecum volumen exemplorum etiam ex *Demoſthene meliores orationes* eliges, in quo non ſolum orationum conſiderabis genera, verum etiam vires animaduertes tuorum diſcipulorum. Nam longius leui armatura ſaepenumero, quam graui peruenitur: & idem adſequimur, quod perſequimur, vt nullum tempus absque fructu praetereatur, victoria comparetur.

In poetico volumine non multum reſtabit, quod ſit tibi explicandum, cum nihil reſtabit, *Homeri librum primum* addes, *Iliadis*, ſi placebit, aut *Odiſſeae*: huius enim poetae nescio cur placeat; placet certe magis, quam ceterorum poetarum puritas, ornatus, grauitas; & qui hunc poetam cog-

no-

nouit, inter reliquos poetas poterit consistere; non minus, quam si *Homerus* cum *Aeschylo*, *Sophocle*, *Euripide* veniisset in collocutionem. Quid putas, Homerusne istos, an illi magis fuissent admirati Homerum? haec cur scribam, opinor, intelligere te: & cum voles, & quoties voles, de his coram inter nos differemus.

Festi dies sacros libros postulant: *Paulli epistolas*, quas velim in quinque superioribus classibus lectitari, intelligi ita, vt vel totae memoria teneantur aliquae, vel loca quaedam insigniora: & eadem loca habere in ephemeride annotata, vt tu scias, quid adolescentes acceperint, & quas rationes aput te consolidatas debeant deponere, quoties postulabis.

De stilo superuacaneum est, te monere, cum illum semper exerceri, semper acui, semper expoliri sit necessarium. Sed apud te maiora conari & suscipere adolescentem decet. Graeci oratoris exordium aut narrationem, aut argumentationem, aut locum communem, aut amplificationem, latinam, aut latini graecam faciet; idem audebit in poetis & historicis facere. *Horatiana* vel *Pindarica carmina* commutare non verbis, sed carminum generibus, laudabile est & fructuosum. Multa noua oportet condere poemata, multas epistolas conscribere, exordia etiam & narrationes & infinitas quaestiones: si ipsi conficere non poterunt; abs te tamen earum possunt proponi argumenta, partes, ornamenta, ambitus & ante cognita praecepta, artis dicendi delineationes fieri, & similia in voluminibus exemplorum indicari.

Comoedias etiam *Plautinas* & *Terentianas* non abs te audire; sed se decet ipsos docere distributis partibus & operis, & easdem agere; & cum superioribus classibus contendere de victoria. Velim enim primo quoque tempore horum duorum poetarum

omnes

omnes comoedias in quatuor agi ſuperioribus claſſibus, quam facultatem cur non vnus annus, annum dico? cur non ſex menſes ſuppeditent viginti decuriis? cum inter ephebos eſſem, Leodii in Phormione Terentiana Getae perſonam ſuſtinui ante aedem D. Martini; non a magiſtro, non a condiſcipulo doctus, ſed mihimet ipſe fui hiſtrio atque poeta. Tertio ante bellum ruſticanum anno, admodum tum adolescens & pene puer, quam ſic egi, ſic commentabar, vt me plurimum illa exercitatione tum profeciſſe adhuc ſentiam; & illa aetate non ea erat facultas magiſtrorum, non ea docendi ratio, non talis linguarum cognitio, qualis hodie eſt, & eſt in ſcholis noſtris. Peterem abs te pluribus verbis, vt hoc conſilium meum ſequaris, ſi neceſſarium eſſe crederem: ſed non opus eſſe puto. Noui enim induſtriam tuam, quae neque tibi in ſuſceptione officii, neque mihi in expectatione eiusdem officii tui eſt defutura. Vale. Argentorati menſe Martio.

VIIII.

IOHANNES STVRMIVS IOANNI RENARDO

praefecto ſecundae curiae.

QVae ſuperioribus diebus ego proximis ad octo claſſium praefectos ſcripſi, legiſſe opinor te, mi optatiſſime Renarde. Nunc quoniam ad te inde vsque a tribu ima perueni, non procul iam, ſed tamen de loco remoto, video muſarum conſeſſum; ſed ita acceſſi prope, vt iam, qua lingua, & quae canant, exaudire poſſim atque intelligere. Video etiam muſarum praeſidem citharoedum Apollinem, & citharae inuentorem facundum Atlantis nepotem Mercurium, & Mineruam, quae arcem tenet doctrinae & ſapientiae. Nouem etiam ipſas mu-

muſas, & gratiam cum geminis ſororibus ceterisque nymphis internoscere poſſum; lauros etiam florentes cernere, a quibus baccas breui decerpemus, & ramulos corollasque auellemus; praemia induſtriae & diligentiae eorum, qui in noſtro coetu eas mereri videbuntur.

Ac quoniam tu in hoc coetu agonotheta es, & praemia iſta diſtributurus es huius militiae tyronibus; conſiderare te oportet, quot hucusque & cuiusmodi fecerint ſtipendia, & quae obierint praelia, & quantum in palaeſtris profecerint inferioribus; & quarum gentium, dum caſtra ſequuntur, linguas & ſermones didicerint, & belli genera & arma cognouerint, mores & inſtituta viderint. Hisce enim abs te perſpectis, quae tibi tradenda restent, facile, ſi bene te noui, mi Renarde, iudicabis.

Poetas te graecos atque oratores non amplius ad verbum interpretari neceſſe eſt; ſed iſtud illorum erit officium; tuum vero, dum hoc modo interpretantur, poetarum verba oratoriis commutare, aut haec cum illis componere: hiſtoriam aut fabulam perſpicuitatis cauſſa intertexere, ornamenta illustriora indicare, loca ἀξιόζηλα notare atque iubere, vt in ephemeridem, tanquam in acceptorum codicem referant.

Idem in latinis ſcriptoribus faciendum eſt, & cum his graecorum verba, & ſententiarum formulae ſunt conferendae; & oratorii atque poetici Lecythi annotandi & referendi in accepta. Sapientiae etiam inſtrumentum discipulis tuis in manus trades, &, quibus illud ex rebus confectum ſit, oſtendes, &, quomodo vti debeant, indicabis. De *dialectica* loquor, quam nemo ſapiens vmquam neglexit; ſine qua nihil praeclarum, & ſempiternum, & quod genium habeat, confici poteſt litterarum monumentum. Et quamquam inueniendi

prae-

praecepta natura priora ſunt iudicandi regulis; tamen ab ea parte, quae κριτικὴ adpellata eſt potius te velim, quam ab illa, quae τοπικὴ dicitur, principium facere.

Huic comitem adiunges *dicendi artem*, vt altera ab alterius non discedat latere, neque displicet, *Heremnianam illis inſtitutionem* tradere, ſiue illa Cornificii ſit, vt probabile eſt, ſiue Ciceronis: a cuius inuentis, & verbis, & ſententiarum formis, non eſt aliena. Bonus eſt & dilucidus & breuis dicendi magiſter; ſed tu graecis illam artis vocabulis illustrabis, & exemplis explanabis; quorum magnam ad te adferunt ex gradibus inferioribus copiam, & quotidie noua ſuppeditabuntur in illis, quos tu explicabis, graecis latinisque ſcriptoribus; quam rationem ſcis etiam in dialecticis retinendam eſſe: at tu fontes dialecticos ab oratoriis imbribus ſeparabis, vt vtrumque genus conſpiciatur ſeparatim, & dialecticum illud breue atque acutum; & hoc oratorium ornatum & amplum.

Orationes hic tu Olynthiacas atque *Philippicas* poteris interpretando percurrere, recurrendo artis loca, quae nota erunt pueris, adnotare, & referre in ephemerides. Iſtud etiam in Ciceronis faciendum eſt orationibus, quarum delectum tibi concedimus atque diſcipulis tuis, quorum voluntati ſaepe obtemperandum eſt.

Stilum inde a ſeptima claſſe aeque omnibus vobis commendo, quotidianum, nulla intermiſſione facta; ſed quod tuum ſit, in hac conſuetudine, ſcribendi officium, ex epiſtola mea, quam Boſchio miſi, & ex altera, quam Laurentio Englero ſcripſi, intelliges: prope enim eadem vtriusque ratio eſt; ſed tu ad altiora loca contendes, & praeſtantiora conaberis, non ſolum ſtilo; verum etiam ζήλῳ. Incredibile enim eſt, quantum homo pos-

possit, si nitatur, si imitetur, si aemuletur, si nihil negatum putabit arti atque industriae. Declamatiunculas etiam conficient, quarum partes aliquas de scripto, aliquas memoriter recitabunt: nam istud romanis oratoribus, credo etiam graecis, in curia & foro fuisse concessum.

Festis diebus Paulli apostoli epistolam ad Romanos tuae, & primae curiae tribuimus, quam velim memoriae mandari ab omnibus, & memoriter omnes recitare, quoties postulabis. Nam vere festiuum est, festis diebus hoc genere litterarum contendere, & memoriae certamen in iuuentute constituere.

Terentianas comoedias & Plautinas tibi commendo, quas in tertia curia agere incipiunt: sed tuos histriones exercitationem in theatrum quotidianum adferre oportet maiorem, & post menses aliquot comoediam aliquam Aristophanis, & tragoediam Eurypidis, aut Sophoclis vnam adiungere, quas tu docebis primis mensibus; sed reliquas si quas agent, suopte Marte, & suis ipsi armis in theatrum & ad certamen descendent: *αὐτοδιδάκτους* enim nostros tragaedos atque comoedos esse volumus, cum primum id adsequi poterunt. Officium feceris doctoris & praeceptoris boni, si ista feceris; & facies certe: fecisti enim & facis officium placidi, & diligentis, & litterati magistri. Vale. Argentorati mense Martio.

X.

IOHANNES STVRMIVS THEOPHILO GOLIO

primae curiae moderatori.

GOLI, voce mea tu multis iam annis es factus eruditior. Nosti consuetudinem gymnasii nostri: quid a vobis omnibus requiram, docebunt te epistolae, quas collegis tuis scripsi, atque haec etiam

etiam te docebit epiſtola. Quales ad te Renardus mittet discipulos, aut certe mittere ad te debet, vides: vide, vt tu ea addas, quae profecto addi neceſſarium eſt.

Neceſſarium autem eſt, quoniam iisdem praeceptis eademque inſtitutione fingi atque formari adolescentiam oportet. quod reliquum eſt *dialecticae* atque *rhetoricae disciplinae*, abs te conſummari, non perfecte more Ariſtotelicorum, & graecorum rhetorum; nam curam hanc Hertelio committimus: ſed breui illa noſtra via & inſtitutione, quae, tametſi non omnia explicat, quae ab Ariſtotele tradita ſunt, genera tamen, omnesque partes complectitur, cum *Ariſtotelis*, tum *Hermogenis*, & *Ciceronis*. Ergo & haec praecepta trades, & eorum vſum oſtendes in Demoſthene & Cicerone; & quidquid in his eſt ornamentorum & rationis, demonſtrabis. Neque ſolum illa, quae facile eſt mediocriter hac disciplina erudito obſeruare; ſed etiam illa, quae latent, & recondita ſunt; profecta tamen ex rhetorum & dialecticorum officinis: quas etiamſi ſapere non videantur; tamen certum eſt, vim eas ſuam explicare, vt medicinae facere ſolent, quae aliter guſtandi ſenſum afficiunt, aliud ipſae efficiunt, quod faciat ad bonam valetudinem. His oratoribus etiam poetas addes, quod reliquum erit in *Vergilio*, quod adiungere placebit ex *Homero*.

Nam etiam hi ſcriptores non ſolum linguam eruditum, ſed etiam mentem; & amoena habent rhetorum veſtigia. Credo ego, omnia oratorum ornamenta, & inſtituta, in Homero demonſtrari poſſe, ita, vt, ſi ars dicendi nulla exſtaret, ex hoc tamen fonte deriuari & conſtitui poſſet.

Thucydides etiam graecus hiſtoricus, recte in tua tribu traditur, & huic *Saluſtius* addi poterit; ſed in his te adiuuari volo discipulorum tuorum induſtria, & domo ab illis ad te in ſcholas apportari tuas, quod lege-

legerint, quod intelligant; cuius ſententiam totam aliis verbis aliaque lingua, & ſermone perſequantur.

Sed tuum eſt, ſuum cuique penſum mandare atque praeſcribere, vt omnes non vnas, ſed diuerſas veluti merces ad mercatum tuum adferant. Tamquam mercaturam aliquam facere volo adolescentes tuos, magnam, & copioſam; multas & varias apportantes vndique res, quas inter ſe ipſi commutent, non pecunia, ſed induſtria, diligentia, memoria. Quam rationem etiam infimis praecepi ordinibus, vt ſequantur. Vnam enim omnium rationem eſſe volo, vnam inſtitutionis viam, vt initia, & progreſſiones, & exitus inter ſeſe prudenter, & artificioſe, & amabiliter conſentiant. Hiſtriones comoedos atque tragoedos volo hic eſſe τεχνικωτέρους Roscios, quam in tribubus eſſe poſſunt inferioribus, vt, quoniam vacuum actoribus theatrum nulla eſſe volo hebdomade, ſpectandi non remittatur diligentia: ſi dies diem vincat, & poſtremi primis ſint magis exercitati, magisque placeant ſpectatoribus.

Scribendi etiam & declamandi conſuetudinem litteratam requiro, nihil non requiro artificioſum, ſiue ſcriptum adferatur, ſiue commentatione comprehenſum; ſiue vtrumque, ſiue etiam verſus ea ſint, & poemata, ſiue ſoluta liberaque ſit oratio.

Quaedam etiam feſtis licet exercere diebus. Ergo aut *epiſtolam Paulli* ipſi tibi explicabunt, aut locum aliquem illuſtrem rhetorum more dilatabunt: nam id vobis licet facere in ſcholis; & haec ratio etiam ad conciones, & ad populum non paruas vtilitates adferet. Non enim eodem modo docentur, quo leguntur ſacrae litterae. Eloquentia vtilitates, & arma theologum inprimis adiuuant: deinde iureconſultum, & cauſſarum actorem, neque minus ſenatorem; quod noſtra res publica experta

est in Iacobo Sturmio, & MartinoHerlino; sedHerlinus natura fuit disertus. Iacobum Sturmium praeter naturam etiam litterae erudierunt, & Ludouicus Grempius, & Bernhardus Botzemius, iureconsulti nostri, re ipsa comperiunt, quanta auxilia iuris legumque peritus ab oratore accipiat; & Senatus noster scholarum nostrarum adiumenta sentit: & sunt, qui exemplo suo ciues excitare poterunt, quorum mentem & linguam litterae erudiunt. Sed quid ego haec ad te? verum, quia Atticae aues sunt, & tuarum Athenarum Mineruaeque tuae volui etiam has meas ad te volare, vt sentias, me iisdem cogitationibus saepe excitari, quibus te, credo, etiam suauiter affici hoc potissimum tempore. Non enim metu pestis; sed peste saeua & vaga liberati sumus, & reditus nobis est patefactus ad spatia atque curricula nostra: quae mihi certe annum & menses diesque faciunt breuiores. Vale. Argentorati, mense Martio.

LIBER II.

I.

IOHANNES STVRMIVS IOHANNI MARBACHIO *doctori theologo.*

PArtem muneris mei magnam confeciſſe me puto, de quo superioribus diebus locutus sum, cum meam tibi sententiam de scholis instaurandis nostris atque emendandis exponerem. Scripsi enim singulis curiarum praeceptoribus, & cuiusmodi velim vniuscuiusque esse munus, & quae pensa quotidiana, litteris meis indicaui, Spero, facturos officium, &, vt optimus quisque est, ita eum affici & delectari hac ratione video. Scio fore, vt multis videatur haec ratio esse vna ἐκ τῶν ἀδυνάτων

των: atque idcirco in nona curia, ego & mei, & rationis huius periculum feci: & expertus ſum huius aetatulae, quae ſeptem annorum eſt, humeros, quantum queant tollere, portare, atque perferre. Salua res eſt: nihil in ſuperioribus erit ἀδύνατον eorum, quae praecipio: opinor, nos proxime ex omnibus aetatibus abfuturos ab illa admirabili facultate veterum, & proxime ſequi illam ἐυπορίαν doctorum hominum, latinorum atque graecorum, & illius aetatis, quae maxime floruit a Platone vsque ad Cratippum, & a Demoſthene vsque ad Ciceronem: cuius occaſu ipſa libertas vna cum laude eloquentiae occubuit. Opinor autem, introduxiſſe me in ſcholas noſtras quatuor, quae maxime deſiderabuntur: verborum copiam & delectum, progreſſus maiores in grammaticis, dialecticis & rhetoricis, quam vsque ad hoc tempus factos eſſe video; aequales etiam progreſſus, & pares in oratoribus, hiſtoricis, poetis interpretandis atque explicandis; vſum ſermonis latini quotidianum, & cum pueris vt loquantur, quaſi ab orco reuocaui, *Plautum, & Terentium, Ciceronem.* Scribendi, & commentandi, & declamandi, & dicendi videre mihi videor ipſos magiſtros non inſequi, ſed adſequi facultatem illam optimarum aetatum, quae Athenis & Romae fuit. Si rides, quaeſo, patiaris me ſperare, quid dico ſperare? frui me patiaris ſpectaculo, & theatro magnae induſtriae atque exercitationis. Si metuis, ne non adipiſcamur, quod volumus; ſis quaeſo animo magno: certe multo plura adſequemur, quam ſuperioribus omnibus annis. Decima curia & nona iam mihi praeſignificant, quid ſupremae queant efficere. Senties paucis his proximis menſibus tu, & Melchior Speccerus, & Iacobus Gloccerus: retinete nobis in ſcholis theologicis Moſen, prophetas, euangeliſtas, apoſtolos, & in his explicandis patrum

trum auctoritatem, quibus neceſſe eſt vt cedant, quicumque huic doctrinae ſunt inimici. Sed in ſcholis legi patres, non eſt neque neceſſarium neque vtile. Quamdiu aliquid ſupereſt, quod legendum ſit in his quatuor, quorum iam mentionem feci; ſemper autem aliquid ſupererit. Re ipſa comperimus noſtro ſeculo, quanta incommoda in academias, & eccleſias irrepſerint ſeculis ſuperioribus, poſteaquam gnomologici & epitomici meliores ſcriptores profligarunt de ſuis ſedibus: quod inuentum indoctae pigritiae fuit, quae ingenioſa eſt ſuae ignauiae patrona. Noſtra aetas meliores habet commentarios & inſtitutiones, quae neque interprete habent opus: neque explicatorem requirunt, & in illis tutum praeſidium habet eccleſia contra doctrinae corruptionem, & cultus impios. Age igitur! pugnemus pro religione, & pro litteris, & date operam, vt illi, quos ſupra poſui, ſcriptores ſoli locum in ſcholis habeant. Decem illa exercitationum genera, de quibus ſcripſi *in ſcholis Lauinganis*, tibi commendo: vt in collegio domeſtico, quod tuae meaeque fidei commiſſum eſt, inſtituamus neque quidquam eorum, quae ibi praecipiuntur, & ad collegium domeſticorum noſtrorum noſtramque familiam pertinent, praetereatur. Quod in claſſibus fit, idem ſuadeo, vt in publicis noſtris ſcholis fiat; & συζητήσεις inſtituantur: praeſertim in theologiae ſtudio, & binis, aut ternis ſinguli prophetae, pſalmi, euangeliſtae, apoſtoli & epiſtolae, loci communes, controuerſiae, patres, noſtrorum hominum commentarii committantur, quos legant, de quibus inter ſe commententur, de quibus rogati reſpondere poſſint. Iſta ratio quantas & quales adlatura ſit vtilitates, breui profecto in disputationibus poterimus animaduertere: & theologicae declamationes, atque concio-
nes documentum huius dabunt, quas tibi ceterisque theo-

theologis vt concreditae sunt, ita curae esse non dubito. Sed de his omnibus coram, & in conuentibus gymnasii nostri & collegii consilio. Vale. Argentorati, mense Martio.

II.

IOHANNES STVRMIVS LAVRENTIO TVPPIO

doctori iureconsulto.

ETsi neque monere te, neque hortari opus est, Laurenti Tuppi; nam de tua & doctrina & studio nullum mihi dubium est: tamen, vt alii sciant, qui in hisce scholis in nostrum locum, nobis demortuis, succedent, quam nos rationem omnes secuti sumus; visum etiam mihi est, quaedam ad te scribere, & te hortari, atque rogare, vt nobis tua industria, & studio, & consilio adsis in nostris eruditendis adolescentibus. Non tibi praescribo, quod per te scis, quam viam sequi debeas in tuis explanandis institutionibus; quibus in locis properandum in his sit, & in quibus consistendum diutius; quae nostrae consuetudines in foro & iudiciis sint, & quae iam sint antiquata, moribus atque institutis nostrae religionis, & nostri imperii; quae etiam in his, quae abrogata sunt, capi queant vtilitates. Neque moneo, neque praemonstro, quae ex *pandectis* addenda sint ad has institutiones tuas, quae & cognitionem habeant liberalem, & crebro vsurpentur in iudiciis, & sint vsus quotidiani. Haec enim, vt tuum est scire, sic etiam scis, & facis quotidie, vt etiam faciunt ceteri collegae tui in hoc publico doctorum & magistrorum collegio. Sed est, quod in hoc tempore pro tua erga me beneuolentia, tuoque erga scholas nostras studio abs te peto, atque contendo, vt tua industria exercitationibus nostris adsis disputandi, & declamandi; & adsis quam celerrime: properandum enim est & quidem de prin-

cipio; iam omnibus ſcholis claſſium reſtitutis, ſublata peſte, & mediocri auditorum, & discipulorum frequentia. Hac in parte duo abs te requirimus: quorum primum eſt, vt disputatores nobis ex tuis ſubſelliis mittas, & videas, cui partestribuas primas, & cui ſecundas, atque tertias: &, vt iſtud queat fieri cito & celeriter, oro te; diſtribuas illis legum capita earum, quae vſu ſunt frequentiſſimae: non ſolum earum legum, quae ſunt comprehenſae inſtitutionibus; ſed etiam, quae pandectis cuſtodiuntur, ſingulis diuerſa, vt breui tempore multa ad disputationes adferant, domi in bibliotheca lectitata, meditata, intellecta ex commentariis, in quibus deligendis tuam ſequentur voluntatem, atque iudicium. Hac ratione fiet, vt & ipſi plurima exiguo tempore adſequantur, & in disputationibus, & copia argumentorum audiatur, & animi omnium inflammentur magis. Alterum eſt, vt etiam declamantium numerum augeas, & declamatoribus noſtris non ſolum legum ſubminiſtres ſubſidia, quoties abs te petent; verum etiam ὑποθέσεις ſuppedites noſtrorum temporum, & iudiciorum. Nam tametſi fictae actiones declamantium ſint; cupio tamen, quam proxime ad veritatem accedere. Scio varia eſſe genera horum argumentorum, & huius exercitationis. Vnum poeticum vt *Aiacis, & Vlyſſis contentio de iure armorum. Agamemnonis, & Achillis diſſidium*; neque inutilis eſt exercitatio, Homeri contrarias orationes dilatare more oratorum: ſed, quia fabulae iſtae ſunt, minus mouent eos, qui audiunt, tametſi iuuent eum, qui ſeſe velit exercere. Alterum hiſtoricum eſt, *ſuadere Syllae, vt dictaturam deponat, conſilium dare Auguſto, vt imperio ſeſe abdicet. Catonis orationem, & huic contrariam, quae a Liuio hiſtorico ſtilo fabricatae ſunt, eas forenſi dicendi genere perſequi.* Egregia iſta exercitatio eſt ho-

horum negotiorum, quis neget? sed remota sunt a nostrae aetatis memoria, eoque mouent minus: nostra tempora magis sensus feriunt. Itaque & a theologis nostris rhetores adiuuari velim, & a vobis iurisconsultis. Habet forum vrbis nostrae multas causas, quarum partem tu aliquam defendis: tales breuiter proponere, & argumenta vtriusque partis vtrique declamatori suggerere, vtilissimum fore puto, vt & adolescentes libentius atque facilius scribant, & hastas, quas abs te accipient amentatas, amentis bonis, & firmis conentur oratoriis torquere viribus. Nam si L. Crassum, & M. Antonium, & summos illos oratores adiuuerunt iureconsulti, & oratorum ista fuit in veris causis consuetudo, inuenire auctorem, vt est apud Ciceronem in libro secundo de oratore, a quo amentatas hastas istas, quas vocat Antonius, accipiat; cur in nostris scholis, & in declamationibus non eamdem consuetudinem renouemus? sed quoniam verae lites istae erunt, & fortassis nominari nolunt rei, quorum causae aguntur; sequemur Martialem, qui in epigrammate acri, & vehementi, & infami, ficto nomine vtitur: ita etiam faciemus, & nostros habebimus Earinos, & Attalos, & Gellias: qui ob haec conuicia lacrimari, & irasci non possunt: causae tamen agi poterunt, & mores corrigi cum voluptate. Dabis veniam, si, vt proposui, non vt doceam, ad te scribo; sed, vt rogem & orem, vt nostrarum exercitationum, ne tibi molestum sit, adiutorem te, & socium, & participem fieri. Vale mi Tuppi. Argentorati, mense Martio.

III.

IOHANNES STVRMIVS MICHAELI BEVTERO

iureconsulto & historico, D.

SAlue! mi Beutere. Etiamsi adesses, tamen hanc ad te epistolam scriberem. Cum in manum

num calamum sumere constituerem, fuit apud me doctor noster, Eusebius Hedio, Gasparis Hedionis filius, eius, qui in aede primaria vrbis nostrae concionator fuit, vir admirabili praeditus humanitate, & bonitate, carus omnibus ciuibus, etiam hominibus contrariae factionis. Is mihi dixit, anno quinquagesimo cum Pictauii iureconsultos audiretis, ephemerides te instituisse historicas; & illius instituti auctorem tibi fuisse Philippum Melanchthonem, parentem multo maximae partis litteratorum hominum. Valde animum meum mouit, atque delectauit haec illius oratio, propter eam, quae inter nos futura est, officiorum necessitudinem. Spero enim, te nostrum fore, neque recusaturum historici officium. Quamobrem quasi noster sis, ita ad te etiam scribam: quemadmodum omnibus scripsi curiarum magistris, & singulatim, cum illis per litteras locutus sum de scholis nostris instaurandis. Omnino confido, te nostrum futurum, si ex sententia nostra non succedet, quod nolim; tamen, qui futurus est apud nos historicus, ex hac epistola intelliget, quid sibi faciendum sit, & quae illius sint futura officia. Neminem autem admittemus, nisi ea facere & promittere velit, quae in te esse non mediocria, audiuimus, graeci, & latini sermonis facultatem, historiam omnium aetatum, quae litterarum monumentis Hebraeorum, Graecorum, Romanorum sunt comprehensa. Sed in te aliquid est grandius, iuris scientia: quam etsi optaremus esse in historico; tamen exigere non possumus, quod pauci sint, qui vtrumque adsecuti sint, historiarum memoriam, & legum iurisque prudentiam. Quamobrem, si tu venires, posses, vt Titus Pomponius Atticus septingentorum annorum Romanis, sic tu adolescentibus nostris omnium annorum conseruare & notare tempora; & memoriam rerum omnium

um paruo volumine, etiam vt Atticus, colligare, aut tuas ephemerides nobis prodere; quae idem prope efficiant. Et istud faceres, & ex historicis deligeres, quos explicares, non vt interpres, sed vt historicus, falsa reprehenderes, vera distingueres asperitate in vitiis magistratuum, acrimonia in sceleribus improborum, laudatione in virtutibus. Temporum ostenderes ordinem, locorum, & pugnarum descriptiones indicares, qua ratione conficiantur: demonstrares, quae collocutio atque tractatio consiliorum, actorum, euentuum; causas etiam persequereris, quae praeteritae ab historicis sint, & quae positae, & historicum dicendi genus, verba, ornamenta, ab oratoriis & poeticis distingueres. Praeter hanc bipartiti officii vtilitatem adderes etiam tertiam, vel totas cauſſas explicares discipulis nostris, atque proponeres ad meditandum, scribendum, declamandum: vel illis postulantibus exempla suppeditares, vt copiose de his, quae probanda sint, argumentari & differere possent. Adiuuares etiam, vt iureconsultus iureconsultum nostrum, & ipse tibi adesset, & traderetis, vt ille inquit, operas mutuas; verum in re meliore, quam illi, de quibus haec persona comica loquebatur. Has commoditates habiturae sunt scholae nostrae si venies; & has ab illo requiremus, qui noster volet esse historicus. Sed venies, sed manebis, sed noster eris: & inter nos colemus amicitiam, & ex litteris, & in litteris viuemus suauiter. Vale. Argentorati, mense Martio.

IIII.

IOHANNES STVRMIVS I. S.

physico.

NAturam licet expellas furca, tamen vsque recurret. Dabis enim veniam, si ad physicum de natura γνωμολογῶ. Non possum te non mone-

re & hortari, & rogare vt ſis nobiscum. Argumenta mea & tua noſti; credo etiam τὴν συνοικῆσαν ἐκ ἀνθιμαχήσεσθαι. *Galenum* explicabis, cum placebit, etiam, cum placebit, *Ariſtotelis phyſicos libros*. Horam quotidie vnam non amplius poſtulamus, niſi velis alteram addere. Extra ordinem iuuabis nos in communibus muneribus, & claſſicos praeceptores iuuabis in deligendis & digerendis vocabulis rerum, & ſententiarum formulis, quae tuae ſunt artis, qui labor vnius ſolum anni eſt, & perexiguus. Prope enim omnia habemus in promtu, & ſemel inuenta & digeſta quaerere, deinceps non eſt neceſſarium. Herbas oſtendere, humani corporis partes & vſum indicare: pharmacopoea explicare, & indicare ſingula, ludus eſt tibi, praeſertim ἀρχιπτρῷ. Ignosces naturae meae, ſi quaſi noſter ſis, ita praeeo; aut quaſi eſſe nobiscum recuſes, ita inſto, & vrgeo. Oro te, vt eſſe noſter velis, non te poenitebit. Sum importunus, vel, quia te amo, vel, quia me impellit gymnaſii noſtri vtilitas. Spero eiusmodi gymnaſium conſtituere, cui nemo, niſi, qui omnibus inuidet, inuidere poſſit, non maiore labore, quam antea, praeceptorum, ſed certe fructu longe maiore, etiam cum voluptate discentium. Velim te in hoc principio adeſſe poſſe: ſi iſtud nolis, quod volo; velis alterum quod volo, te ſanum, ſaluum, felicem & prosperum eſſe: rogo te, vt pro hoc optato meo alterum velis nobiscum eſſe & nobiscum vitam tutam & quietam viuere. Vale. Argentorati, menſe Martio.

V.

IOHANNES STVRMIVS CONRADO DASYPODIO *mathematico.*

PAter tuus, Conrade, Petrus Daſypodius, cum multa habuit grauitatis teſtimonia, & conſtantiae

tiae indicia, multa ostendit, tum in curatione scholarum praecipue, quod a gymnasii nostri instituto numquam deflexit, non auctores, & libros, non docendi rationem, & viam mutari patiebatur. Idem Herlinus faciebat, vterque sane litteratus, alter parens tuus, alter in mathematicis praeceptor tuus. In vtriusque locum tu successisti, & vnus ex tribus scholarum nostrarum praefectis factus es, & a scholarchis visitator nominatus. Gaudeo, hac te aetate esse, vt huic muneri praeesse possis diu; & hac voluntate, vt velis patris vestigiis insistere, & leges nostras tueri, & classium institutionem retinere, & a praescripta ratione non recedere. Cum hoc gymnasium senatus noster constitueret anno trigesimo octauo, tametsi eram iunior; tamen quia vitam mihi longam promittere non poteram, consolabar me hac cogitatione, quod, me mortuo, non dubitabam, quin *Capito*, *Bucerus*, *Hedio*, *Bedrottus*, *Seuenus*, receptos semel auctores, & classium ordinem, & docendi rationem sua auctoritate defensuri essent, si qui existerent, quibus sua, quam aliena, magis placerent. Ecce! omnes mortui, solus ego superstes ex omnibus illius temporis collegis; & quod tum putabam, diu me viuere non posse, iam scio, non me duplicaturum hunc annorum numerum. Itaque tibi ceterisque collegis, quibus & valetudo, & vires, & aetas aetatem longiorem pollicentur, committo has partes defendendi instituti nostri, a quo non discedo. Nam & illa Lauingana institutio, quam per hosce dies diuulgari possus sum, & haec ipsa, quae ad classicos magistros & publicos doctores scribo, non recedunt ab ea via, quam in libro de litterarum ludis aperiendis patefeci. Vnum solum propositum mihi in hac confectione est, vt paucioribus annis maiores progressus pueri faciant, quod me adsecutum puto, & tu vides, quid in

nona

nona curia pueri faciant: de ſuperioribus minus dubitandum eſt. Perge igitur, mi Conrade, vt coepiſti, adeſſe mihi, atque etiam claſſium praefectis: faciamus aliquid, quod probent homines, qui nunc viuunt, & laudet poſteritas. Tuum eſt, hoc anno explicare, geographiae elementa, Procli ſphaeram, Arati *Φαινόμενα*, Euclidem, arithmeticam, Ariſtotelem de mundo. Quicumque enim illius libri ſit auctor, certe vtiliſſimam doctrinam eſt complexus. Non tibi modum praeſcribo, ſcis enim rationem meam; fat multa hoc anno facies, ſi haec abſolues, abſolues autem, vt confido: ex hoc enim initio intelligo, curriculum te iſtud totum confecturum, & ne minimum quidem velle discedere. Quod ad officium praefecti & prorectoris pertinet, adiuuabis collegas tuos, & curabis quotidie, vt magiſtri officia ſua non deſerant, vt adolescentes ephemerides ſuas conſeruent, vt penſa ſua penſitent, & quantum penſitandum pueris quotidie ſit, id totum viribus puerorum ponderandum eſt. Decem exercitationes vobis curae ſint: faciunt enim ad disciplinam morum, & ad doctrinam litterarum. Sed haec omnia *κατὰ δύναμιν*, vt poeta inquit, absque onere & faſtidio. Videtis enim, cum quanta ſuauitate quam multa muſae noctesque diesque faciant, ſi poetis credimus: vna Homero totam Iliada, *Iram dic dea Pelidae*, & Odyſſeam totam, *dic mihi muſa virum*. Magna res eſſet, ſi non eadem aliis multis poetis, vt ab omnibus idem chorus graecis atque latinis poetis inuocatur. Eadem haec muſa Vergilium docuit, *muſa mihi cauſſas memora*. Heſiodus omnes adpellat *Pierides muſae*. Idem facit Vergilius, *Sicelides muſae paullo maiora canamus*. Quid ſibi volunt hae fabulae & fictae commentitiaeque narrationes? eſt natura vel potius diuina in nobis mortalibus vis, atque facultas, cui nihil eſt inuium, nihil, vt Vergilia-

no

no verbo vtar, inacceſſum, per omnem naturam commeans, perluſtrans, adſequens; ſi ratio & modus adhibeatur: *πάντα δυνατὰ, εἰ κατὰ δύναμιν*, & absque fatigatione atque faſtidio, adiuuari enim non opprimi vires volunt. Itaque muſae inuocandae ſunt, hoc eſt, naturam ſequi decet, non curſu moleſto ipſam anteuertere, quae natura per omnes naturas eſt fuſa, &, vt ille ait, *Iouis omnia plena*. Mirabile eſt, quae ſenſibus numerari, & teneri non poſſunt, eas res tamen omnes animo complecti, vt mundum totum, coelum, maria, terras. Quas res aſtronomia, & quantas te docuit? quantam varietatem tibi tradidit cosmographia? Euclides tuus finita tibine, an infinita demonſtrauit? ſunt illa ipſa problemata Euclidis, & axiomata mathematicorum finita: at quot res ex his intelliguntur, quae ab his doctoribus non ſunt expoſitae. Multi mortales & homines litterati multa ſciunt, immo multa maximum rerum omnium partem in natura ſciunt, quas ſcire ſe non ſentiunt: ſentiunt autem, cum obuiam veniunt. De Theophraſto Paracelſo noui medici adfirmant, illum cuiusuis herbae etiam inauditae atque inuiſae potuiſſe vires & facultatem praedicere, ſi adſpiceret antea non viſam, etiamſi non attrectaret, antea non tractatam, aut ſi non maſticaret, antea non guſtatam. Sed an noſtra ratio ſit vna *τῶν ἀδυνάτων* breui documenta dabimus: & ego in nona curia diebus ſuperioribus te adſtante atque audiente, & tu heri atque nudius tertius in decima expertus es. Annum non opus eſt exſpectare, quid annum dico? non ſextus menſis exſpectandus eſt, non tertius: hic menſis, haec hebdomas, heſternus dies tibi oſtendit, quantum adſequi quotidie nos docendo, & pueri diſcendo poterimus, quantumque opum atque facultatum vno anno, pueri adiutoribus magiſtris coaceruari, & cuſtodire poterunt. Vale. Argentorati, menſe Martio.

VI. 10-

VI.

IOHANNES STVRMIVS LEONHARDO HERTELIO

Aristotelis doctori, dialectico, & visitatori.

SCholarchae a principio instituti nostri tres mihi adiunxerunt adiutores, qui absente me, aut occupato, curias omnes obirent, aut quos ego mihi aduocarem, propter doctrinam, & virtutem, & auctoritatem in causis grauioribus, *Gasparum Hedionem*, doctorem theologum, *Iacobum Bedrottum*, graecae linguae explicatorem, & *Christianum Herlinum*, mathematicum. Hos visitatores & me rectorem nominabant reliquarum scholarum vocabulis. Ac rectoris quidem nomen nimis mihi videtur magnificum, tametsi romanorum sit, qui rectores dominos semper oderant; visitatoris vero appellatio dignitati muneris vestri videtur neque respondere, neque satisfacere. Amicitiae enim tametsi tribuatur, nam amicos visitamus, cum animos relaxare volumus; tamen magis delectationis, & voluptatis, quam studii, & sollicitudinis est: assidui enim vestri labores sunt, & seuera vestra est, hoc est, diligens, & grauis cura, non solum in adolescentibus castigandis; verum etiam in monendis praeceptoribus, & in dandis consiliis, & in officiis mandandis, in probandis etiam, & interrogandis, atque docendis, quoties erit opus, adolescentibus. Sed, quia id vocabulum & in aliis scholis, quas academias vocant, vsu receptum est, & in nostras admissum, retinere illud placet: cum, quod assiduo vos inuisere oportet tribus omnes quotidie; tum, quod voluptatis vocabulum vestris officiis, atque laboribus quotidianis iam sibi virtutem, & grauitatem, atque auctoritatem vindicauit, non minus quam in Graecia, & in sacris ἐποπτῶν adpellatio, quorum honorificum

mu-

munus fuit. Hi tres primi fuerunt ludi noſtri viſitatores, atque praefecti, anno trigeſimo octauo delecti a ſcholarchis, Iacobo Sturmio, praetorio viro, & Nicolao Cnipſio, conſulari ſenatore, & Iacobo Meioro, tredecemuiro militari. Sed Iacobum Bedrottum infeſta peſtis anno quadrageſimo primo abſtulit. Cui ſucceſſit Chriſtophorus Caerlinus, qui octauo anno muneris ſui diem ſuum obiit, & ſucceſſorem habuit gymnaſium noſtrum, Petrum Daſypodium. Hedionem amiſimus anno quinquageſimo ſecundo, cui doctor noſter Iohannes Marbachius ſucceſſit. Petrus Daſypodius vsque ad annum Chriſti quinquageſimum nonum aetate peruenit; & in illius locum ſuffecimus Gerardum Seuenum, grammaticum ſane eruditum, quem quartana necauit, ante Herlinum mortuum. Et ſucceſſorem in illius locum ſubſtituimus Conradum Daſypodium. Herlinus pluribus annis hoc munere functus eſt, diligenter ſane atque conſtanter: ſed illius mors Seueni mortem non longo interuallo eſt ſubſecuta: diem enim ſuum obiit anno ſexageſimo ſecundo, anno poſt Seuenum. Et tu nunc viſitatorem agis, ſucceſſor, & gener Seueni, & affinis Georgii Neſſelii, in cuius demortui locum Tuppius noſter ſucceſſit, ſane docti, & iureconſulti, & viri boni, & magni nominis, ſi vita ſuppeditaſſet longior. De his ego ad te memoriae & honoris cauſſa ſcribo. Deinde, vt horum exemplo moriamur in noſtro officio, ad quod quaſi voce reipublicae vocati, & delecti ſumus. Docti omnes hi, & diligentes viri fuerunt; idonei auctores, quos imitemur. De ceteris taceo. De Seueno, ſocero tuo, ipſe iudicare potes, qui discipulos poſt ſe multos, & litteratos reliquit, inter quos tu vnus es, & discipulus, & gener, qui ſi ſuis voluiſſet inſeruire magis commodis, quam communibus, plus tibi, genero, & liberis reliquiſſet hereditatis; & minus debitorum minusque moleſtiae mihi

hi

hi tutori. Sed vir erat non ſibi, ſed omnibus natus: noſtrum eſt, illius liberos adiuuare noſtra, quoad poſſumus, ope & opera, & magiſtratus opem implorare, ſi magnum dedecus volumus fugere, & exemplum non excitare impium. Non opus eſt, vt te|moneam, quo huius ſimilis eſſe ſtudeas, minus vt rogem: facis enim tua ſponte, & potes omnia, quae ad te requiruntur, officia explicare: rogo tamen, vt pergas porro facere, & Marbachio theologo doctori, & Conrado Daſypodio, viſitatori, collegis in hoc munere adeſſe, de quorum etiam diligentia, fide, conſtantia, nullum mihi eſt dubium. Placet mihi, quod ariſtotelicam doctrinam inde ab elementis inſtitutis etiam Porphyrianis. Placet etiam, quod prima cura tua eſt, vt illius ſcriptoris verba, discipuli tui, & genus dicendi & eorum, quae traduntur, ſententiam intelligant. Deinde quod Ariſtotelis ἐνθέσεις & ἀποδείξεις oſtendis. Poſtremo quod tua exempla addis. In Philippo Melanchthone cum alia fuerunt multa praeclara, tum illud etiam adolescentulo mihi valde placuit, & fuit perutile, quod in omnibus, quae docuit idoneis, & quae doctrinam ſapiunt, vſus eſt exemplis. Ex hoc cum adiuuari poteris, non te pudebit ſumere, quae Ariſtotelem queant explanare, ea parte praeſertim dialectices, quae probabilium eſt argumentationum, in altera vero, quae ἀποδεικτικὴ dicitur. Primum *Philoponus* optimus eſt & breuis explicator, ſed Iacobus *Sceccius*, medicus erudite & copioſe de demonſtrationibus tradidit, qui libri tibi adeſſe poſſunt, vt labor tuus ſit leuior, & a mathematico Daſypodio noſtro iuuaberis: a medicis etiam noſtris doctoribus Andernaco, Sebaldo, Luberto Eſthio, Obrechto, Sigismundo Roto, Chelio, Gallo. Multas accipies ex Galeno, & Hippocrate ἀποδείξεις, ex quibus ipſe absque praemonſtratore intelliges, qua-

les

les in aliis artibus concluſiones queant confici ἀποδεικτικαὶ, quae a dialecticis, hoc eſt, probabilibus ita diſtant, vt illae cum his dignitate non queant comparari. Toxites noſter putat, Paracelſum ſuum veras habere demonſtrationes: habes hominem promtum, & cupit, iſta Theophrastea noua noſtris probari hominibus. Martinum Bucerum, dum viueret, ſemper ſum admiratus propter induſtriam, doctrinam, vſum, iudicium in omni disceptatione religionis. Ille in ceteris virtutibus iſtud quoque habuit laudabile, quod imitandum eſt. Res, quas ad disputandum propoſuit, in duas diuidebat partes, & propoſitiones: neceſſarias ſeparabat a probabilibus, & hac ratione condocefaciebat, τὰ ἀναγκαῖα a probabilibus distinguere adolescentes, vt ſcirent, quae retinenda & defendenda eſſent fortiter in eccleſia, & republica: & in quibus largiendum aliquid temporibus neceſſariis. Si vero aliquid pro neceſſario poſuiſſet, & demonſtrabatur ab altera parte, probabile eſſe; ita confitebatur, vt ignoraretur bonitatene naturae concederet, an tentandi cauſſa poſuiſſet. Vt ille in omni disputatione faciebat, idem tibi in tota doctrina & in locis argumentorum, & in argumentationum figuris faciendum cenſeo, vt ſciant, qui loci, & quae figurae ratiocinationum veriſimilium & probabilium rerum ſint; & qui neceſſariarum & perpetuarum. Demonſtrationum exempla e mathematicorum doctrinis mutuabis, aut a medicis noſtris petes, ſi illorum indigebis opera, vt ſupra poſuimus. Dialecticarum rationum plena ſunt ſctipta philoſophorum, & oratorum, Platonis, Ariſtotelis, Demoſthenis, Ciceronis: quorum opera tua iuuabitur plurimum induſtria. Hi enim tam ſunt viri boni, vt velint & cupiant, & tam docti, vt poſſint & ſciant facere, quae poſtula-

bis. Sed, quoniam declamationes tibi commissae sunt, cura quaeso, vt eas crebras & frequentes audiamus: non omnes te emendare, atque corrigere, necessum est. Quas purgabis, aut elimabis, hae aperto & publico loco habeantur. Alterum genus clausis ianuis inter aemulos, aduocatis aliquot arbitris praeceptoribus, aliquando etiam curia vna admissa, recitentur, vt aemulatio non frigescat, sed feruor τῦ ζήλυ excitat, qui saepe virtutum etiam est administer. Neque necesse est memoriter has recitare: satis officiosi sunt, si scribant diligenter, vt puritas adpareat, & insignia ornamenta exstent. Honorarium sit, si qui memoriter pronuncient, non necessarium. Duobus collegis tuis adsis in monendis & hortandis classicis magistris, vt institutum nostrum persequantur, nullum diem praetereant, cuius rationem non queant reddere, & suum defendere officium. Omnes enim nos sic vitam instituere, sic viuere, sic elaborare debemus; vt cogitemus omnibus reddendam rationem esse, cum totius vitae, tum huius muneris, atque officii nostri. Vale. Argentorati, mense Martio.

VII.

IOHANNES STVRMIVS VALENTINO ERYTHRAEO

magistro ethico.

ETsi libri tibi de moribus, Erythraee, Aristotelis atque Platonis commissi sunt, vt in nostris scholis explices; tamen laudo, quod ab ea doctrina non recedis, in qua tu a primis annis bene institutus es, dicendi arte, & a Demosthenis, ac Ciceronis orationibus. Placent etiam mihi rhetoricae tuae ἀναλύσεις, sed futurum breui, spero, si hanc viam ingredientur classium magistri, quam aliquot ad vos litteris patefacio, vt non necessarium

sit,

sit, εἰς λεπτὸν τέμνειν Ciceronis, & Demosthenis orationes. Properare, & magnis itineribus proficisci poterimus, cum e locis inferioribus ad hoc supremum nostrum, & publicum collegium instructiores venient, verborum & formularum copia, differendi & dicendi praeceptis, exemplis etiam multis, & variis eorum omnium, quae a dialecticis & rhetoribus solent praecipi, atque doceri. Licebit igitur tibi aliquando a philosophorum bibliotheca, ad oratorum myrothecia deflectere. Ac certe eo licebit magis, quod Michael Beuterus, iureconsultus, historias tradet, vt spero, in gymnasio nostro: qui ad hoc historicum officium, politicos libros non recusabit adiungere Platonis, atque Aristotelis, quoties vtrique videbitur idoneum tempus & tibi redeundi ad subsellia oratorum, & illi digrediendi ex historico suo museo, inque academiam vmbriferam, nitidumque Lyceum. Atque etiam hac ratione duo adsequentur commoda adolescentes nostri, vt Beuterus ad philosophiae praecepta, de regendis ciuitatibus, multa & grauia exempla ex historiis adferat, & tu in Cicerone atque Demosthene demonstres philosophorum fontes, e quibus oratores suas segetes irrigarunt. Neque necesse habebis ad verbum interpretari: totam illis orationem distribuere poteris vel partibus aequalibus, si pares sint facultate dicendi & linguarum peritia, vel inaequalibus, si impares, vt in ludum tuum reuersi vel graecas verborum comprehensiones latinis verbis atque latinis sententiarum figuris a se domi conuersas adferant, vel latinas graeco pallio induant aut vtrasque patrio sermone exprimant, siue memoriter id pronuntient, siue de scripto recitent. Si istud facient, facere progressus maiores poterunt & tu illo grammatico officio leuaberis interpretandi ad verbum, & adolescentes melius intelligent, quae domo commentata adferunt, haerebuntque in me-

memoria firmius: & cetera tu addere poteris, quae tam magno & longo vsu in philosophis & oratoribus obseruasti. Has orationum conuersiones pro declamationibus admittam, si videam aemulationem inter eos in probanda nobis industria sua, & si diligentiam in stilo elimando: haec enim recitandi atque scribendi consuetudo etiam poetarum fuit, vt videre est apud Martialem & Persium & Homerum istud factitasse, scriptores tradiderunt, & eiusdem poetae rhapsodiae Iliados ostendunt, quas ex locis diuersis, vbi cantauit haec poemata vno volumine comportatas colligauerunt, & viginti quatuor distinxerunt libris, quas rhapsodias nominauerunt graeci Aristarchi & grammatici, homines doctrina magna & acri praediti iudicio. Adiuuabis igitur tu hac ratione Hertelium nostrum, vt nulla praetereat hebdomas, nullae nonae, nullae idus, nullae calendae, quibus non aliquid vel pronuntietur memoriter, vel recitetur de scripto, quod demorsos, vt ille inquit, vngues sapiat. Vale mi Erythraee. Argentorati, mense Martio.

VIII.

IOHANNES STVRMIVS VILVELSEMIO

professori graeco.

QVam ad Erythraeum misi epistolam, Viluelsemi, eam tibi cum illo communem esse volo. Nam tametsi ille publicos auditores doceat, & tibi duas curias hora meridiana duodecima coniunximus; tamen, quia ex prima curia illorum pars aliqua egressa recenti tempore est, non magnum discrimen inter tuos & illos nostros habendum censeo, & eamdem rationem vtrisque maxime conuenire, censeo. Meridianum istud tempus propter calores & prandia somnum plerumque parit; idcirco interrogationibus & responsionibus ille depellendus est, &

& hoc ſermonis genus vtilius eſt hisce horis, quam illud alterum perpetuae orationis genus, quo libentius, quam iſto, nescio qua de cauſſa, vti ſcholarum magiſtri conſueuerunt. Leges igitur Erythraei epiſtolam, & illam ſequeris, id quod te facturum non dubito: noui enim naturam tuam, & tuam erga me beneuolentiam. Scriptores, quos explicabis, non tibi nomino: ſcis enim aut historicos hos eſſe debere, vt eſt, *Herodotus*, & *Thucydides*, ſed *Xenophon* facilior eſt ad intelligendum, & ad illam diſtributionem, de qua in litteris ad Erythraeum, primis praeſertim menſibus, aut poetas, in quibus etiam te facilitatis rationem habere velim, ſex primis menſibus. Reliquis concedo, vt ad difficiliores accedas, ſiue hiſtorici illi ſint, ſiue poetae: vtroque enim ſermonis genere exerceri, & erudiri oportet inberbes adhuc noſtros adoleſcentulos.

Plurimum enim intererit, quibus artibus & quibus hos tu
Moribus inſtituas; ſerpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta:
Illi eadem ſumtis quaerunt animalia pennis.

Quales enim per omnem vitae curſum eſſe adoleſcentes volumus; tali oportet eos tamquam cibo ſic litterarum genere educari. Vale, mi Viluelſemi. Argentorati, menſe Martio.

VIIII.

IOHANNES STVRMIVS ELIAE KYBERO

amico, interpreti hebraeo.

LInguae hebraicae inſtitutionem in curiis conſulto non propoſuimus: primum, quia multum profeciſſe illum arbitror, qui ante ſextum decimum aetatis annum facultatem duarum linguarum mediocrem adſecutus eſt, vna cum dicendi, diſſe-

rendique doctrina, & praeter catecheſin eccleſiae in curiis, etiam euangelia, & apoſtolorum cognouit epiſtolas, & pſalmodiis exercitatus eſt, & reliquos ſacros libros in quotidianis collegii recitationibus, ſaepe per illos annos, quibus in curiis docentur, poſſunt recognoscere; deinde, quia conſilium meum eſt, ſermonis hebraici grammaticam extra ordinem tradi, aliqua earum horarum, quibus in claſſicis tribubus non docetur, & cuiuis conceſſum eſt, quod velit extra ordinem discere, modo liberale ſit, & moribus non obſiciat, & curſum non impediat, in ſtadio claſſicorum. Poſtremo tametſi poeniteat me, huius linguae ſtudium vsque in hunc annum quinquageſimum nonum diſtuliſſe; tamen nolim alios cogere, vt faciant, quod ipſe non feci. Hortor tamen omnes, vt ad duas illas claſſium linguas etiam hanc adiiciant, meo exemplo, qui ſuperiore proxima aeſtate ea fundamenta absque doctore poſui huius ſermonis, vt absque ope & voce magiſtri ſperem, quod reliquum eſt, breui poſſe in hoc curriculo perficere. Te vero, mi Kybere, oro, Horatianum illud ſequare,

Quidquid praecipias, eſto breuis, vt cito dicta
Excipiant animi dociles, teneantque fideles.

Antequam Nicolaus Clenardus hebraicas litteras Louanii docere inciperet, exiguus erat eorum numerus, qui huius ſermonis eſſent cupidi, & tamen Iohannes Campenſis in collegio Buslidiano docebat, eruditus, & doctus homo; ſed non aeque ac Clenardus ad docendum idoneus. Poſteaquam vero Clenardus ſuas tabulas edidit, & illas explicare incepit; mirum erat, tam multos ſubito exſtare, qui huic ſtudio ſeſe dederent, & breui tempore, quod optabant, adſequerentur. Et tamen hic Clenardus Louanii mihi notus & Lutetiae familiaris, praeter tabulas ſuas nihil attulit praeceptorum, quibus huius ſermonis adſequebantur doctrinam, & biblio-

rum intelligentiam. Istud tibi, Kybere, scribo, vt statuas, Horatianum illud consilium optimum esse de *breuitate, hoc est paucitate & perspicuitate praeceptorum*, quae in Clenardi praeceptis ambae virtutes elucent. Capnio noster, qui in Michaelis Delii locum substitutus fuit, etiam tabulas confecit, non inutiles: accipe ex his, quas voles. Flegelius, quem pestilens superioris anni lues abstulit, & cui tu succedis, fuit prolixior, quam oportuit, eruditis magis idoneus, quam huius linguae discipulis. Habeo Hieronymi Massarii, quem eadem pestis necauit, viri certe docti, & litterati medici institutiones plenas atque perfectas, quas annis abhinc decem confecit, non edidit; ego vero Iosiae Rihelio concredam, vt diuulget: sed hae ad legendum domi magis idoneae sunt, quam ad docendum: nam his me multum adiutum esse consiteor, & credo, absque his difficilior mihi fuisset labor in hac lingua adipiscenda. Ergo & hoc quasi praeceptore vsus sum, & subsidia quaesiui ex interpretibus, & sanctae Pagnini contractis commentariis Geneuae diuulgatis, & Ioannis Forsteri lexico. Sed si meum consilium sequeris, ingredieris in eam viam, in quam induco curias nostras: vt vocabula non viginti quatuor litteris distinguant, sed generibus in ordinem cogant, eademque genera suis partibus ac formis diuidant; quam rationem etiam ego domi retineo, quae paucis diebus ostendit, quanta copia sit sententiarum, verborum, formularum, in ea lingua, quae paucorum verborum & inops esse videtur. Sed quid ego haec ad limatulum virum, prope huius sermonis rudis & tiro? verum habes, quid tiro requirat, & tiro, qui proxime a sexagesimo aetatis anno abest, & ii boni magistri sunt, qui tironum suorum naturam sequuntur, & adiuuant. Vale. Argentorati, mense Martio.

X.

IOHANNES STVRMIVS MATTHIAE STIFFELREVTERO *muſico.*

SI *vox eſt, canta*, inquit Ouidius, *ſi mollia brachia, ſalta*; me hac aetate neque cantare amplius decet, neque ſaltare: ſatis eſt iudicare me poſſe, quis ſaltet aut cantet artificioſe. Muſica tibi commiſſa eſt, in qua, non dubito, quin officium facias boni, & periti cantoris, ita, vt eccleſiis & ſcholis noſtris placeas. Illud velim, quod tu facis, vt perpetuo in republica noſtra retineatur. Primum vt canat, non clamet, chorus. Deinde vt non ora diſtorqueantur ſonorum grauitate, neque hiulcent barbarorum vocalibus, atque diphthongis, vt ne in ore & faucibus adpareat, quod turpe ſit. Canere volubili lingua, vt non ſentiatur, numeris velociter inciſis, vt non ſpatia animaduertantur, artificioſum & ſuauia doctis habitum eſt. Romani, vt ne muſicos vociferari neceſſe eſſet, vaſis cóncauis theatra interſtincta habuerunt, quae numerorum ſuauitatem auribus ſpectatorum exprimerent, vt nec ipſi cantores clamoribus fatigarentur, & turpiter contenderent, & ſinguli, quid caneretur, cum ſuauitate perciperent. Belgae & Celtae optimos muſicos habuerunt, & adhuc laudabiles habent, etiam Leodienſes ante annos viginti nouem audiui ſuauiter modulantes. Tubingae Melchior Volmarus, iureconſultus ita ipſe canere potuit, & ita diſcipulos ſuos cantare docuit, vt non ibi nati eſſe viderentur, vbi nati erant, mirabili ſuauitate. Sed vt ceterae artes, ſic etiam muſica, & θεωρίαν habet & πρᾶξιν. Tuum agere & canere officium eſt. Sed tamen qui publici ſunt, & publicis proximi, ſecundae & primae curiae tirones facile adſequi poterunt, ſi canere

poſ-

possunt, quis imus tonus sit, qui proslambanomenos dicitur, & quis summus netehyperboleon. Quid item harmonia, quid chroma, quid diatonon, & horum omnium poterit scire varietatem. Multa a Boethio praecipiuntur de hac re, quae scire adolescentes non illiberale est. Sed ista scire, honorarium est. Vt autem canant psalmos, praesertim in ecclesiis & scholis, non εἰκῇ, sed κατὰ τέχνην. Tuum officium est, docere. Illa vero honoraria tibi committo, & Conrado Dasypodio, vt statuatis, quando aliqua ex his, & quae illa sint, quae adolescentibus sint explicanda. Sed quid ego haec ad te? *si vox est, canta, si mollia brachia, salta.* Salta, si habes, & canta, si potes, sed artificiose, sed honeste, sed vt disciplinae nostrae prosit, non noceat, vt nihil religioni obficiat. Ad me quod attinet, neque collum ego mihi, neque vocem Aristoxenis opto. Vale. Argentorati.

LIBER III.

I.

IOHANNES STVRMIVS SIMONI OSTERMANNO ELLERO

iureconsulto, rectori gymnasii Lauingani.

QVod a me petiisti, vt adleges vestras adiiciam, quae mihi addenda videantur, facere omnino non potui, vt ante nundinas Francofurdianas haberes. Nam scripsi haec quarto calendas Aprilis ipso primo diluculo. Neque nostras perficere potui: itaque veteres retinui, quemadmodum videbis. Memini haec scribens vnius versus, quem Conradus Goclenius in quodam epigrammate posuerat contra quemdam virum sane doctum, qui officia Ciceronis explicabat, & in vna re peccabat,

non animi vitio, ſed corporis valetudine. Is verſus poſtremus in epigrammate,

Qui docet officium, non facit officium.

Idem vereor, ne mihi idem eueniat, qui aliis officia praeſcripſi, ipſe mihi nihil mandaui. Et ſane heri & nudius tertius propoſitum mihi fuit, me ipſum interpellare aliquot hendecaſyllabis, & memet mei officii commonere: ſed non potui, nec poſſum: exſpectat enim librarius poſtremum hunc codicillum a me. Hac epiſtola obſtringam me viris bonis, & magiſtratui noſtro, non ſolum docere me, & cogitare, ſed agere & facere, quae doceo, mei eſſe officii. Itaque diem nullum intermittam, quin de ſcholis cogitem, quin aliquid vel doceam, vel ſcribam, vel claſſes obeam, quin etiam, quod nunc aliquibus forſitan ἀδύνατον videtur, in inſtitutis noſtris, ego oſtendam, poſſe fieri, & facile poſſe fieri, idque in curiis infimis, nedum ſuperioribus. Doctorem noſtrum Marbachium habeo aſſentientem, cuius tu noſti φιλοπονίαν, etiam Conradum Daſypodium. De Leonardo Hertelio non dubito: hi viſitatores ſunt noſtrae, vt ita loquar, academiae atque Lycei. Hos mihi aduocabo, quoties neceſſarium erit, horum vtar conſiliis, atque auxiliis. Nam horum & meum officium eſt, prouidere, vt omnes officium ſuum faciant, claſſes quotidie obire, vt poſt tempus magiſtri in ludum & curiam non ingrediantur, & ante tempus non exeant, neque ſe interpellari in ſtudio ſinant, vt adoleſcentes, qui foris veniunt, praeceptoribus diſtribuant, quibus curae ſint, qui ad hoſpitia ducant, qui ab hoſpite fidem accipiant, quibus hoſpes ipſe notus eſt, qui domi foriſque non patiatur aliquid facere adoleſcentem, alumnum ſuum, quod dedeceat ſcholarum noſtrarum diſciplinam, neque a ſe ſinat adoleſcentem hoſpitium commutare, abſque permiſſu viſitatorum. Hoc & viſitatorum officium eſt: & meum eſſe fateor facere. Eſt autem omni-

um

um rectoris, visitatorum, magistrorum, videre, ne quid disciplina detrimenti accipiat; & nihil facera, cuius rationem non reddere possimus magistratui, & viris bonis, & illius semper meminisse,

Telephe vel Peleu, male si mandata loqueris:
Aut dormitabo, aut ridebo, tristia moestum
Vultum verba decent, iratum plena minarum.

Itaque aut legam, aut docebo, aut scribam quotidie aliquid, quod exemplo esse possit. Haec visum fuit mihi, legibus nostris apponere, quas marmoreas pro tempore emittimus, veteres illas quidem, & cum nostro gymnasio natas; vtiles tamen, & aureas faciemus, si in tua perstas sententia. Visitatorum necessarium est auxilium. Et consulo, vt tibi etiam aduoces Fridericum Celestinum theologum, & Cyprianum Leouitium mathematicum, & medicum Martinum Rolandum, vt non solum adiutores habeas, sed etiam testes tuae fidei atque diligentiae: & optimo principi rationem semper reddere possitis factorum, & consiliorum vestrorum. Vale. Argentorati, quarto calendas Aprilis.

II.

IOHANNES STVRMIVS SIMONI OSTERMANNO

iureconsulto.

MEnse Martio non vacabat, tibi leges ita conscriptas mittere, quemadmodum cupiebam, & ego volebam. Instabat enim atque vrgebat. Iosias Rihelius, librarius noster & tu nosti, librariorum operae quam sint exactores impatientes. Sed quoniam exemplaria omnia diuendita sunt & sub incudem idem opus reuocauit; venit mihi in mentem petitionis tuae, & aliqua addidi ad leges nostras, quae ad vestram nostramque disciplinam deesse in legibus videbantur. Non tibi mea, aut leges nostras commendo, sed vestrum Lauinganum gymnasi-

nasium, quod aeque mihi atque nostrum gratum est, neque minus diligo, quam pater pulchram filiolam, in qua formae & virtutis praeclara adparent indicia. Quamqnam etiam tua causſa mihi grata est, quoniam in hisce scholis moderandis spero te & gratiam omnium hominum & bonorum virorum laudem consecuturum. Vale mi Ostermanne. Argentorati, mense Iunio. M D LXV.

I.

RECTORIS ET PRORECTORVM ET PROFESSORVM OFFICIVM.

REctorem, & eos, qui illi adiuncti sunt, rectorem tamen inprimis decet auctoritatem suam doctrina, diligentia, temperantia, humanitate, grauitate tueri.

Vt praeceptorum & magistrorum quisque officia quotidiana faciat, diligenter iidem animaduertunto.

Praeceptores primi ad horae sonum ad ludum obseruantor, postremi egrediuntor.

Vestitu, cibo, potu, vigilantia, diligentia, lectione domestica, etiam scriptione domestica, exemplo sunto. Exemplo enim praefectorum & magistrorum perduntur, exemplo seruantur adolescentum ingenia.

Ebriosum praeceptorem, aut ludis deditum e scholis non eiicere, corruptae disciplinae indicium est.

In monendis, & castigandis adolescentulis negligentia & remissio abesse; seueritas absque crudelitate, vituperatio absque maledicto debet adhiberi.

II. LE-

II.

LEGES COLLEGII

ANNO CIↃ IↃ XXXVIII. LATAE.

SEnatus populusque Argentoratenſis ſic ſentit, ſic vult, ſic conſtituit, ſic iubet, vt religionis, doctrinae, bonaeque diſciplinae cauſſa ſcholae habeantur, & ſcholarum ſit collegium, idque hisce conſeruetur, atque huiusmodi legibus.

I. Preces antemeridianas & pomeridianas ſinguli frequentanto: quorum concionari eſt, ſuo loco & tempore concionantor.

II. Collegium theologis, iureconſultis, medicis, rhetoribus, litterarum ſtudioſis conſtituitor.

III. Ad collegium nemo adolescentum admittitor, nemo retinetor, in quo non ſit verecundiae & diligentiae indicium.

IIII. Qui admiſſi erunt, nomina danto, moderator eadem adſcribito: iidem trium menſium pecuniam perſoluunto. Idem inſequentibus menſibus faciunto.

V. Sine fideiuſſione nullum in collegium admittito, neminem, rationibus non ſubductis, miſſum facito.

VI. Extraordinarios ſumtus parentes & propinqui faciunto, aut moderatori pecuniam ſuppeditanto, qui ante tempus exierit e collegio, cum moderatore decidito. Omnes moderatori morem gerunto.

VII. Qui moderatori non obtemperat, impatiens poenae, non audiens dicto, a praefectis caſtigator, mulctator, punitor.

VIII. Dam-

VIII. Damnum etiam, quod quisque dederit, vt praestet, videto.

VIIII. Dum locum in collegio habere, & cubiculum sibi seruari volunt, etiam absentes pro cibariis soluunto, aut cum paedagogo transigunto.

X. Festis diebus bini templa ordine verecunde adeunto, conciones omnes diligenter audiunto, absque psalmorum volumine, aut testamento nouo ne sunto, domi memoria conciones repetunto.

XI. Quotidianis & repetitionibus & exercitationibus interfunto, abesse nemini impune esto.

XII. Sermo vbique omnium latinus esto, omnes suas scholas & classes frequentanto, aliorum scholas non impediunto, non clamore, non cantu, non ambulatione, nullo sonitu, nullo strepitu: qui peccarit pro peccati ratione, & modo bono pœnas luito.

XIII. In collegio neque discipulus absque paedagogi consensu, neque paedagogus absque scholarcharum permissu aedificato.

XIIII. Honeste vnusquisque vestitor, in vestibus ciuium consuetudinem, & scholae institutum colito, nihilque liceat in vestitu, quod foris domiue dedeceat.

XV. Extra domicilium collegii nemo egreditor, nemo stato, nemo emaneto, nemo alibi, quam in eodem domicilio absque moderatoris consensu pernoctato, per hiemem vero inprimis id licitum non esto.

XVI. In coenis, in prandiis, in ientaculis

lis & merendis, in omnibus congreſſionibus, ſermo eſto de rebus bonis, honeſtis, vtilibus, idemque latinus, pudicus, verecundus, liberalis, non moroſus, non contentioſus. In coenis etiam, & prandiis, vt ne deſit ſermoni materies, aliquid memoriter, qui iubebuntur, recitanto. Nemo impune exercitationes collegii contemnito.

XVII. Rixae, conuicia, probraque omnia a congreſſionibus abſunto: qui ſecus facit, in hunc moderator bono modo animaduertito.

XVIII. Auctor discordiae, ni deſinat, e collegio & ſcholis excluditor.

XVIIII. Arma, gladios, pugiones, non geſtato: qui cum armis aduenerit, ea ille moderatori cuſtodienda committito.

XX. Qui vim alteri annis fecerit, e collegio eiicitor: qui ſine armis idem facit, pro noxa luito.

XXI. Malorum familiaritates, conſuetudines, congreſſiones omnes fugiunto: qui ſecus egerint, puniuntor.

XXII. Ad cauponas, tabernasque publicas, atque conuiuia, nemo absque permiſſu moderatoris accedito.

XXIII. Exterorum nemo iniuſſu paedagogi, in collegio aut dormito, aut edito. Hieme ad horam nonam; aeſtate ante medium decimae cubitum quisque ito, ſecus absque cauſſa neceſſaria, & probabili nemo facito. Deum quisque ſuis precibus

bus ante ſomnum inuocato, placato, laudato.

XXIIII. Ianua collegii, hieme ante coenam; aeſtate, cum paedagogo viſum erit, clauditor: nemini poſt id tempus exire fas eſto.

XXV. Paedagogus, quin cubicula omnium circumeat, intusque eadem probet, hebdomadam nullam praetermittito; eidem cubiculorum ianuae ſimul ac pulſarit, apertae ſint, quisque facito.

XXVI. Simul ac quiuis cubitu ſurrexerit, ſtragula conuoluito, ſternito, ſtrata per diem retineto: cubiculum verrito, ſordes ad ſterquilinium portato: omnia bene collocata in his ſunto.

XXVII. Condiscipulum & contubernalem tempeſtiue dormientem, aut ſtudiis incumbentem, non voce, non ambulatione, non ſtrepitu, nemo impedito.

XXVIII. Ad vicini cubiculum, nemo ſine cauſſa accedito: coitiones & conſeſſus per cubicula vitantor: qui ſecus faxint, paedagogus pro noxa, ratione bona vindicato.

XXVIIII. Quibus reipublicae beneficio alimenta ſtudiorum cauſſa dantur, quod de principio ſcholarchis & viſitatoribus promiſerunt, in poſterum ſeruanto.

XXX. Qui officium non poſſe facere iudicabuntur, vt aliud vitae genus inſtituant, miſſionem petunto. Scholarchae hos miſſos faciunto.

XXXI. Qui

XXXI. Qui miſſi facti erunt, cum per facultates poterunt, ſumtus & impenſae pecuniam dimidiam ſcholarchis rependunto, idemque, cum dimittuntur, promittunto, ac facere adſtringuntor.

XXXII. Demortuorum libri, veſtes, omnisque ſupellex, ſcholarcharum pecunia comparata, collegii ſunto: ceteris illa alumnis, vt videbitur, ſcholarchis, donantor. Idem in illorum bonis, qui ob delicta eiiciuntur, ius eſto, qui bona venia ſcholarcharum exierint; libros, bona, omnemque ſupellectilem illorum venia ſecum auferunto.

XXXIII. Quibus ſtudiorum cauſſa in academiis abeſſe permiſſum eſt, hi de ſe quotannis teſtimonia virorum doctorum idonea mittunto: reuocati a ſcholarchis, aut collegii praefectis redeunto, moram nullam faciunto.

Et his legibus omnes obtemperanto, & ceteris legibus, quae poſt doctrinae, diſciplinae, religionis ergo ferentur, obſecundanto.

III.

LEGES CVRIALES.

PRimarius ſtudiorum finis religio eſt, & dei, diuinorumque operum atque beneficiorum cognitio.

Haec ipſa religio doctrina traditur, & eloquentia excolitur; ſed ita haec duo diſtinguuntur, vt doctrina neceſſitatis ſit, eloquentia ornatus.

Adiuuantur autem haec duo disciplina,& legibus bonis: in quibus hoc discrimen est, quod leges absque disciplina parum possunt, disciplina vero per se leges inuenit, si prudenter constituatur.

Est igitur magistratus, scholas litterarum constituere, & magistros litterarum comparare, quoniam haec voluntas dei est.

Magistri vero multis de causis officia suscipere, & facere debent, non solum diligenter, sed etiam cupide & auide.

Nam haec voluntas primum dei est, deinde magistratus, postremo requirit caritas christiana, vt quantum quisque potest, tantum prosit societati christianae.

Sed præceptores morum,& magistri litterarum ipsi sibi pro legibus esse debent,etiamsi nullas haberent; adolescentia vero, & puericia huiusmodi regenda, & seruanda est legum habenis.

Si id adsequi absque legibus non possis, quod optandum est, vt vltro faciant, quod faciunt ingenia bona, vt velint, & obtemperent, & laborent in iis, quae a magistris praescribuntur.

Quod seueritate corrigi potest, indulgentia non debet negligi.

I. Quare si quis ad horas constitutas non adest, vel in scholis gymnasii, vel in concionibus ecclesiae, virgarum verberatione corrigendus est, nisi excusationem a parentibus,aut heris domesticis probabilem adfe-

rat.

rat. Istud enim voluntatis peccatum est, non ingenii imbecillitas.

II. Qui post horam constitutam veniet, castigari debet modo, & ratione bona, iudicio rectoris, visitatorum, & praeceptoris, magis, si bis in hebdomada id fiat, maxime, si ter idem admittatur.

III. Qui negligenter auscultat, qui lectas & traditas res non repetit, qui interrogatus respondere non potest, qui cetera officia bonorum discipulorum negligit; is pro errato, pro peccato, pro ingenio, pro aetate debet castigari: sed grauissima medicina in his morbis erit virgarum seueritas; minima, verborum prudens remedium.

IIII. Qui non diligenter auscultat, qui alia cogitat, qui nugatur, qui scriptitat res alienas, aut alia legit, quam quae doceantur, in his peccatis minima castigatio est comminatio & obiurgatio. Seueritate enim disciplinae, istud naturae vitium sanari potest.

V. Qui malis delectantur familiaritatibus, qui verbis litigant, qui pugnis praeliantur, aut quoquo modo dimicant, qui iurant, qui praeceptores contemnunt, qui irreuerenter praetereunt, aut adspiciunt, aut adloquuntur eos, qui reuerentia digni sunt, vt senes, vt magistratus, vt homines praediti auctoritate aut virtute; qui in plateis, & coetibus hominum non versantur verecunde, & vt decet, litterarum studio-

sos, ratione bona, aut grauiter aut seuere debent emendari.

VI. Qui sermone vtuntur alio, quam latino, qui impudenti, qui impudico, pro peccati genere, ratione bona puniantur.

VII. Qui aduersus magistros, & praefectos suos falsam querelam ad parentes deferet aut tutores, aut cognatos, aut amicos, aut quosuis necessarios, & viros bonos, & quia falsum dicit, & quia aduersus praeceptorem, & praefectos suos ingratus est, & quia moerorem mendaciis suis excitat, pro facinoris grauitate, aut virgis castigetur, aut custodia coerceatur: aut modo aliquo bono seueritatis fiat melior.

VIII. Decurio, si officium non faciat in animaduertendo, & accusando, virgis corrigendus est: non enim hic vitiosus esse potest, vt non nouem condiscipulos vel offendat exemplo, vel in societatem vitiorum pertrahat, & disciplinam corrumpat gymnasii.

IIII.

DECRETVM SENATVS ET VIGINTI VIRORVM.

CVm antehac ad confirmandam religionem & ad publicas commoditates amplificandas, scholae litterarum in hac ciuitate constitutae sint; & cum quotidie magis atque magis copia eorum, tum, quos exteri mittunt, tum quos ciues ducunt ad litterarum magistros, augescat, ita, vt praeceptoribus difficile, & arduum sit futurum, in tali multitudine, & turba officium suum facere, retinere iuuentutem in disciplina & obedientia, nisi certis

tis legibus constitutis atque obseruatis, quo sibi vtiliter, & cum ciuibus tranquille, atque amice, & cum ceteris omnibus honeste, & morate viuant: decretum est a consule, & senatu, & viginti viris, quo deinceps insequentes leges obseruentur.

I. Adolescentes in minoribus classibus, leges atque decreta, quae superiore anno de principio facta sunt, summa cum diligentia colant.

II. Qui ad publicas auscultationes distributi sunt, rectori cum primum in hanc vrbem venerint, aut e minoribus classibus educti fuerint, nomen dent, eidemque reuerentiam atque obedientiam erga praeceptores, atque disciplinam scholae promittant.

III. Omnes honesto, & huic vitae conueniente vestitu vtantur, non colore militari, non discisso, non ex humeris pendulo, non arma, & hi, qui in classibus minoribus sunt, non pugiones gerant.

IIII. Quoniam ab exteris hominibus, & bonis viris, & multis, liberi mittuntur doctrinae & disciplinae nomine, neque omnes cum praeceptoribus habitare possunt, qui cum praeceptoribus esse non possunt; si necessarium videbitur, ex praeceptoribus aliquis a rectore deligatur, qui curam gerat eius, cui committetur, vt consulat, moneat, castiget, adolescens etiam obtemperet, & mandata faciat.

V. Nullus discipulorum ad choreas, & nuptias, similiaque loca eat, nisi iusta de

cauſſa inuitatus, idque cum permiſſu praeceptoris. In plateis etiam nemo absque huiusmodi cauſſa, atque permiſſu noctu verſetur. Quicunque vero contra deprehenditur, a vigilibus capi, & in cuſtodiam duci debet, & pro delicti genere puniri.

VI. Qui vero his ſimilibusque ſenatus decretis obtemperare nolet, is nec a praeceptoribus, nec a ciuibus excipi debet, ſed viuere in publico diuerſorio, quo ſenatus cognoscat, non litterarum cauſſa eum adeſſe.
Decretum XXVI. Nouembris CIↃ IↃ XXXVIIII.

V.

LEGES SCHOLASTICAE CIↃ IↃ LXV LATAE.

I. LEX DE GLADIATORIBVS ET VESTIBVS.

VT ciuium liberi recte educarentur ad vitam, & ad religionem;

vt delectum ſemper ſenatus habere poſſit in copia, & in his, quos concionibus ceterisque ſenatus & reipublicae muneribus, atque miniſteriis praeficeret;

vt huius vrbis commoditate etiam ceterae respublicae vti poſſent, & ſuos ad nos liberos mittere:

eſt igitur ſenatus voluntas, vt non ſolum ſuos in doctrina retineat, verum etiam exteros atque alienigenas, vt neque animi adolescentum corrumpantur disciplina vitioſa, nec ſpes abſentium fallatur parentum.

Et quoniam noua quaedam & peſtifera digladiandi conſuetudo irrepere incipit in hoc

hoc gymnaſium, vt maior gladiatoribus detur a nonnullis adolescentibus opera, quam litteris earumque magiſtris; decreuit ſenatus, vt nemo ex claſſicis absque conſenſu viſitatorum, & ſcholarcharum comprobatione, gladiatoribus operam nauet. Ex publicis etiam nemo, qui magiſtris ac profeſſoribus commendati ſunt vel a parentibus, vel a tutoribus atque amicis.

Nemo etiam eorum, qui paedagogos habent, niſi id per paedagogos a viſitatoribus impetrent, quibus haec cura a ſcholarchis eſt demandata. Atque iſtud priuatim permittetur: publice autem nullum placet ſcholaſtici nominis digladiari.

Adfert haec conſuetudo gladiatorum alia etiam ſecum vitia, pernicioſa litteris, commeſſationes, & ludos alearum, quorum vtrumque omnino omnibus interdicimus, praeſertim in cauponis, & locis publicis.

Etiam veſtium luxum, tunicas militares, diſſectas caligas, ipſa etiam forma feras, agreſtes, & carnifici magis conuenientes, quam decoras viris honeſtis.

Hoc vitium nemini concedimus ſcholastici nominis in claſſibus, neque etiam paedagogis facimus poteſtatem permittendi id ſuis, absque viſitatorum ſcitu atque permiſſu.

Quamobrem veterem legem de veſtibus, atque ſicis, pugionibus &c. cum noua hac lege volumus & repetitam eſſe, & renouatam, & confirmatam.

Qui ſecus faxit, in hunc ſcholarcharum auctoritate animaduertetur; aut ſcholaſticis poenis, aut exterminatione, aut ſpoliatione ſocietatis ſcholaſticae prout peccaſſe, aut refragatus eſſe videbitur, cum de eo iudicium fiet.

II. DE EXERCITATIONIBVS QVOTIDIANIS COMMVNIBVS SCHOLARVM ARGENTORATENSIS ET LAVINGANAE.

HAec igitur de claſſicis, & publicis magiſtris. Qui, ſi officia fecerint ea, quae praeſcripſimus; non dubium eſt, quin eo perducturi ſint ſuorum discipulorum coetum, quo perduci vtile, & glorioſum eſt, pietatis, & religionis, doctrinae & eloquentiae, quos fines ſtatuimus noſtrorum ſtudiorum.

Caput disciplinae in adolesceptibus inſtituendis exercitatio quotidiana eſt, ignauiae inimica, inſcitiae hoſtis, omnisque moleſtiae explicatrix. Genus vero exercitationis non vnum eſt, ſed in hoc noſtro gymnaſio decem volumus eſſe praecipuas, pſalmodias, recitationes, conciones, ſcriptiones, declamationes, disputationes, collocutiones, demonſtrationes, dramata, ludos. Legendi enim ratio, & explicandi quotidianum officium tametſi exercitationis ſit; tamen, quoniam illud ad praeceptores pertinet, nos haec decem in discipulorum retinemus officiis.

III. DE PSALMODIIS.

QVoniam igitur primas tenet religio, ſacris cantibus, & recitationibus, & concionibus primas damus, & primo loco de cantu praecipimus, vt antequam in curia magiſter docere incipiat, pſalmos aliquot alternatim e regione duplicato ordine modulentur adolescentes voce media, ſoni vnius, linguae mobilitate eadem, & ſpatiis iisdem, non ſolum verſuum, atque ſententiarum: ſed verborum etiam, atque ſyllabarum, vt ſimul incipiant, ſimul progrediantur, ſimul conſiſtant, mora vero tanta fiat, quae neque faſtidium pariat, & obficiat intelligentiae. Intelligenter enim cantari debet, quod canitur, vt & lex dei cognoscatur, & memoria discipulorum adiuuetur, & copia comparata ſit, quoties auctoritatibus contendendum eſt. Iſtud officium ter quotidie faciendum eſt: mane, cum in ſcholas ingrediendum eſt, meridie cum domum reditur: ante coenam, cum finis fit laboris quotidiani.

Pſalmorum numerus, quos hebdomadibus oportet ſingulis modulari, brevitate, & prolixitate ſingulorum aeſtimandus eſt, vt tertio menſe omnes in his ſcholis reſonent, & quotannis quater queant decantari.

Ter igitur canendum eſt, & ter precandum; quas preces, pium & ſanctum eſt, ad pſalmorum argumentum referre, & theologi officium eſt, has preces conficere, & in his ſcholis cuſtodire.

IIII. DE RECITATIONIBVS.

REcitationes voco, quae a Graecis adpellantur ἀναγνώσεις, vnde ἀναγνωσταί ecclesiae lectores nominabantur. Hae instituendae sunt prandiis, & coenis, quarum materies sit, libri regum & genesis, & euangelia pleraque: difficiliores enim libros, apostolicos, & propheticos, qui opus habent diligentis theologi explicatione, doceri potius, quam recitari placitum est.

Recitator in conclaui prius sibi legat, quam aliis recitet, vt legere possit absque vlla impeditione, vt pronuntiare intelligenter, vt apte sententias distinguere, vt non solum vocem, sed etiam motum aliquem adferat, qui rei, de qua dicitur, sit adcommodatus.

Vtile etiam est, psalmos eos, qui per hebdomadam canentur, latinos, verbis graecis & hebraicis explicari. Nam eruditiores esse oportet lectores hos: hi enim & recitant intelligentius, & huius officii quasi reuerentiam commendant condiscipulis.

V. CONCIONES.

COnciones adpellamus ὁμιλίας, quae Argentorati habentur post coenam, antequam adolescentes ad conclauia & cubitum redeunt. Hae breues sint, sed diligenter conscriptae, vt doctrina adpareat sacrarum litterarum, vt pietatis studium, vt etiam dialectici acumen, atque veritas, & rhetoris elegantia, atque ornatus. Huius

gene-

generis exempla ſunt apud Auguſtinum: cum hoc doctore velim adolescentes contendere, cum verborum puritate, tum ſententiarum claritate, vt non ſolum illius ſcriptoris adolescens eſſe videatur interpres, & recitator; ſed imitator etiam, & aemulus.

VI. SCRIPTIONES.

SCripta eſſe volo quotidiana, & discipuli manum aut auriculam numquam absque ſtilo, & calamo, & absque papyro, & charta eſſe placet. Sed ſcriptio claſſium triplex eſt: vna claſſis infimae, in qua puer *litterarum figuras adſuescet ſcitè facere*, a ſcriba eleganti manu, qui hunc coetum prope infantiae etiam in quartam curiam comitabitur. Re ipſa comperimus, quantum haec conſuetudo vtilitatis adferat, non ſolum ſtudiis litterarum, ſed etiam officiis publicarum operarum, in magiſtratuum & conſiliorum cancellis, huiusce rationis commoditas conſpicitur: immo in officinis negotiatorum cernitur, ad reipublicae elegantiam pertinet erudita manus, & ſcriptura elegans.

Alterum genus ſcriptionis *eſt diariorum*, *& ephemeridum*, de quibus diximus, verborum, & nominum, ſententiarum & auctoritatum, exemplorum, earum rerum, quae in dialecticis, & rhetoricis ſcholis praecipientur. Horum librorum diligentior debet eſſe cuſtodia, quam facultatum

hi

hi libri magiſtro indices ſunt earum rerum, quae cognitae notatione quotidiana, in puerorum mentibus latent reconditae, hi teſtes ſunt diligentiae, hi cuſtodes memoriae, hi defenſores contra accuſatores & pueri, & magiſtri.

Tertium genus eſt *ſtili*, quem quotidie acui volumus, & indies magis atque magis ſplendescere, vel tota aliqua oratione, & declamatione vel inſigni aliqua argumentatione aut amplificatione, vel epigrammate, lepido, & epiſtola bene morata, vel narratione aliqua heroica. Haec etiam in commentariis quotidianis, quas ephemerides adpellamus, notari debent, & repraeſentari magiſtris, & moderatoribus: quotties probatio fiet a ſcholarum praefectis.

VII. DECLAMATIONES.

DEclamationes, quae ſint, omnes intelligunt: ſunt enim rhetoricae μελέται, ſed graecorum vocabulum rei eſt elegantioris, diligentiae nimirum, & commentationis: nescio, quare latinis placuit declamationes vocari, niſi fortaſſis, quod primum vitium clamando ſoleat admitti ab imperitis, vel quod non minoribus aliquando in hac vmbra vtendum ſit vociferationibus declamatori, quam in foro, & grauibus cauſſis oratori.

Vtilitates declamationum omnes confitentur; ſed pauci ſunt, qui, quod confitentur, & laudant, idem vſurpent, atque colant.

Pri-

Primum igitur officium sit praeceptoris, vt & moderatoris, quem rectorem nominant, vt videat, ne declamandi consuetudo intermittatur, & crebrae declamationes habeantur: idque statis temporibus vel paribus cum disputatione gradibus vel vicibus alternis.

In declamationibus eadem debent exstare indicia, quae in concionibus, doctrinae, morum, eloquentiae.

Argumenta, quoad eius fieri potest, sint earum rerum, quae animos eorum, qui audient, moueant, & ad veritatem quam proxime accedant. Ecclesiasticum velim, si fieri possit, aliquod iudicium certorum negotiorum, & has causas latine defendi. Mirum enim dictu est, quantum haec consuetudo habeat vtilitatis, cum ad mores, tum ad laudem studiorum, atque litterarum. Si istud obtineri non poterit; in huius locum substituantur contrariae actiones, suadentis & dehortantis, laudantis & vituperantis, accusantis & defendentis: sed altera ratio commodior esset ad veritatem rerum, & ad vtilitatem reipublicae, & litterarum gloriam.

VIII. DISPVTATIONES.

VT declamandi exercitatio ad rhetorem pertinet, ita disputandi ad dialecticum: atque idcirco etiam διαλέξεις sunt adpellatae huiusmodi philosophorum ἐνλεύξεις, atque artis differendi vtilitas, ac vsus

vſus in hac conſuetudine maxime percipitur. De hac multa praecipi poſſent, & multa praecipienda eſſent, propter vitia, quae irrepſerunt in hanc conſuetudinem: ſed huius loci non eſt, ea perſequi: emendari autem poterunt, ſi quaeſtiones eligantur vtiles ad vitam, ſi regulae retinebuntur dialecticorum, ſi ſint moratae absque inuidia, maleuolentia, iracundia: quae vitia grauiſſime punienda ſunt, & quomodo vitanda ſint, adparet in Platonis, & Ciceronis ſermonibus. Conſuetudo haec aeque in locis retinenda eſt, vt illa ſuperior declamandi & eo magis, quod veritatis ſit, & eccleſia multas & graues quaeſtiones habet, quas, vtile eſt, diſceptari in vtramqne partem. Sed delectu eſt opus, & ad disputandum nihil proponi debet, quod a ſcholarum praefectis non ſit permiſſum. Idem de declamationibus praecipitur, vt in hac conſuetudine nihil proferatur in medium, cuius rationem non reddat, & culpam praeſtet non ſolum disputator aut declamator, ſed etiam moderator atque praefectus.

VIIII. CONFABVLATIONES.

SErmones iuuentutis latinos eſſe volumus, omnium etiam eorum, qui in extremis latent claſſibus. Praeceptorem patrio ſermone vti nolumus, niſi cum erit neceſſarium. Simulac enim puer in ludum ingreditur, habet magiſter, quod illum latine doceat, rerum vocabula; in-

Ae-

flexiones nominum, & verborum, mandata certorum officiorum. Haec consuetudo magis in superioribus decuriis retinenda, & colenda est, & confirmanda lege, & custodienda seueritate, & castigatione. In ludo dum magister ludi docet, silentium esse volumus: cum in scholas ingrediuntur pueri, & cum domum redeunt, cum colludunt, cum simul ambulant, cum obuiam veniunt, sermo sit latinus aut graecus. Nullus veniae locus, si quis hic peccet petulanter. Sed hae confabulationes liberae sunt: nam adolescentes domum reuerti, etiam apud se aliquid commentantes, peraeque est vtile, atque laudabile, atque loqui, & latine colludere. Sed collocutiones quaedam necessariae sunt, & praecipiuntur in scholis, & prandiis, & coenis, in quibus gymnasia erudita, interrogationibus & responsionibus iuuentutem exercebant, earum rerum, quas praeceptores docebant, aut ipsi priuatim legebant, aut, quae recitabantur coenantibus, atque prandentibus. In huiusmodi conuiuiis etiam infimi ordinis pueri habent, quae rogent, rerum vocabula, inde a summo genere vsque ad extrema membra distributa. Haec facilis ratio erit, si moderatorem habeat praeeuntem: nulla enim via in errorem ducit, si ducem habeat; nulla molesta, si comitem facetum.

X. D E-

X. DEMONSTRATIONES.

DEmonſtrationes non ſolum voco Mathematicorum ἀποδείξεις, ſed etiam Grammaticorum ἐνθείξεις. Duplex enim natura rerum eſt, quarum vocabula traduntur, vna earum, quae notae ſunt, aut quotidie oculis obuerſantur: vt panis, vinum, domus, tectum, paries, anſer, anas, capo, quibus quotidie vescimur. Sed eſt alterum genus ignotum, atque incognitum, quod indice, & demonſtratore habet opus: vt planetarum ſeptem, vt pleiadum, vt cynoſurae in coelo, vt in hominis carne muſculi, in oculo color cryſtallinus, in capite rete mirabile, vt nerui recurrentes. Herbae multae demonſtrari poſſunt, & herbarum atque plantarum omnes partes gemmae etiam atque lapides, multa ſupellex non noſcitur, niſi videatur: nulla ars eſt, quae non opus habeat aliquo praemonſtratore. Si quae in ſcholis vtiles atque neceſſariae ſunt conſuetudines, retinendae ſunt; haec minime eſt negligenda, maximam vim habens ad depellendam inſcitiam, ad amplificandam copiam atque facultates, ad conſeruandam memoriam, ad facilitatem, ad refectionem ingenii, ad vitandum faſtidium, quo nihil eſt perniciosius in hac disciplina iuuenilis aetatis.

XI. DE COMOEDIIS ET TRAGOEDIIS.

COmoedias & tragoedias non placet in gymnaſio multas explicari a praecepto-

toribus, ne alia, quae neceſſaria ſunt, negligantur: multas tamen agi, & memoriter recitari velim a iuuenibus. Hanc facultatem adſequentur, ſi ſingulis curiis ſingulae proponantur fabulae: ac earum perſonarum, quae pauca loquuntur, facilis eſt actio, plus laboris requirunt primarum partium actores. Quae ab his agenda ſunt, diuidi poſſunt binis, aut ternis, vt memoria inchoetur in pluribus, conſtituatur in omnibus, vt irrepant res quotidianis, aut crebris actionibus in mentes adolescentum, non ſua mole fatigent, vel opprimant, paucis menſibus pars magna fabularum in ſcholas hac ratione introduci poterit; absque magiſtrorum explicatione, & absque labore atque faſtidio discipulorum. Quae enim obſcuritatem, cum priuatim cognoscuntur, habere videntur, ea vel actione & conſuetudine, vel praeceptoris breui explicatione, vel collocutione, & conquiſitione inter ſe adolescentium illustrantur. Eſt tamen praeceptorum officium, eas fabulas diligenter cognoscere, quas agent discipuli, & in auctoribus, atque hiſtoricis explicandis ex his fabulis loca adducere, in quibus aliquid eſt, vel obſcurum aut vitioſum, vel acutum, & eruditum, vel diſſimile, aut contrarium. Difficile creditu eſt, ſed tamen verum eſt: mirabile eſt, quam exigua ope eruditi & induſtrii magiſtri, quantas res, & quam multas queat adſequi discipulus.

XII. DE LVDIS ET ANIMORVM RELAXATIONE.

SVperiores omnes exercitationes pro ludis habendae sunt: sed sic natura est hominum, vt ludos in corporis agitatione, non in mentis exercitatione quaerant. Itaque aleae, & tali, & disci quaeruntur, curricula & saltationes petuntur, venationes, piscationes, natationes delectant, & gladiatores plerumque magis, quam magistri, reficiunt; neque ego adeo seuerus sum, vt huiusmodi ludis non velim recreari adolescentium animos: sed Ciceronem sequi debemus, qui iocis, & ludis ita nos vti vult, vt somnis & quietibus; & tum demum, posteaquam grauibus & seriis satisfactum est negotiis, & ita ludendum, vt ludus sit ingenuus, & moderatus, vt animus voluptate non efferatur, vt pericula vitentur, cuiusmodi multa sunt, in digladiando, natando, piscando, venando. Illud autem proprium nostrarum scholarum est præcipere, vt in ludis sit sermo latinus, vt ludorum stata sint tempora, vt moderator adsit, vt ludi deligantur magis idonei, & magis vtiles, in curriculis metas figere, currere, saltare, castra metari etiam, & exercitum ducere, & aciem instruere, duces, centuriones, decuriones constituere, legiones conficere, & eas cohortibus distinguere, & liberale est, & vtile, & iucundum. Aedificiorum etiam demonstrationes facere, & hortorum, & villae, suaue, & ingenuum est. Ex vrbe egredi, prata & hortos visere, herbas effodere, nomina interrogare, gustare eas, & partiri, plusne voluptatis, an vtilitatis haec ludendi ratio habeat, dubium est. Haec facere, & his similia alia ludorum genera quaerere, & vtile est, & honestum, & iucundum, & necessarium. Volunt enim refici animi hominum, fatigati seriis studiis; sed ea demum laudanda quies, & voluptas, & recreatio est, quae intra modestiae, & verecundiae se terminos continet.

Argentorati II. Calend. Iulii

CIↃ IↃ LXV.

ACA-

ACADEMICAE EPISTOLAE VRBANAE

IOHANNIS STVRMII RECTORIS

LIBER I.

I.

AD SENATVM.

FVit quondam tribus praeclara laudibus Athenienſium reſpublica: nam & bonis fuit a Solone conſtituta legibus, quarum domi militiaeque auctoritas eſſet; & militari virtute floruit, in totiusque Graeciae imperio cum paucis aliquando excelluit, & litterarum ſtudiis maximum nomen habuit, exiſtimatumque eſt, eam omnium artium inuentricem, & prope procreatricem eſſe.

Sed bellicae virtutis nomen, commune cum Lacedaemoniis habuit, cum Philippo vero, & Alexandro, fortunam habuit inferiorem: & tandem, quidquid nominis erat, amiſit. Et Solonis leges partim ab ipſis praetoribus commutatae Romae ſunt; & leges a Romanis ſapientius fixae, apud quos earum pars maior diutius culta eſt, quam apud eos, a quibus translatae Romam ad ſeptemuiros erant.

Litterarum vero gloria, tot iam elapſis ſaeculis, ex

quo Athenae euerſae ſunt, adhuc in ore omnium litteratorum hominum eſt, & eo apud nos maior litterarum honos, quo minus nos, quam illi, doctrina litterarum poſſumus. Quod vero maius eſt, cum leges ciuitatis fere omnes antiquatae ſint, tamen litterarum monumenta praecipua, nobis tot poſt ſeculis ſunt diuinitus relicta, poetarum, hiſtoricorum, mathematicorum, philoſophorum.

Ac certe, ſi licet, mediocria cum maximis comparare, licebit mihi etiam de noſtra ciuitate aliquid dicere; praeſertim ad vos, patres conſcripti, qui ex praecipuis ordinibus eſtis, & iudicare poteſtis, verane ſit vox mea ad laudem, an falſa, & ad adulationem compoſita?

Licet autem mediocria cum ſummis componere, propterea quod virtus in medio poſita, & mortalitatem propter mediocritatem non extimescit: & diutius ſteterunt mediocres opes vrbium, quam ingens populi & immanis potentia.

Et bella quidem maiores noſtri ita geſſerunt, vt ſua ſolum tueri, aliena non adpetere viderentur. Et cum leges atque facultates a maioribus accepiſſent, leges emendatas, facultates auctas, ad posteros, & ad nos adhuc conſeruarunt; & ita auctas facultates, vt frugalitate illae potius & prudentia, quam vi, aut armis comparatae ſint; & ita leges correctas, vt iſtud religionis potius norma, quam voluntate impulſi fecerint. Hanc rationem deus, hanc mediocritatem veritas, perpetuam eſſe vult, hanc immortalem, ſi quid natura ſinat eſſe immortale.

Litterae in noſtra vrbe reſtabant, quas contenti puerili inſtituto, vt olim Romani ab vrbe Athenis; ſic maiores noſtri a vicinis academiis, eo liberis veſtris miſſis, maluerunt accipere, quam domi perfectum aliquid inſtituere, vt tunc ferebant tempora.

Nunc vero vita, & moribus, & periculis, & vſu edocti, huiusmodi educationis atque doctrinae beneſi-

neficia aliis impertiri, quam ab illis accipere placitum est, quae quondam Athenienſium fortuna etiam fuerat.

Erat enim Athenis fanum Herculis, quod Cynoſarges adpellabatur, in quo pueri ſpurii gratis alebantur: ſed non ſolum hi ibi educabantur, verum etiam ciuium liberi erudiebantur doctrina litterarum. Hoc in loco litterarum erant ſcholae ante academiam Platonis, aut Stoicorum porticum, aut Ariſtotelis Lyceum, hoc etiam contenti loco, nihil viſi ſunt requirere perfectius.

Ita etiam vos, annos iam triginta duos claſſibus acquiescentes, ſatis & veſtris liberis prouiſum eſſe, & exteris communicatum ſtatuiſtis.

At ante biennium Caeſaris comparato beneficio, & noua academia conſtituta, nobis quaſi praeſcribere videmini, quid claſſicis exercitationibus nos oporteat adiicere.

Itaque mihi commiſſa eſt confectio *academicarum epiſtolarum*, vt meo arbitratu, quid de academia inſtituenda ſentiam, id ad amicos epiſtolis explicem.

Atque hac in re voluntatem veſtram, atque conſenſum; pro re praeclare geſta habeo, & militari vel triumpho antepono. Praelium enim, cum primum commiſſum eſt, eſſe deſiit: Lycei vero alicuius, aut ſtoae, aut academiae conſtitutio, ſimul ac inſtituta eſt, eſſe incipit, & diuturnitatem pollicetur, & immortalitatem ſperat, & quotidianos gloriae fructus quotidianos laborum ſeminibus parit in aeuum, dum mundus ſtabit, perpetuum.

Quamobrem, quae res mihi commiſſa eſt, & a me ſuscepta, non ab ea digrediar, antequam totam eam vobis effectam attulero.

Et quamquam nihil ab iis ſcribam diuerſum, quae in *libro de litterarum ludis recte aperiendis* tradidi; tamen paullo altius adſcendam, & longius progrediar,

diar, vt ex his adpareat, quae tum sperarim, quaeue prouiderim.

Proponam vero mihi florentissimas illas Athenas, quae vno tempore, & militiae duces habuerunt clarissimos, & rerum gestarum explicatores summos, poetas etiam excellentes, & oratores perfectos, & tribus in locis tres maximorum philosophorum familias, in academia, stoa, & lyceo: qui viri quam magni fuerint, industria, diligentia, doctrina, indicio sunt libri illorum, quos conscripserunt, & qui a Diogene Laertio, & a Suida numerantur, & intelligi possunt, ex reliquorum scriptorum auctoritatibus.

Ac in huius, quidquid id futurum est, scripti confectione, vos adpellare atque mihi aduocare visum est, vt ostendam hominibus, vos bonarum artium patronos esse, & quae instituimus, ac quae facimus, id nos vobis auctoribus suscipere. Valete. Argentorati.

II.

Ad scholarchas

HENRICVM MVLHEMIVM CAROLVM MIEGIVM ET FRIDERICVM GOTESHEMIVM.

MAgnum nomen est, magistrum artium liberalium atque philosophiae adpellari, & ipso philosophi cognomento glorioſius. Omnium enim rerum scientia, ipsaque sapientia, propria dei est possessio atque facultas, harum vero rerum studiosum esse, semper honestum est habitum. Non excedit verecundiae fines, qui ad omnium rerum limites conatur adspirare. Itaque concessum est omnibus, naturam rerum perquirere, & omnia ea discere, quae physici tradiderunt de mundo, & omnibus illius partibus, totoque ornatu eius, de principiis

cipiis etiam rerum, ex quibus omnia orta ſunt; etiam ea cognoscere, quae de prima philoſophia a magnis auctoribus ſunt prodita; animum etiam altius eleuare, & formas rerum, quaſi a ſuis abſtrahere corporibus & quidquid numeroſum eſt, in doctrinam redigere, quidquid figuratum eſt, eius figuram multiplicem partiri; modos etiam vocum per ſe conſiderare, & inter ſe componere, coeli motus adnotare, atque dispertiri; denique quidquid phyſici, primi ſapientes tradiderunt, quidquid mathematici, id nolle ignorare, id induſtrii adolescentis, atque etiam boni ſenis officium eſt.

Neque haec ſolum ſcire velle, laudabile eſt; ſed etiam glorioſum, ad vitam atque ad mores traducere, vt non ſola ſedeat ea pars philoſophiae, quae θεωρικὴ dicitur, ſed cum comite incedat ſua, quae πρακτικὴ eſt nominata, eamque docebit, agros colere, vites plantare, pecudes alere, apes cuſtodire, quae omnia ſibi agricultura arrogat, & huic non diſſimilis, quae οἰκονομικὴ dicitur. Arces ſibi etiam haec pallas condet, & ſacras aedes aedificabit, & theatra conſtituet, & cetera faciet aedificia, architectosque erudiet. Etiam imperatores docebit exercitum conficere, tirones exercere, aciem conſtituere, vrbes oppugnare, praelia committere, quae artis ſunt militaris. Neque enim Minerua ſolum ex Iouis cerebro ſuum ipſa attulit cerebrum, verum etiam armata, atque haſtata proſiliit in lucem. Et coeleſtis Vrania Iouis eiam filia, non ſolum ſiderum ſitus, ortus, occaſus, reditus, doctrina complectitur, quae aſtronomia dicitur; ſed etiam medicos inſtruet, etiam nautas docebit, quaſi rerum euenta & ſigna, eosque προρρητικὰς faciet: & Apollo ipſe cum morborum cauſſas & remedia ſciet, tum etiam Aesculapium docebit inprimis, mortalis a morbis atque cruciati-

ciatibus liberare. Haec omnia naturae sunt, & eorum, qui physici nominantur; haec scire, liberale atque ingenuum est; haec exercere fructuosum plerumque, saepe necessarium hominibus.

Sed quoniam omnia hominum sunt creata gratia, non tantum corpus curandum est (id quod medicorum est); sed multo magis animus est virtute colendus, & bonis moribus ornanda mens est. Et praeclare Socrates, cum ab Archelao, magistro suo, principia quaedam & quasi semina de doctrina morum accepisset, ipse neglectam hanc doctrinam a physicis, ita Platoni & ceteris suis discipulis tradidit, vt & ipse Plato, & huius discipulus Aristoteles, cum aliis condiscipulis, litterarum monumentis eam absoluerint, & nobis de officiis disputationes reliquerint, & leges explicarint, & rerumpublicarum omnia genera exposuerint, & quasi doctores exstiterint regum, legumlatorum, magistratuum, iudicum. Haec enim omnia, ea ars, quae ethice nominatur, consummauit, cuius potentissima pars est politice, quae absque oeconomice non potest consistere. Partior enim ethicen, tum in ipsam ethicen, tum in politicen, tum, quam oeconomicen Plato & Aristoteles nominant.

Verum nullum genus rerumpublicarum sanctius est, quam christianorum, & nemo de ciuitate dei melius praecepit, quam theologi: itaque quarta haec species propria theologiae est & doctores habet cum deum ipsum, tum prophetas, tum apostolos, tum euangelistas, tum eos, qui patres adpellantur, quo genere doctrinae, omnes philosophos superiorum aetatum, omnem academiam, atque Athenas ipsas vincimus. Horum vera ethica est morum disciplina, ignorata & septem totius Graeciae sapientibus, & non cognita Thaleti & Ionicis, neque a Pythagora atque Italicis intellecta, neque notata a Socrate, neque ab iis, qui Socratem

tem ſecuti ſunt, academicis, ſtoicis, peripateticis animaduerſa eaque talis atque tanta, vt nihil humanum & caducum, ſed omnia diuina atque immortalia eſſe adpareant, & talia ſint, qualia eſſe videntur.

Et quae hactenus commemoraui, propria ſunt academiae noſtrae, quam inſtituiſtis. Nam tertiam partem, quae ſermonis eſt & linguarum & artis differendi atque facultatis dicendi, ita in claſſicis epiſtolis diſtribuimus, & ita coluimus, vt pene propria ſcholarum noſtrarum ſint, atque habeantur.

Quomodo vero illa ſuperiora duo genera, quorum vnum naturae eſt, alterum morum, tradi ita poſſint, vt, cum omnia in ſcholis legi & explicari non poſsint; tamen ab omnibus mediocriter intelligi atque teneri queant, quoniam iſtud munus mihi mandaſtis; exponere inſtitui *academicis epiſtolis*, non vt leges feram cuiquam, ſed vt meam ſententiam aperiam, & ſuum cuique relinquam iudicium.

Atque huius rationis conſcriptio, ſi vobis atque ſenatui placebit adſequar, quod velim in hoc tempore: ſin minus, tamen quia veſtrum mandatum eſt, contra officium non faciam obſeruantiae, cuius ſatis firma defenſio eſt contra impudentiae vituperationem. Valete.

III.

CAROLO MIEGIO

Conſulari, & ſcholarchae.

QVoniam inſtitutum academiae noſtrae eſt, vt omnia, quoad animus humanus adſequi poſſit, conemur docere; oportet nos praeceptores omnia didiciſſe: id quod nondum adepti ſumus. Neque enim video, quemquam noſtrum iſtud ſibi potuiſſe promittere, neque, vt ſentio, promiſit quisquam, aut ſi promiſit, fecit id magis ſtudio, & cupiditate, quam rei difficilis, & arduae cognitione. Si quis Platonis libros om-

nes legat, aut etiam Aristotelis, Plutarchi etiam, quotusquisque est, qui non putet, eos omnia audiuisse, interrogasse, cognouisse? at quot quantaeue res iis defuerunt? credo equidem, & verum credo, si omnium philosophorum, siue Epicurei illi sint, siue academici, cum veteris, tum nouae academiae, siue stoici, horum inquam omnium, atque ceterorum Graeciae totius sapientum si quis doctrinas cogat & redigat in ordinem; tamen videbit, eos potius omnia voluisse, quam potuisse, & magis partitos esse, quam explicasse, quaecunque philosophia profitetur. Et vt nihil aliud esset, certe nihil de deo, nihil de mundi creatione, nihil de natura hominis, nihil de hominum redditu in vitam dicere potuerunt. Poetae Iouis filios ausi fuerunt, & filias nominare, at quantum aberrarunt vna cum philosophis a veri filii vestigatione, vt de cognitione taceam. Iam in physicis atque mathematicis, posterioribus multa inuenta sunt, quae a primis sapientibus fuerunt ignorata. Et tametsi haec ita sint, tamen quoniam philosophus vnus omnia quasi profitetur, & id adsequi omnes sunt moliti, vt omnia cognoscerent & traderent: cur non nobis idem, quod illis, concessum sit? aut cur nos minus, quam illi, possimus adipisci industria? an libri nobis desunt? an otium? an stipendia, aut facultates? an denique ingenium? quo si cedimus veteribus, magis id fit corruptela disciplinae, & ignauia nostra, quam naturae facultate, cuius bonitas non minus dei donum, & beneficium est, quam frugum atque annonae. Protulerunt sane aetates, altae aliis, & plures, & acutiores, & doctiores homines, vt anni etiam alii ab aliis superantur fertilitate: & habeant Arabes plures ingeniosos viros, quam Germania habeat: non tamen idcirco dei tollenda est benignitas, qui humanae mentis est illuminator. Omne enim ingenii lumen a deo proficiscitur.

Ita-

Itaque fuerint doctae Athenae, & floruerint ibi poetae, mathematici, philosophi, non tamen semper floruerunt eodem modo: neque nobis idcirco negatum est, quia illis istud ante nos concessum fuit, & monumenta litterarum nobis reliquerunt, quae nos docent, quot res, & quantas illi doctrina complexi sint, easque intelligunt homines eruditi, & quantum primis additum a posterioribus, & quantum posterioribus adiungi a nobis possit. Sunt, qui considerant, & qui animaduertunt, qua via ad hanc facultatem perueniatur. Sed σάυτε δὺ ἐξχομένω, vt ille ait, συζητήσεως opus est: & vt ille ait, in re mala, ita nos in bona loquamur, tradendae nobis operae sunt mutuae, vt si singuli omnia adsequi non possumus perfecte; tamen adsequamur mediocriter singuli singula, certa vero vnusquisque pro suo ingenio excolat: cetera, quoad poterit, attingat, & ex aliis suis collegis cognoscat, vt, quod singuli non habeant, id possideant vniuersi. Quamobrem si vos velitis auctores mihi, & collegis meis esse, vos efficere possetis, vt artium & librorum, quos legamus, inter nos distributionem instituamus, vt paucis annis, non in libris, atque bibliothecis, sed in mente atque memoria, omnia inter nos & diuisa: & cognita & adquisita possideamus, quae quidem veterum libris sunt conseruata. Partiantur igitur inter se theologi auctores, quos domi legant, siue graeci illi sint, vt ecclesiastici sunt historici, vt *Chrysostomus*, vt *Basilius*, vt *Nazianzenus*, ceteriique siue latini, vt *Tertullianus*, *Lactantius*, *Cyprianus*, *Hieronymus*, *Augustinus*.

Idem faciant in suis scriptoribus mathematici, & physici. Ego ad dicendi praecepta, & ad Ciceronem atque Demosthenem, libenter hoc anno adponam Platonis & Aristotelis libros de republica, & de legibus, & quae illi de moribus tradiderunt.

runt. Idem alii elaborent in hiſtoricis, & poetis, vt his inſtructi, in congreſſionibus & ſermonibus quotidianis, in disputationibus, & ſcholis, in declamationibus rhetoricis, aperiant, quot & quantas res mens humana adipisci poſſit, ſi conetur, & ſi rectam rationem & viam ingrediatur, quantos queat progreſſus facere animus hominis, communicatis ſtudiis, diſtributis laboribus, diſtinctis horarum ſpatiis, ratione denique ac via modoque bono.

IHI. LAVRENTIO TVPPIO

Doctori Iureconſulto.

CRedo & tibi permoleſtum eſſe, toties inſtitutiones Iuſtiniani imperatoris repetere, & iis, qui te audiunt, iniucundum, nihil abs te praeter inſtitutiones cognoscere. Atque etiam obſicit laudibus academiae noſtrae, tam paucos nos in noſtro gymnaſio iuris habere interpretes. Scio, ſic a maioribus noſtris conſtitutum fuiſſe, & idem retinuiſſe, niſi vnum habere legum explicatorem, & creditum ab illis fuiſſe, iuris ſtudioſos diſſolutiores eſſe, quam ſint reliqui discipuli, qui bonis litteris & theologiae praecipue operam nauant.

Ac tametſi in ceteris academiis aliqui petulantius vitam inſtituunt, qui hoc ſtudium colunt, quanquam quid dico colunt? non colunt, qui viuunt turpiter, ſed violant vitiis, & vnum ex primis huius doctrinae praeceptis negligunt: vbi enim illud eſt? *honeſte viuere*: tametſi igitur aliqui ſint, qui viuunt petulantius; tamen hos poſſumus nos noſtris legibus coercere. Et vſu comperimus, paucitate horarum non ſolum adoleſcentes, ſed paedagogos etiam ipſos otio vel deprauari, vel languescere, vt ante a nobis discedant, quam vtrisque expediat: taceo, quod etiam ciuium noſtrorum liberis haec paucitas, quae inopiae conſimilis eſt, noceat.

Ita-

Itaque, si meum consilium locum haberet, suaderem, vt tu cum Beuthero, & Hugone Blotio, & Wilueshemio, pandectas partiaris, vt reliquis academiis etiam hac parte philosophiae componi possimus.

Iuris vestri fontes habetis in philosophorum libris de republica, & de moribus, qui libri posthac diligenter in nostris scholis explicabuntur. Praeclare facietis, si & vos vestros riuos ad suam reducatis originem, & illi ex suis fontibus ad vos riuos suos deriuent.

Hac via, & ratione hac, & iucundius euaderet iurisprudentiae studium, & labor esset facilior; & plenior fieret legum doctrina.

Vt enim fontium amoenior est adspectus, & sapor suauior, quam riuorum, & vt pisciculi in illis riuulis, qui e fontibus demanant, sunt salubriores atque delicatiores; vt sunt salares, & muraenulae nostrates; sic suam & discunt hanc artem maiore cum voluptate, philosophorum praeceptis imbuti, & sanius adferunt ad controuersias distrahendas iudicium: idque minore labore, & faciliore contentione, propter dialecticorum rationes, quas tradunt philosophi, & quas sequuntur in morum atque legum disciplina. Et quid quaeso causae est? quod iuris vestri capita vsque adeo mutilata sunt? nisi quod πραγματικοὶ magis fuerunt, quam ἐπιστημονικοὶ & cum in singulis occupati essent, neque intueri potuerunt res vniuersas, neque vniuersam rem in partes diuidere, quas quoniam ignorarunt, & philosophorum fontes non gustarunt, stagnis suis contenti, fructuosis quidem suo genere piscium, opes potius atque facultates comparare, quam sapientiam atque doctrinam perfectam excolere voluerunt. Nam quod Cicero vel Crassus apud Ciceronem, sermone primo *de oratore*, paucis mensibus iuris sapientiam pol-

pollicetur; non potuisset istud profiteri, nisi his artibus philosophorum atque dialecticorum fuisset institutus. Haec habui, quae in hoc tempore tibi pro nostra necessitudine scriberem, tu, si quid melius habeas, vt Horatius ait, candidus imperti, si non, his vtere mecum.

V.

Doctori

MICHAELI BEVTHERO.

DAsipodio exponam meam sententiam, de tribus nostrae academiae voluminibus, quibus contineatur vniuersa mathematicorum doctrina, vt iis perceptis, quiuis possit & discere priuatim, & docere publice, quae sunt reliqua. Statui autem, vtile fore nostro instituto, vt duo prima volumina in duabus explicentur superioribus curiis, tertium publice omnibus explanetur, Et haec ratio quoniam vobis heri extra ordinem in vestro consilio comprobata est, rursus ego certe adprobo, & vt felix ea sanctaque sit nostris ciuibus, atque etiam exteris nationibus, opto.

Sentio autem primo volumine comprehendenda esse quatuor artium principia, geometriae, logisticae, astronomiae, geographiae. Principia vero στοιχεῖα ea voco prima, quae traduntur ante problemata, & theoremata, vt sunt definitiones, partitiones, axiomata, aetemata, quibus scilicet principiis insequentia probantur, ac demonstrantur propositа: siue ad efficiendum aliquid directa illa sint, siue ad intelligendum.

In secundo vero opere, doctrina tradetur maior logistices, & regulae comprehendentur logistices cum quotidianae, tum illius, quae astronomica a vobis nominatur. Plenior etiam doctrina Astronomiae, de primo motore globi, & coeli motu, de terrae situ, de coelestibus circulis, de ortu & occasu siderum, de dierum atque noctium dif-

differentia, zonarum, & climatum descriptiones, explicatio etiam aliqua de solis defectionibus, non vt haec demonstrentur more vestro mathematicorum, sed vt, quae sint, & qualia exsistant, agnoscantur. Nam & nos scimus discrimen illud vestrum τῦ ὅλι, καὶ τῦ διόλι.

Iam tertium volumen complecti debet horum omnium ἀποδεικτικὴν explicationem, & ἀναλύσεις sex librorum Euclidis, & confirmationes logisticarum praeceptionum & Gebranum κανόνα, etiam astronomicas conclusiones primi motoris, & Theoricas expositiones planetarum. Et quanquam haec tria sunt volumina, non tamen idcirco ternas singulis oportet impendere horas, sed singulas, sunt enim ingenia tribus distincta locis: primae & secundae curiae, & publico auditorio: concedes enim mihi, Beuthere, vt in nostro instituto, verbo mihi Quintiliani & Plinii vti liceat. Ergo & classicis ipsis spatium datum est, ad reliquas scholas, quas dicendi & differendi ratio requirit, & qui publici vocantur, vna hac occupati, tres poterunt & amplius reliquas horas in aliis studiis adiungere, quarum diligens habenda ratio est, & distinguenda sunt ea, quae cognoscuntur quotidie, ab illis, ad quae paucis horis fit digressio. Quotidie enim, si fieri poterit, doceri debent ethica, & physica, & dialectica Aristotelis: at satis est, te binas horas dare duobus tuis globis, vni astronomorum, alteri geographorum.

Sed ego classes, quas vocamus, cupio quam litteratissimas esse. In his enim fundamenta ponuntur architecturae nostrae, in his nostrae agriculturae seminaria: ex his ad publica subsellia adscendunt, qui nobis, qui publici vocamur, praescribunt, quantas res scire, & quomodo eas docere debeamus. Nam qui frequentia delectatur eorum, qui audiunt, qui eos iuuare & docere volunt; eos opor-

oportet excellentius aliquid facere, quam in classibus perceperint.

Et quantum ad mathematicorum doctrinam attinet, satis instructi sumus a Dasipodio, te praesertim adiutore, quorum vterque haec praeclare tradere potest, & vterque studiosi estis linguarum, & cupidi elegantiae litterarum, & inimici impuritatis, & hostes barbariei, & vterque academiae nostrae vultis & caussam, & amplificationem, & laudem perpetuam. Non enim iis, qui viuunt, prodesse volumus; sed posteris etiam nostris, quod diuturnum & perpetuum sit, tradere. Vale mi Beuthere.

VI.

CONRADO DASYPODIO

Mathematico.

MEmini in quadam epistola ad Capitonem, theologum olim vrbis nostrae, Martinum Lutherum scribere, ex omnibus scriptis suis, nullum esse, quod sibi probetur, praeter catechesin suam, & alterum quoddam, quod nominare non volo, propter infesta, & pernicioſa nostro tempore ecclesiarum dissidia.

Sanctissima apud me est Lutheri memoria: itaque libenter vtor eius quasi auctoritate; & nihil esse aio in hac constitutione academiae nostrae, quod mihi magis placeat, quam primordia ipsa, quae in libro, quem ante annos triginta duos *de litterarum ludis recte aperiendis* edidi, adparent: & renouata sunt in classicis a me epistolis.

Ac certe si interroger, si alterutro carendum sit, vtrum classicam illam rationem mallem aboleri, an ab hac academiae constitutione recedere; malim id retinere, quod annos iam triginta, ab omnibus & adprobatum & laudatum exstitit.

Nam tametsi propter eas artes, quae λογικαὶ nominantur, classes potissimum institutae sunt; tamen

tamen haec ipsa facultas sermonis, tum puri, tum veri, tum diserti ita traditur in hisce ordinibus, vt etiam reliquarum scientiarum condoceantur principia, atque praecepta intelligantur: praesertim cum ea, quae eximia sunt apud poetas & oratores & historicos, quos classici interpretantur, ex philosophorum sint deducta riuulis.

Sed praeclara tamen accessio est ad vetus facta institutum, nouo Maximiliani, Caesaris Augusti beneficio, quod si Iacobo Sturmio praetore, aliisque etiam praetoribus atque consulibus theologisque, quorum magna per totam Europam auctoritas erat, obtineri potuisset, perfectam iam, quam nunc quaerimus, haberemus academiae constitutionem.

At ita haec instituenda est, vt ne classium puritas negligatur, & vt nil his ipsis auferatur eorum omnium, quae inde ab initio huc vsque sunt professae.

Primum igitur abs te contendo, vt principia mathematicorum in hisce curiis supremis duabus doceantur, duobus illis, de quibus inter nos locuti fuimus, voluminibus: quorum alterum abs te habemus, quod secundae curiae erit: alterum a te etiam exspectamus & primae curiae conficiendum, vt ii, qui ex primo ordine progredientur, quod reliquum est, in hisce studiis, biennio comparare & absoluere possint.

Atque hisce principiis Euclidis primum librum addo, vt in libro *de litterarum ludis* traditur. Nam quoniam ἀποδεικτικὴ explicatur in prima tribu, cur non Euclidis hic primus liber? qui solus omnium eorum, quae in hac logicae parte docentur, exempla continet: & nihil est, quod doctrinas magis obscuret, quam exemplorum inopia, immo absque hisce elementis ea, quae ἀποδεικτικὴ dicitur, percipi non queat.

Vnum igitur iſtud eſt, quod claſſibus adimi nolim, immo quod adiungi velim, vt & amplius aliquid explicetur, & omnia dilucide intelligantur, quae in hac gymnaſii noſtri parte ſunt cognoscenda.

Alterum eſt, vt ne acceſſione mathematices, puritas ſermonis latini corrumpatur. Habent enim omnes ſcientiae ſua propria rerum vocabula, quae aut non in graecis recte intellecta aut barbare conuerſa, vt malum fermentum, farinam totam, quae fermentanda ad ſanitatem & voluptatem eſt, corrumpit contra valetudinem ad faſtidium; ſic haec linguam contaminant, & ſermonem purum vitiant.

At quid quaeſo laudis habuit tot iam annis ludus noſter? quam disciplinae in moribus, & elegantiae in loquendo atque ſcribendo?

Placet igitur mihi facere te, quod facere inſtituiſti, & exponere *Procli* ſphaeram, & quae in *Sacrobuſtani* ſphaera vtilia ſunt, & a Proclo non adnotata, ea ex graecis ſcriptoribus arceſſas; ſed Graecis retentis, aut etiam ſeorſim in fine libri purius, quam in Sacrobuſtiano tradita ſunt, conuerſis: cuiusmodi auctores eſſe ſcis *Ptolomaeum*, *Achillem Statium*, *Proclum* etiam ipſum & *Cleomedem* & *Hipparchum*, *Bithynium* & *Euclidis* Phaenomena, & ſphaerica *Theodoſii*. Non pauca etiam *Theon* ſuppeditabit, quos ſcriptores ſcio te omnes habere. Verum iſta omnia bona ratione & modo, vt ne magnitudo, aut confuſio fatiget animos discipulorum. Breuitas enim in multis & variis adplicari deſiderat, & in hac varietate Horatianum illud tenendum eſt,

Quidquid praecipies, eſto breuis, vt cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles,
Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat.

Vt enim quidquid pleno vrceo infunditur aquae, id defluit; ſic etiam, quidquid in docendo ſuperfluum eſt, memoriam fugit, quae ſeſe in breuitate reficit, atque oblectat.

Sed

Sed vt haec adsequaris, atque efficias, horarum requiritur descriptio, de qua inter nos differemus. Et placet mihi, vt sex horas singulis consumas hebdomadibus; binas in secunda tribu in volumine primo; totidem etiam in prima & altero volumine; in tertio opere publice doceas binis etiam horis. Προγνωστικὴν etiam, quam προρρητικὴν vocat Laertius, vtile videtur, extra ordinem priuatim te tradere, vt prouoces acutiora ingenia ad amorem harum disciplinarum: id quod Philippum Melanchthonem factitasse animaduerto. Velim autem ignoscere te mihi, quod plus tibi imponam oneris, quam tu mercedis adsequaris. Nam istud nobis omnibus faciendum est: vt plus laboris suscipiamus, quam superior requirebat consuetudo. Tribui vero tibi semper laudem industriae & diligentiae, quam nobis, quamdiu prorector fuisti, multis indiciis comprobasti. Vale. Argentorati, 69.

VII.

CONRADO DASYPODIO.

QVaeris ex me, Dasypodi, quem ego esse putem magistrum philosophiae, & quem hominem dignum tali & tanto nomine. Magnum enim certe nomen est, & longe glorioſius, quam ipsum philosophi vocabulum: qui cum studium sapientiae sibi vendicat, sapientiam veretur sibi arrogare. Eum enim magistrum philosophiae esse statuo, si verbum consideres, qui omnia quae philosophus scire auet, siue illae res diuinae sint, siue humanae, omnes inquam has res cognouit, & didicit, scit & docere potest. Nosti illam vocem euangelicae sapientiae, σὺ εἶ διδάσκαλος τῷ ἰσραὴλ καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις. Iesus Christus sempiterna patris sapientia atque imago, quoniam se magistrium cognominare voluit; Nicodemus rei

inuisae & inauditae plerisque omnibus hominibus cognitionem in ipso magistro requisiuit, hominum παλιγγενεσίαν, cuius Pythagoras philosophus nomen inuenit, rem ipsam & causſam ignorauit, immo ne cogitauit quidem. Omnia requirit, qui summa efflagitat.

Sed hanc ego perfectionem atque consummationem sapientiae optandam potius esse credo, quam praescribendam nostris hominibus. Mediocritate contentus non perfecta doctrina, sed studio & viribus hanc facultatem metior, & eum magistrum artium atque doctrinarum esse statuo: qui ea, quae philosophi inuenerunt, atque suis monumentis litterarum nobis communicarunt, si ea adsecutus est, docere potest: sin minus, tamen potest per se cognoscere & alios docere. Διδάσκαλον enim Graeci vocant, hoc est, doctorem, qui qualis sit, absque discipulo intelligi, non potest: cum tamen μάθησις atque διδασκαλία eiusdem sint & hominis & potestatis. Perfectam habent prope scientiam ii, qui mathematici vocantur, & tamen nemo illorum in quadrum potuit adhuc redigere circulum, & Archimedes ignorabat id, quod quaerebat, antequam diceret, ἕυρηκα. An idcirco tum non mathematicus? nequaquam; erat enim summus & prope perfectus: satis enim erat potuisse inuenire. Ante Socratem omnes philosophorum familiae ignorabant doctrinam de moribus, quae multas & magnas sub se artes continet. Complectitur enim non solum, quae traduntur de moribus hominum atque virtutibus verum etiam ciuitatum, quam πολιτικὴν nominant, in qua etiam est ἡ νομικὴ, iurisconsultorum doctrina, & οἰκονομικὴ, singulorum hominum rei familiaris administratio.

Et quamquam haec omnia ante Socratem explicata non erant, tamen omnes philosophos sese ad-

pella-

pellari non recuſabant. An idcirco ergo non philoſophi? minime: ſemper enim discendum aliquid eſt. Annos ego iam quadraginta & amplius doceo artes dicendi, & hoc ſexageſimo tertio aetatis meae anno, quotidie aliquid in his artibus obſeruo & annoto, quae antea a me fuerant praeterita. Concedamus igitur ſtultitiae hominum magiſtri tamquam honoris vocabulum, vt ſtatuant plus philoſophum, quam philoſophiae magiſtrum profiteri, & ſtudio & diligentia vehementi & facultate atque doctrina mediocri, magiſtri officium deſcribamus & eum eſſe proponamus, qui ex ſcholis grammaticorum adfert ſermonem purum atque dilucidum, ex disceptationibus dialecticorum differendi praecepta Ariſtotelis organo explicata, ex rhetorum vero officina ſermonis ornati, & apti doctrinam & ſcribendi atque dicendi aliquam facultatem.

Ad haec teneat ea, quae tribus voluminibus, in noſtro gymnaſio & a te complexa ſunt. Hunc inquam, decerno, ſatis inſtructum eſſe a philoſophiae adparatu: vt quae neceſſaria ſunt, & tradita a mathematicis atque philoſophis, & legendo atque cogitando discere queat: & dicendo explicare, & eumdem ad hoc cognomentum, hunc ad iſtum honoris gradum, admittendum eſſe ſentio. Sed omittenda non ſunt, quae ſunt praecipua, & propria Socraticorum de ethicis loquor, & politicis atque oeconomicis, de quibus modo dictum eſt vna cum phyſicis Ariſtotelis, definitionibus, partitionibus, ceterisque huius generis, quae ad naturam pertinent, cui muneri Bruno noſter praepoſitus: quem ita confido explicaturum Ariſtotelem, vt adolescentes neceſſaria memoria cuſtodiant, controuerſa intelligant; ſed ita, vt quibus rationibus falſa refutata ab hoc auctore ſint cum voluptate animaduertant: quorum cognitio & diſtinctio, & diges-

tio ex fallaciis ſophiſtarum Ariſtotelis noſtri ſumenda eſt. Nam absque huius fucoſae artis obſeruatione, nihil Ariſtotelicis disceptationibus poſſit eſſe magis infrugiferum: nihil faſtidioſum magis. Haec inquam vel didiciſſe, vel per ſe poſſe quotidie discere perfectius, magiſtri philoſophiae eſſe ſtatuo facultatem atque officium. Sed vtilior futurus hic doctor erit hominum ſocietati, ſi ea, quae didicerit, doceat. Eſt enim quidem ſcientiae & doctrinae didiciſſe, ſed eſt virtutis atque officii explicare. Non enim θεωρητικὸν ſolum noſtrae academicae ſcholae requirunt, ſed πρακτικὸν etiam efflagitant, qui labor a discipulo ſuscipitur discendo: ſed docendo a praeceptore explicatur.

EXAMINATORIBVS.

AVdio heri relatum ad veſtrum conſilium eſſe de probatione eorum, qui lauri baccis donandi ſunt, de quibus nihil certi decerni poterit, niſi cognoscatur, quarum rerum philoſophiae magiſter ſeſe doctorem eſſe profiteatur: de cuius officio ego heri ad Conradum Daſypodium ſcripſi: in qua epiſtola haec mea eſt ſententia, vt qui eas res omnes, quas philoſophia traditas habemus aut teneat intelligendo, aut tantum teneat, quantum ad cetereas per ſe percipiendas absque doctore ſit ſatis, docere eas poſſit. Nemo enim exſtitit vmquam, qui ſciret omnia. Discendo ſenescimus, & quo quis plus quam ceteri induſtria adſequitur; eo doctior illis habetur atque perfectior. Ac vos certe, qui examinatores vocamini, quaſi quaeſitores & probatores ingeniorum, non minimum onus veſtris mihi humeris ſuſtinere videmini.

Neque enim tum demum veſtrum initium ſumit officium cum progreſſiones faciendae ſunt, & illae ſunt in exſpectatione propter autumnum, ſed inde ab initio anni, vna cum magiſtrorum, qui docent, fide, & eorum, qui hos audiunt, adolescentum indus-

induſtria, neceſſe eſt explicari. Veſtrum enim eſt ſcire, quas res doceant magiſtri, & quibus eas rationibus explicent, ſiue perpetua oratione eas tradant, ſiue interrogationibus explorent.

Tum etiam ingenia vobis discipulorum & facultates ſuis ſunt ponderanda momentis, vt antequã honos cuique ordine tribuatur, & priusquam quaerere atque interrogare incipiatis, quid vobis pronunciandum ſit, quaſi diligentiae & artificis ſtatera ſit examinatum.

Atque apes quidem examina ſua cum eiiciunt, ſobolem parentes eiiciunt tamquam in nouam coloniam, ipſi vero in ſuis remanent ſedibus. Vobis vero contra faciendum eſt, vt adultiores extrudatis, eorumque in locum ſubſtituatis iuniores, nouamque veluti ſobolem. Illud tamen ſimile in veſtro officio eſt, quod illae eas in alia loca educant, quae nouas ſedes quaerere poſſint & queant mellificare: & cum primum in aluearium nouum ingrediuntur, fauos queant confingere, & ceram conficere, & inter ſeſe diſtinguere domicilii fundamenta, vt ipſa κόμμωσις a πισσοκήρω diſtincta ſit, & hoc a propolide ſit ſeparatum, immo vt rempublicam conſtituant: ſecum regem educant, & duces atque conſilia deſcribant: quam disciplinam ſecum deportant a parentibus atque e patria quaſi in nouam orbis terrae regionem, in quam etiam cibum ſecum & materiam deferunt, vt ingreſſae in domicilium nouum, ſtatim conclauia aedificent, quae hora vna poſteaquam inuolarunt, nidolis diſtincta poſſunt conſpici.

Sic quos vos probabitis, & quos baccata corona donabitis, neceſſe eſt, vt ſecum adportent ad gradum ſuperiorem, quibus adiuuentur ad coaedificandum ſapientiae templa, in quibus aliquando omnia queant diuina atque humana contemplari.

Itaque in his ſermonem primum purum & la-

tinum atque perſpicuum requiretis, quem acceperunt a grammaticis; deinde ornatum ex doctrina rhetorum, quam tradit claſſis prima, tum veritatis regulam non popularem trutinam, ſed dialecticorum ſtateram, quam accipiunt duabus ſupremis curiis. His adiungentur duo volumina mathematica, quae vno anno explicari poſſunt ab vno eodemque interprete. Nam tertium volumen iis comparatum eſt, qui ſeſe magiſtros artium adpellari volunt, quod duobus annis exponi poteſt ab eodem, qui duo volumina in ſecunda & prima curia tradit.

Haec ita diſtincta ſunt, vt cum ſenis horis omnia tria explanentur hebdomadibus ſingulis; ſinguli tamen diſcipuli horas duas tantum ſingulis hebdomadibus conſumant nullo labore, ne moleſtia quidem, aut vlla impeditione reliquorum ſtudiorum. Equidem ſi quisquam alius, odi epitomas, praeſertim eas, quae ab auctorum verbis & ordine recedunt. Improbo etiam eos, qui ſcriptores ipſos docent ἐπιτομικῶς & quaſi carptim. Auctoritates enim & praecepta ſuis debent auctorum verbis tradi & ſenſum totum & rationes omnes continere, quae in auctore ſunt, non ſolum in his mathematicorum doctrinis, verum etiam in disciplina morum & in naturae explicatione. Sed haec tria, de quibus loquor, volumina, nulla in parte ab auctoribus ſuis recedunt, eadem retinetur doctrina, eaedem repetuntur definitiones & partitiones, eadem theoremata atque problemata, iisdem etiam auctorum idque optimorum, idque graecorum verbis atque vocabulis, integris etiam aliquando voluminibus.

Verum redeo ad veſtram probationem, ſi qui ex prima curia ad publicas ſcholas horum duorum voluminum baccas attulerunt, iidem ex his ſeminibus, ſi ſerant: lauros excolere poterunt, perpetuis fructibus, vt nihil difficile illis in tertio futurum ſit,

quo

quo percepto nihil tam obſcurum & reconditum in his ſtudiis eſt, quod non ſuo, vt aiunt, Marte, queant discere atque docere: id quod officium magiſtri eſſe ducimus. Si haec omittantur, quid quaeſo academia noſtra habebit ſingulare? quomodo ad id faſtigium, quod propoſitum a nobis eſt, poterimus vel adſpirare, vel ascendere?

VIII.

IOHANNI REINHARDO

Dialectico.

QVod vobis cnnſilium meum de tribus voluminibus placet mathematicis, vehementer gaudeo. Ita enim futurum video, vt altero anno posteaquam discipuli noſtri ex curiis progreſſi erunt, magiſtri queant adpellari. Nam ſi iſtud in mathematicis adſequemur, cur non idem comparemus in iis artibus, quas λογικὰς vocant?

In prima enim & ſecunda tribu dialecticorum vtilia, & neceſſaria prope omnia praecepta breuiter quidem, ſed tamen perſpicue explicantur. In iis autem non latum digitum declinaui a doctrina Ariſtotelica, ipſum Ariſtotelem & explicatores eius ſecutus, quorum regulas enumeraui potius in locis multis, quam expoſui, verum ita, vt, qui te iam audiunt exponentem analytica, nihil nouum, nihil inauditum, nihil non ratione aliqua praecognitum recognoscant. Sed vt in mathematicis, ſic etiam in rhetoricis, & dialecticis praeceptis duos eſſe oportet: qui has artes doceant. Atque in rhetoricis Erythraeum & me habent ſcholae noſtrae, tu ſocio & adiutore cares. Hertelium enim nobis podagra continens, doctiſſimum ceteroquin virum & vtiliſſimum, dum valuit, gymnaſio noſtro hominem domi detinet, vt alius nobis quaerendus ſit, niſi ſcholarchae nobis Speccerum reddant; id quod video obtineri non poſſe, propter quotidianas in eccleſia occupationes. Meum conſilium ſi locum

haberet, ſuaderem, vt Theophilum Golium adiungerent; & alius quaereretur, cui prima curia committeretur; reliqui ordine ad ſuperiores tribus adſcenderent: id quod minori ſtipendio fieri poſſit, & omnium eorum, qui ſuccederent, gaudio atque laetitia.

Si hic analytica priora demonſtraret, & tu poſteriora explicares; a te acciperemus quotannis, qui magiſtri atque doctores dialectici dici, & haberi, & eſſe poſſent: ſin obtineri non queat, id quod non puto; duplicandum tempus eſſet, & protrahendum curriculum ſtudiorum: id quod aliis moram, dialecticis faſtidium, omnibus ſumtus atque impenſas maiores pareret, & aerarium academiae non paruum detrimentum faceret.

De modo docendi, & de explicandi elegantia non eſt, quod te moneam: noſti optimum docendi modum eſſe poſitum in explicandis verbis ariſtotelicis, in exemplis, tum in demonſtrationibus mathematicorum, tum in dialecticis concluſionibus ethicorum, quorum magnam copiam Plato noſter ſuppeditabit. Philippus Melanchthon, quem honoris cauſſa nomino, cum alia multa ſcripſit praeclare, tum in exemplorum explicatione & acutus fuit, & perſpicuus: quos tu libros discipulis commendabis, vt domi legant: non enim explicatorem maximopere requirunt, lectore contenti diligentiore.

Quid de elegantia tibi ſcribam? aeque enim atque ego perſpicuitatem amas, & puritatem ſectaris, & ornatum quaeris, &, quod aptum atque decorum eſt, in dicendo requiris.

Duae enim ſunt res, propter quas ſcholae noſtrae multos iam annos maxime laudantur, disciplinae grauitas & eloquentiae ſtudium: quorum vtrumque niſi retineamus, actum eſt, & eam, quam inuenimus, ſuperioribus annis, laudem nouo iſto inſtituto amitteremus.

Sed

Sed ſi & has retinebimus & adiungemus iſta academica & nos ad vetera Athenienſium referemus gymnaſia, niſi inuidioſum eſſet; libenter dicerem, magnum nos aliquod & eximium & ſingulare ciuitati noſtrae ornamentum cum omnium bonorum comprobatione poſſemus adipisci.

VIIII.

VALENTINO ERYTHRAEO

Rhetori.

SAepe animaduerti eorum, qui publice in noſtris ſcholis docent, & poetas aut hiſtoricos aut oratores explicant, arduum & difficile munus eſſe; & ſaepe admiratus ſum, cur in claſſibus maior ſit frequentia, quam in publicis rhetorum & poetarum ſcholis, immo ſaepe in hisce profeſſores earum deſtituantur auditoribus. Animaduerti autem, vnam eſſe cauſſam, quod in curiis, quas vocamus etiam inuiti retineantur diſciplinae neceſſitudine & temporis atque tribuum deſcriptione. Alteram vero quod in his ipſis locis inferioribus ſcriptores exponantur omnis generis.

Nam & poetas habent, *Homerum*, *Pindarum*, *Sophoclem*, *Euripidem*, graecos, praeter latinos *Vergilium*, & *Horatium* & hiſtorici ibi exponuntur vtriusque linguae, *Demoſthenis* vero & *Ciceronis* monumenta praecipua. Itaque ad liberas noſtras ſcholas progreſſi & res ſecum adferunt, & omne genus verborum, ſi non aliquid a nobis cognoscant, quod nouum ſit, atque inauditum, dilabuntur & vel delabuntur ad alios, qui res nouas docent, vt iureconſulti ſunt, quos hucusque pauces habuimus, vel propter horum paucitatem otio ſeſe dedunt, & otio pereunt. Ac reliqui quidem praeceptores ſuam poſſunt retinere frequentiam, vt hi ipſi iureconſulti, quos ſpero nos habituros plures, & ethici explicatores, & phyſici, & reliqui mathematici, propter quos non viſas merces habent: nos vero eas dem

asdem proponimus, quas nisi aliter exornemus, quam in curiis classicis, actum sit, eueniunt illa, quae sensimus aliquibus eueniisse, incommoda.

Et certe, qui ex aliis locis ad nos venerunt, hac in parte valde laborarunt: & pauci frequentiam retinuerunt, nos adhuc consistimus, fortassis, quod διαλεκτικώτερον aliquid & ῥητορικώτερον adferamus.

Ego semper animaduerti, discipulos nostros breuibus partitionibus in singulis orationis partibus, & in vnoquoque genere argumentorum digestione delectari, & voluptatem capere ex comparationibus exemplorum, plurimum etiam adferre ad delectationem, si sententiarum genera ad suam reuocentur originem, & illa, quae docent, ab aliis, quae aut concilient aut flectant, separentur, & Democraticae ab Aristocraticis regiis distinguantur: inprimis vero harum expolitio placet, praesertim si praemonstremus, quibus in rerum generibus similis debeat & possit adhiberi & ordo & ornatus, qua in re Hermogenes quidem nos adiuuat, sed subtiliter: Cicero vero copiose & cum ornatu, ex quo etiam eorum, quae ab eodem praecipiuntur, exempla capimus. Quid enim ornatius, quid plenius, quam *tres libri de oratore*? quam orator perfectus? quam *de claris oratoribus?* quibus ego me imbutum & eruditum libenter confiteor. Sed dum aliquid excellentius nos facere oportet, quam in curiis faciant: interea non nobis nimium debemus magna polliceri de nostrorum discipulorum ingeniis, atque doctrina.

Nuper enim orationem Milonianam explicans, sensi eruditiores etiam aliquot illa ἀναλύσει oblectari. Cum enim exordii partem priorem quatuor generibus personarum dissoluissem, Ciceronis, Pompeii amicorum, &, vt Plautus ait, fauitorum, & Clodianorum, vt posteriorem partem tribuissem κατασκάσει, quae praecipuos complecti-

plectitur ſtatus & plane τεχνικῶς mediocriter ſtabam hac diſtinctione. Sed quae ſequebantur, ſenſi probari magis, indicabam aditum ad ipſam refutationem. Sed antequam ad eam orationem venio, proponebam Clodianum κεφάλαιον.

Negant, intueri lucem eſſe fas ei, hinc addebam Ciceronis ἀντιπροβολὴν, in qua tandem vrbe, oſtendi poſt genus ipſum refutationis, cuius argumentationem in duas digeſſi capitum formas: quarum vna eſt παραδειγματικὴ conſimilis philoſophorum ἐπαγωγῇ, & ſex enumeraui auctoritates atque exempla, & illorum monſtraui συνέχειαν, quae eſt collocationis. Hoc demonſtrato genere perbreui: ad alterum, quod θετικὸν atque συλλογιſτικὸν & primam illam propoſitionem, quam dialectici vocant τὸν μείζω, tranſii. Atque ſi tempus eſt vllum, & hanc indicaui conformi exemplo adolescentis militis, & quum iſtud exemplum a ſuperioribus differret, non praeterii. Inde ad illam ἐλάττω veni, illiusque adprobationem. Inſidiatori vero & latroni, tum ad illam concinnam ἐξεργασίαν vtriusque propoſitionis, *Eſt enim haec iudices, non ſcripta, ſed nata lex.* Deinde breuem illam ἀπόδοσιν ſubdidi de legislatoris ſententia: poſtremo concluſione abſolui hunc locum, quapropter hoc maneat in cauſſa iudices. Cum viderent, quomodo ratio vna aduerſarii duplici contraria ratione refutata eſſet & anima duerſa collocatione ſingulorum, & adnotatis generibus, verborum, illorumque ornamentis, ſimul obſeruatis ſententiarum acumine, earumque inſignibus & ſimilibus breuiter notatis a me virtutibus, & vſu praemonſtrato quam late pateat, & ad quas quotue res haec forma queat adplicari; videbatur mihi ipſos videre, quantum Cicero ab aliis differat ſcriptoribus,

ribus, quantum esset discrimen inter forense dicendi genus, & philosophorum aut historicorum.

Ignosces mihi, quod haec ego ad te veteranum militem, & veganium prope senem, prospicientem Herculis postem, nondum tamen ducentem ilia, sed ferocem adhuc frenis equum, & frena mandentem. Scribo autem vel quod delectent me adhuc ista primae aetatis meae προγυμνάσματα, vel quod putem, profutura ista suo exemplo: vt si ego senex ista non negligam, cogitent, qui me aetate sequuntur, nihil dedecere in omni aetate, quod iuuentuti aliquo modo prodesse potest, & pertinet ad vitae atque muneris officium.

X.

IOHANNI BRVNONI

physico.

IN physicis non dubito, quin, si velis, possis praeclaram operam nauare: velle autem te scio, cum vt patriae prosis, & praefectorum exspectationi satisfacias, & meis votis respondeas, cui scis scholas nostras esse carissimas; tum inprimis vero, vt existimationem de te doctrinaque tua nostram & omnium hominum non solum confirmes, sed etiam amplifices ad memoriam sempiternam. De facultate tua nullum etiam nobis dubium est, qui & tuapte natura es, & semper fuisti diligentissimus & studiosissimus harum artium, & Witembergae doctores habuisti, posteaquam a nobis profectus ad eas partes fueras: Witembergae inquam & in Italia homines litteratissimos & eruditissimos, inprimis vero Cardanum virum, iam in omni philosophia, tum praecipue in shisce tuis studiis exercitatissimum, cuius familiaritas, vt saepe sensi, te solet etiam in his remotissimis ab eo locis delectare. Sed tamen in hac tua voluntate & industria & facultate arduum & difficile munus sustines, dum Aristotelis doctrinas profiteris & explicas. Nam tametsi hic

auctor

auctor optima via & ratione doceat, & fit, vt nunc loquimur, prae ceteris ſcriptoribus omnium temporum methodicus, tamen, quoniam illius copia ad breuitatem contracta eſt, ex ſcriptore perſpicuo, obſcurus effectus eſt, & cum doctrina omnis non tam exponatur copioſe, quam enumeretur conciſe; reddita eſt ſubtilior, quae ſubtilitas peperit tenebras, quibus intelligentia impeditur, & fatigatur memoria, niſi artificem nacta ſit, qui omnem difficultatem depellat, noua aliqua voluptate, quam ego quatuor in rebus poſitam eſſe puto, & arbitror, te etiam animaduertere.

Earum rerum prima ratio eſt, vt verborum vis intelligatur, & retineatur in omni explicatione: in qua ego ita ſoleo eſſe ſollicitus, vt vel ab Ariſtotele non ſoleam discedere, vel vltra Themiſtii paraphraſim procedere.

Altera ratio eſt poſita in ipſis exordiis disputationum, quas rhetores in ſuis cauſſis κατασκάσεις nominant, problemata, inquam totius futurae disceptationis. Hae ſi ita demonſtrentur, vt ordo animaduertatur, perfectio intelligatur, res ipſae videantur, omniaque ad memoriam in extrema parte ſcholarum reuocentur; tolletur difficultas, discutientur tenebrae, fiet onus leuiſſimum, quod antequam intelligebantur, grauiſſimum viſum eſt.

Tertia ratio eſt, in refutationibus contrariarum opinionum, quas oſtendit eſſe, aut falſas eſſe, aut res earum effici fieriue, aut eſſe non poſſe, earum ſcilicet, vt dialectici & phyſici vocant τὸ ἀδύνατον.

Hic ſuaue eſt ex praeceptore intelligere cauſſas erroris ex ſophiſticis elenchis, & veritatem earum rationum, quas contra in medium attulit Ariſtoteles. Sed hic cauenda prolixitas eſt, & nihil eſt, quod huc maius lumen adferat, quam breuitas, quae ſita eſt tum in expoſitione eius, qui docet; tum etiam interrogatione. Non enim in hac phi-

philoſophia perpetua oratio ſemper vtilis eſt, ſaepe animus interrogando & excitandus eſt & docendus.

Quartum eſt in Ariſtotelis doctrina demonſtranda: nam ſuperiora ἀναστευαστικὰ ſunt; haec vero κατασκευὴν requirunt, & confirmationem deſiderant argumentationum, & indicationem ordinis: in quo definitiones & partitiones, & quae ex his deducuntur problemata, & theoremata continentur, in quorum tractatione, quoniam in dubiis generibus argumentationum verſatur, quarum vna eſt συλλογισμῶν, altera ἐπαγωγῶν: ſaepe haec aliqua copia illuſtranda ſunt, vt ſingulorum & partes & collocatio & numerus teneatur. Sed quid ego hasce aues ad tuam bibliothecam Athenasque tuas? non enim haec ſcribo, vt te doceam, ſed vt videas, me etiam aliquando philoſophari, & vt omnes intelligant, quae docendi ratio in hac noſtra noua academia ſit propoſita.

XI.

HVGONI BLOTIO

iureconſulto, doctori ethico.

QVod heri mihi dixiſti, Bloti, moleſtum eſſe iis, qui te audiunt, primum quod a quinto Aristotelis libro de moribus initium ſumſeris; deinde quod hora quarta pomeridiana eam doctrinam tradas: vtrumque credo verum & miror, te hac incommoditate gemia, tamen retinere discipulorum frequentiam.

Laetor tamen, quod ita doceas, vt neque tenebrae noctis, neque frigora hiemis quidquam imminuant, vel in te de diligentia, vel in tuis auditoribus de aſſiduitate. Videbaris autem mihi in eodem heſterno ſermone noſtro aliam requirere horarum diſtributionem & locorum diſtinctionem aliam, quam quae inſtituta eſſet. Equidem quem-

admo-

admodum ista in publicis scholis describi & discerni debeant; cum in libro *de litterarum ludis* exposui, tum in *classicis* meis *epistolis*. Et hae *academicae* nostrae aliquid etiam lucis adferunt: sed tibi tamen breuiter meam exponam sententiam. Si horam quisque suam magister postulet, & tamen in eodem loco, in quo etiam reliqui docent, qui publicis scholis praefecti sunt, docere velit; neque multi docere poterunt, neque multa poterunt explicari anno vno. Et istud esset potius suam auctoritatem augere, quam singulorum vtilitatem quaerere. Si omnes velint eamdem sibi dari frequentiam, & auditores eosdem, iniquum postulant, & ingeniorum genera confundunt, atque aeque, vt superiores rem suam quaerunt.

Si vnus arbitretur, annis se duobus posse organum Aristotelis, vt oportet, explicare, aut doctrinam naturae tradere, quemadmodum decet, aut absoluere, vt rei magnitudo requirit disciplinam morum & rerumpublicarum: is mihi rei magnitudinem non videtur recte considerare; sed plus oneris humeris suis imponere, quam vires sustinere & perferre possent.

Cur non in ceteris artibus atque doctrinis eadem queat retineri aut institui ratio, quae in scholis grammaticorum & in classibus? in curiis enim sex iisdem horis docent omnes, ita, vt nullus transili at sua septa, & alterius possessionem occupet aut impediat: & in quarta & tertia curia ita explanantur auctores, vt neuter praeceptorum alteri obsit aut officiat: & in secunda tribu & prima dialectica praecepta absque vlla impeditione traduntur. Ac tametsi puerorum aetas & illius aetatis imbecillitas plures praeceptores & maiorem partitionem laborum requirat; tamen etiam maiores publicarum scholarum doctrinae non vno possunt contentae magistro esse, verumtamen a paucioribus edoceri poterunt. Et sic arbitror, sic etiam, si mea esset auctoritas, statuerem, vt dialectica, rhetorica,

mathemathica, binis quotidie magiſtris annis duobus hisce publicis auſcultationibus explanentur. Hac etiam ratione horas ſatis nobis multas fore puto quotidie ad haec conficienda, ſi vt in claſſibus, bini in ſuo genere ſeperatis in locis, ſed iisdem horis doceant, diſtinctione tamen librorum atque ingeniorum facta, vt faciliora tradantur imbecillioribus, difficiliora peritioribus demonſtrentur.

Vt enim vnus ethica Ariſtotelis annis duobus tota, vt oportet, aut etiam phyſica, aut dialecticum organum vnus doceat, fieri non poteſt: ἐν τοῖς δυνατοῖς officium noſtrum verſatur, ſtultitia eſt ἐν ἀδυνάτοις laborem inſtituere. Sed quoniam horarum ſatis etiam aeſtiuus dies ſuppeditare non poſſit, ſi quisque ſuam velit ſibi vacuam dari; communicandae quaedam horae binis aut ternis ſunt. Cur enim iurisconſulti duo ea hora, qua docent theologi, alter inſtitutiones, alter pandectas non doceat? cur non duo mathematici hora prima, cur non ſecunda duo ethici, & tertia phyſici duo? ſi vt libri diſcriminati ſunt difficultate & facilitate, ita etiam auditores diſtribuantur ingeniis, atque naturis, facultate atque progreſſu ſtudiorum? vt enim non vnus cibus aegroto & ſano, neque vna eſca puero & viro conuenit; ita etiam vna docendi ratio non poteſt doctioribus atq. indoctioribus adgregari. In campo Martio alii magiſtri tironum, alii veteranorũ, alii gladiatorum & pugilum, alii equeſtrium ludorum, & natationes habebant ſuos praemonſtratores; & ſaepius vno die omnes, quam diuerſis ſinguli. Quod in rebus leuioribus fit, id non vel queat vel debeat in difficilioribus retineri? haec officiorum coniunctio, & horarum ſeparatio primum efficeret, vt biennio quisque ſuum munus conſummaret. Deinde confuſio ingeniorum vitaretur, & docti ab indoctis, aut minus eruditi ab eruditioribus ſegregarentur. Tum etiam facilior erit animaduerſio vitiorum, quae cor-

corrigi neceſſum eſt, & virtus ſuas audiret quotidie laudes & disciplina non minor eſſet publicarum ſcholarum, quam in claſſibus eſt; quae nunc publice diſſoluta eſt, confuſa quadam petulantia, atque licentia non ſolum intermiſſis, ſed ſaepe omiſſis auſcultationibus neceſſariis, magno cum contemtu magiſtrorum & ipſorum diſcipulorum pernicie. Denique aptius ageretur cum ſtudiis, ſi quisque ſua, & ſuis & ſua ratione bona traderet. Quamquam non nego, poſſe etiam horis ſeparari eiusdem doctrinae profeſſores & minores phyſicos, cum ethico maiore coniungi, & inferiores ethicos cum ſuperiore phyſico diei hora copulari, vt vtrique, qui diligentiores ſunt, ambos audire queant, ſed ita vt non indoctiores doctioribus immitreantur, & ſeueritas retineatur ordinis atque disciplinae. Haec habui mi Bloti, quae tibi de horarum deſcriptione exponerem, cum quod de ea re priuatim collocuti ſumus, tum quia tu, qui iurisconſultus es, facile potes animaduertere.

Iuſtinianus enim veſter imperator & legislator omnem iurisprudentiae doctrinam, & cognitionem deſcripſit: Iuſtinianeis & pandectariis, ſiue praetoriis, & papianiſtis, & Lytis, & Prolytis, quinque generibus non ſolum discipulorum, ſed etiam profeſſorum. Et velim bibliorum etiam explicationes hoc modo diſtribui & euangeliſtas ab apoſtolis, & pentateuchum ab hiſtoricis, & propheticis ſeparari: & certis omnem hanc varietatem diſtribui, vt magiſtris, ſic etiam discipulis. Vt enim nunc legunt, & ſuperioribus multis annis docuerunt; longe fuerunt magis induſtrii ante Troiam Graeci, qui ea decimo tandem tamen anno ſunt potiti. Quota quaeſo eſt quaeque academia, quae iſtud vel tribus luſtris faciat aut effecerit? ſed vos magis induſtrii, praeſertim Toloſates, qui tertio anno iura omnia percurrunt. Biturigibus doctores ſunt velociores: nam biennio ad metam perueniunt, ſed

neſcio an laudabilius, quam Toloſates. Pariſienſes teſtimonia dant in ſuis decretis quinque annorum, quae ſingulis annis a discipulis non negliguntur: ſed auditorem adhuc nullum audiui, qui queat dicere, haec omnia intra id tempus in ſcholis decretorum fuiſſe tradita & expoſita.

Sed Aurelianos amo, qui quatuor annos praeſcribunt, & iisdem quinquennalem laborem Iuſtiniani conſummant, Non temporibus iſta aeſtimanda ſunt, ſed rebus, ad quas tempora debent adplicari, vt ſuis quaeque res & in rebus explicandis ſua quaeque officia ſuis temporibus perficiantur. Poeta vituperatur ab Ariſtotele, qui fabulam vnius diei ſole prolixiorem facit: & hiſtrio reprehenditur, qui decurſu ſolis tragoediam bonam non poteſt peragere. Quod neceſſarium in fabulis eſt, cur id in veris rebus idque grauiſſimis non requiratur? Vale.

XII.

IONAE BITNERO

ETſi dolui impeditas fuiſſe ſucceſſiones claſſicas; tamen vtile fateri cogor, te in hac curia detineri. Nam quoniam grammatica ad te vtriusque linguae praecepta adferunt adoleſcentes, discipuli tui; oportet aliquem huic quartae tribui praefici, qui inde a pueritia in noſtris ſcholis educatus ſit, & annos aliquot praefuerit educationi puerili: cuiusmodi tu es atque Golius noſter: quorum vterque inde a quadrageſimo octauo anno vsque ad hoc tempus docet vtiliter. Haec vero curia, quam tu ducis, opus habet, vt non ſolum oratores audiat, verum etiam poetas atque hiſtoricos, & vt inſtruatur omni adparatu verborum, & verborum copiam non ſolum congeſtam; ſed etiam digeſtam habeat, vt oratorum vocabula & poetarum diſtincta ſint, & in medio poſita videant hiſtoricorum propria verba, & eorum inter ſe discrimina, & poteſtates varias. Nam huic ſtudio & te & Iunium in tertia curia

ria oportet incumbere, vt ad ſuperiores duas curias ſermonem purum & perſpicuum ſecum queant adportare, & armati eſſe contra barbariem, quae irrepere ſolet ſaepenumero ex barbaris commentariis, & deprauata conſuetudine aliquorum, qui docent, qui ſapientiam dicunt eſſe, loqui barbare & πραγματικὰς potius χρηματιϛὰς ſequi, quam primos ſcriptores artium, quibus magis placet Thomas Aquinas, quam Ariſtoteles; Scotus quam Lactantius aut Hieronymus; Bartolus & Baldus quam Scaeuola aut Iuſtinianus; Auerrois & Auicennae voces, quam Hippocratis aut Galeni, quae in academiis in auribus auditorum e faucibus magiſtrorum perſonant vsque adeo, vt in Italia etiam negligi incipiat eloquentia, & ad paucos reducatur. Inquinata enim lingua latina eſt interpretum vitiis, & impuritas pro ornatu colitur, & barbariem ethici & iuriſconſulti pro prudentia, phyſici pro veritate, medici pro vſu, theologi pro pietate habent. His malis vobis in hisce curiis occurrendum eſt, tibi praeſertim & Iunio, vt a vobis adiuti diſcipulos in veterum academicorum & peripateticorum ſpatiis retineamus, quae inter illos graecae puritatis & ornatus & copiae, & amplitudinis fonticulos & riuulos & flumina fiebant, a quibus ſtagna putida, & loca paluſtria & inſalubria procul remota erant: nos vero cogimur hoc deprauato iudicio, & corruptela conſuetudinis veteris, in luto conſidere, nulla re alia, quam corporis veſtitu, elegantes, impura lingua & barbaro verborum ſono.

Huic etiam noſtro inſtituto actiones tuae comicae & tragicae conuenient. Sunt enim hae exercitationes pro quotidiana conſuetudine ſermonis latini, immo firmiores, quam quotidianus erat Romanorum, & Athenienſium ſermo: & diutius theatra & ſcenae, quam forum atque iudicia laudes laudes conſeruarunt eloquentiae.

Tria volumina etiam muſicae tibi commendo, quae digeſta ſunt a Dauide Nepheletha, vt Daſypodio noſtrō: quemadmodum in actionibus ſcenicis, ſic etiam in exercitatione muſicae adſis, vt non muſas habeamus ſilentes, ſed Camoenas nos colere canentes, atque amoenas videamur. Odi enim vt barbariem, ſic etiam triſtitiam in ſcholis noſtris, & nihil magis ſtudia confirmat atque exornat, quam hilaritas. Et credo, vultus obſcuritatem Palladi in Paridis obfuiſſe iudicio, & ſpretam Iunonem in eodem arbitrio propter oculorum moerorem, quem zelotypia accerſiuerat.

XIII.

AD CONVENTVM EXTRAORDINARIVM.

AVdio vos Erythraeo permiſiſſe, vt rationem aliquam tradat conſcribendarum epiſtolarum, tametſi iſta ratio illi officiat: qua iubemur alternatim nos duo artem dicendi & oratores explicare; tamen non muto factum veſtrum, &, vt felix haec res ſit academiae noſtrae, opto, & deum deprecor, vt, quod inſtituit, vtiliter perficiat. Disputationes vero & declamationes in nimis longum tempus differuntur, quod factum non oportuit. Et disputandi conſuetudo non difficilis erat ad conſtituendum, ſi ad confirmandum vetus illa Romanorum atque Graecorum disciplina reuocaretur.

Declamandi vero exercitatio & in omnibus ſcholis & academiis elanguescit, & in noſtris ſemper friguit: cuius incommodi duas video eſſe, & fuiſſe cauſſas, quarum prima eſt, quod natura difficile eſt & iuuenibus ſcribere & praeceptoribus corrigere, quae a diſcipulis ſunt conſcripta. Deinde quia multis ea commiſſa res fuit, vt pueros ſibi delegerent, quorum eadem facultas non eſt omnium.

Adlatae ſunt ſaepe in medium orationes multum inter ſe diſſimiles, non virtutibus: id quod ſcholis noſtris optabile eſſet: ſed vitiis iisque barbaris, non

natura ſolum ingeniorum ſingulorum, ſed conſuetudine multorum: quae puritatem verborum labefacit, ſententiarum pondera negligit, ordinem contemnit, decorum non reſpicit: quod in omnibus eloquentiae partibus retinendum eſt. Hac ratione factum eſt, vt neque ego, neque Seuenus, neque Erythraeus, neque Hertelius, neque Reinhardus, huic malo remedium inuenerimus. Eſt etiam tertia cauſſa, quod adoleſcentibus vel non emendata ſunt vitia ab iis, quibus commiſſi erant, vel emendata negligenter, vel totae orationes conſcriptae a praeceptoribus, quo factum eſt, vt nihil vel proprium diſcipulorum vel perfectum adlatum ſit. Quarta vero cauſſa, omnes complectitur, & vitia continet omnia.

Dum enim veterum rhetorum cum apud Romanos tum apud Graecos conſuetudinem amiſimus infelicitate maiorum, nec recuperamus negligentia noſtra: neceſſe eſt, nos in hac parte in luto aut iacere ſi nihil conamur, aut haerere, ſi eam non reuocamus integram exercitationem. Quaenam erat illa? praeerat vnus quotidie hiſce exercitationibus, qui idoneos ad hanc facultatem eligebat, ineptos excludebat, qui argumenta dabat quaedam, quae ſubito tractari poterant: quaedam, quae meditationem paucarum horarum requirebant; nonnulla etiam, quae aliquot dierum confectionem flagitabant. Voco autem argumenta ὑποθέσεις hoc eſt, cauſſas ipſas, quarum indicabat locos, & locorum praecipua argumenta, & eorum collocationes per omnes cauſſae partes. Sed ad hanc facultatem non volabant; verum gradibus perueniebant, quorum vnus aliquis ſi interſcindatur, graues ſolent caſus infantiae ſubſequi. Non autem omnia praemaſticabat; ſed praecipua & praeſcribebat, quae in diſcipulorum eſſet officio, domi agere, & elaborare, & inde in ſcholas adferre declamantium.

Comparata vero facultate aliqua & firmatis viribus declamatorum, coronam admittebat eorum, qui audirent, & iudicium atque censores ad suum tribunal aduocabat: qui tamquam res ageretur seria, ita de facultate declamantis iudicium faciebant, & honoris erat inter eos, qui dicebant, magna contentio. Vbi hunc inueniemus, dicetis fortassis? aut vnde illum euocabimus? Quaerendus est, si volumus efficere, quod a nobis exspectatur & quaerendus vobis quauis mercede, praesertim primis duobus annis, intra quod tempus, si recte haec instituetur exercitatio, non defuturi sunt in academia nostra, qui hanc queant retinere & percolere consuetudinem. Habent enim ingenia, vt plantae suos prouentus, &, vt ex planta vna, si bonum colonum nacta est, propagatione aut insitione; magna nascitur vbertas, sic pauca ingenia ab vno bene educata plurimos solent sui similes efficere: vt ab vno Socrate quot philosophorum? ab vno Isocrate quot oratorum? ab vno Hippocrate quot medicorum genera? quorum singuli an non aliquid habebant singulare, quod esset eximium? Sed Socrates atque Hippocrates vnici non poterant: Isocrates, si vixisset, herbam certe Demostheni porrexisset libenter, vt poetae, qui Homerum secuti sunt, libenter palmam ei semper concesserunt, praeter Zoilos fortassis, quibus nihil placere solet.

At hac consuetudine scribendi, meditandi, agendi, in vsum & ad nostram academiam reuocata, futurum spero, vt multi, qui sequentur nos, qui antecesserunt, discipulos atque magistros sint superaturi. Haec mea sententia est, & huius ego testem esse volo hanc epistolam. Felix sit & faustum, quod Senatus, Scholarchae, Consiliumque & vos statuetis. Valete.

Ap.

APPENDICIS
LOCO EXHIBENTVR
ROGERI ASCHAMI ET IOH. STVRMII
EPISTOLAE DVAE
DE
NOBILITATE ANGLICANA.

ARGENTORATI CIↃ IↃ LI.

VNA CVM
HERESBACHII ORATIONE
DE
LITTERIS GRAECIS
ET
IOH. STVRMII LIBRO
DE
EDVCATIONE PRINCIPVM
VVLGATAE.

ROGERVS ASCHAMVS
CANTABRIGIENSIS
IOHANNI STVRMIO
S. P. D.

NEc ars ad vſum vitae, nec ſcientia ad cultum ingenii, meo quidem iudicio, Sturmi, vlla inuenta eſt, quae cum illius facultatis praeſtantia comparari poteſt, cuius praeſidio efficitur, vt ratio ad prudenter intelligendum, fermo ad diſerte loquendum inſtituatur, & reliqua hominis vita ab immani feraque conſuetudine longiſſime abeſſe, & ad diuinam naturam proxime accedere videatur. Hinc incredibilis ille ſenſus amoris, quo omnes fere docti etiam nunc proſequuntur externas illas

Athenas, ex qua vna vrbe, vna aetate, vt scis, plures dicendi, intelligendique & principes & praeceptores exorti sunt; quam ex omni & locorum & temporum vniuersitate ad hominum memoriam vsque peruenerunt. Roma vero olim, imperii domicilium, virtutis cumulo vel ipsis Athenis longe superior, eloquentiae laude par, aut non multum inferior: quamquam nunc praesentibus moribus, papistico luxu & imperioso antichristianismo se bonorum odio subiecerit; ceteris tamen eloquentiae nomine & Ciceronis ingenio, sic omni posteritati commendata est, vt quamdiu latinarum litterarum vel fructu adiuti, vel laude illustrati vlli homines sunt; tamdiu vrbis Romae memoria, cum summa caritate & beneuolentia vsurpata duratura sit. Neque antegressae solum memoriae erudita saecula; sed praesentis etiam aetatis, praeclara ingenia, plurimum admiramur: potissimum vero eorum hominum, qui hac eloquentiae laude floruerunt. Ipse enim multos excellentes viros ex Italia, Germania, Gallia vehementer diligo, quos numquam vidi, propter insignem doctrinae splendorem, quem in illis elucere perspicio. At cum tu, Sturmi, ex Platone, Aristotele, Cicerone eum salubrem eloquentiae succum hausisti, quem in nullo alio nostrae aetatis, nec longe superioris quidem vmquam animaduerti, & illum etiam totum ad saniorem Christi doctrinam adgregasti, quo in loco te habeam, nisi de te ad te scriberem, libenter explicarem. Quamquam si id facerem, cur adulationis notam vererer, non video: quae res si mihi proposita fuisset (quod tu quodam in loco ad quemdam scribis); alia via ad aliud genus hominis mihi adfectanda esset. Iudicium illud diuinum tuum, quo singulos praefers, singula legis, animaduertis, religis, adpendis, expolis, construis & aedificas, meum, si quod est iudicium, in eam admirationem rapit,

vt

vt quidquid hactenus scripsisti, sedulo conquisiuerim, auide perlegerim: inciderim etiam, in nonnulla manuscripta, abs tuo ore excepta, in ea videlicet, quae doctissime dictaueras in integrum Gorgiam Platonis. Hunc librum Londini ante triennium nactus sum. Ad hunc modum cum suauitate praesentis consuetudinis tuae frui non licuit, ope tamen ingenii tui, quantum potui semper, vti placuit. Et me multos iam annos ardore amoris erga te mirifice incensum: ecce tibi quotidianus fere sermo, quem de te mecum Martinus Bucerus habet, sic nunc inflammat, vt nihil libentius facerem, quam ad te scriberem: praesertim cum intelligam & ex eo, quod de te ipse scripsisti, te eum esse, qui humanitate & beneuolentia contentus sis: & ex sermone praeterea Buceri, te non magis esse Ciceronis excultum eloquentia, quam ornatum humanitate, qui hominis nihil potius esse iudicat, quam respondere in amore his, a quibus prouocere. Sed vide audaciam meam, qui in amicitiae ipso nostrae principio, beneuolentiae meae non solum scansionem ostendere volui, sed fructum & remunerationem quamdam repetere statui: statui enim rogare te, vt aliquid facias litterarum nominis tui, & vtilitatis etiam meae caussa, nisi hoc hominis nimium sui amantis esse videretur. Ego ad lectionem sacrae scripturae, in qua potissimum tabernaculum & vitae & studiorum collocare cum Christi benignitate statui, Platonem, Aristotelem, Demosthenem, & M. Ciceronem residuo meo studio adiungere, in animo habeo. Nec tamen hoc studendi genere sic mihi vel praecise placeo, vel ignaue contentus sum, vt medicorum & ICtorum libros, vel omnino contemnam, vel numquam attingam. Hae enim artes & praeclaram continent cognitionem, & ad omnem humanae vitae vsum ac splendorem plurimum momenti habent. Sed in tanta

vari-

varietate rectiſſimorum ſtudiorum ſequatur per me quisque illud non ſcite. Attilii enim poetae, vt ait Cicero duriſſimi, *ſuam cuique ſponſam, mihi meam.* Ariſtoteles doctrina & iudicio cum ceteros omnes, tum ſe ipſe quoque ſuperat, mea quidem opinione, in his libris, quibus dicendi rationem pulcherrima doctrina explicauit. Diuinam rationis quidem, naturae & morum disciplinam diuino ingenio recondit in reliquos libros: hic nihil non fere ad popularem conſuetudinem, & humanae vitae quotidianum vſum promit & exponit. Et quo magis hos libros prae ceteris admiratus ſum, tanto plus tribuo Danieli Barbaro, & P. Victorio, qui in eis magna quidem cum diligentia elaborauerunt: ſcire enim dum, quamquam id percupide aueo, non poſſum, quid ſit illis Gregorii Nazianzeni graecis in hos libros commentariis, quos Erasmus in Feſtina lente teſtatur, ſe apud Aldum perlegiſſe. Nam hos eſſe illud ὑπόνημα ἀνώνυμον, in Gallia impreſſum, non credo. Horum omnium & diligentiam libenter agnosco, & voluntatem vehementer probo: ſed cum ex libris tuis, quos frequenter lectito; & ex multorum ſermone, quos ſaepe conuenio, clariſſime perſpicio, te tanto ingenio & iudicio in his rhetoricis libris verſatum eſſe, vt quid vel illi praedicent, vel ipſe ſentiam non litteris exponere, ſed in opinione tua relinquere ſtatuerim. Et hoc eſt, humaniſſime Sturmi, quod tantopere abs te contendam, vt ſummi artificis praeſtantiſſimam artem, excellenti artificio tuo explicatam in lucem proferas. Nunc vero ſi eſſet in me vlla vel perſuadendi facultas, vel cogendi vis, eam vniuerſam ad te vrgendum, vt hoc perficeres adhiberem. Neque ego ſolus, ſed innumerabiles alii hoc abs te contendunt. Quorum poſtulata cum & litterarum ſumma vtilitate, & nominis tui immenſa laude implicita ſunt, quantum humanitas tua illis tribuere debet, etiam atque etiam conſidera. Vt nouos hauri-

haurias labores, non requirimus; sed veteres vt fusissime ad vberem studiorum fructum dimanent, expetimus. Vidimus enim & legimus magnam partem illorum laborum, quos in rhetoricis libris explicandis suscepisti, quibus tantum ardorem in nobis ad videnda reliqua excitasti, vt is nulla alia re, nisi luce ingenii tui satiari possit. Age igitur, optime Sturmi, & perge, rogatu vnius prodesse vniuersis. Et quamque durior esse vis, quod facile non credo, quam vt oratu, multorum bonorum commoueare; prudentior tamen es, quod certo quidem scio, quam vt patiare vnius plagiarii scelere committi, vt vel istis rhetoricis libris, vel Gorgiae, vel politicis tuis, aut aliud, aut aliter accidat, quam nunc vereri velis, aut imposterum mederi queas. Quod ipsum in tanta turba excipientium dictata tua, facile alicuius vel stulti amici imperitia, vel sordidi typographi auaritia contingere potest. Hanc iniuriam saepe Erasmus, saepe multi docti viri experti sunt, quae si ad te solum perueniret, negligere eam non deberes: cum vero ea omnium & litterarum & tui quoque studiosorum communis esset, diligentior quidem cautio adhibenda est. Et hoc siue recte monentis consilium, siue vere amantis studium, siue impense rogantis institutum, ea quaeso mente, qua ego scribo, accipias & ea quoque ratione, qua maxime cupio, expleas. His proximis superioribus annis Aristoteles e Gallia prodiit latina lingua loquens, vt omnes existimant, aliena mente nonnumquam sentiens, vt quidam iudicant. Ioachimi Perionii in coniungendo Ciceronе cum Aristotele & voluntatem multi probant, & ex vtroque infinita loca, siue in congerendo diligentiam, siue in compellendo vim plures in meliorem partem accipiunt, quam illud nimis proiectum Cephae Clononii os, qui in exagitando vtroque graecae latinaeque doctrinae & principe, &

prae-

praeceptore, vtriusque beneficio & suo ingenio nimis insolenter abusus est. Quamquam & ipse quoque existimo, praeclaram Aristotelis doctrinam & minus ornatam videri, & magis obscura esse, quam vt multorum in eo legendo possit vel studia allicere voluptas, vel labores compensare vtilitas, quia vbiuis, fere docetur sine accurata exemplorum adpositione: qua in re & latini plurimum & graeci ipsi peccant explicatores. Et tamen hoc vitio claudicare non debet dialecticorum schola, cum in tota illa subtili differendi ratione ab Aristotele tradita, nullum exstet praeceptum, cui in Socratis sermonibus, Platonis & Xenophontis ingenio conscriptis, non respondeat expressum exemplum. Hoc tu, Sturmi, & prudenter animaduertis, & frequenter doces, potissimum vero in ea ratione interrogandi collocandique dialectica, quam Platonis Gorgiae praefixisti: ad quem locum legendum quoties accedo (quod saepissime quidem facio); toties cum noua quadam & vtilitate laboris mei, & admiratione ingenii iudiciique tui semper abeo. Sed ad hanc dicendi facultatem, quae tota ad illustriorem vsum comparata est, nihil magis requiro, quam ex Demosthenis; Ciceronis, Thucididis, Liuii & horum simillimorum oratorum, historicorumque libris, sic vbiuis exempla comportari, vt quidquid in virtute splendoris & aequitatis, inscelere foeditatis & fraudis, in prudentia prouidae opportunitatis, in fortuna insperatae temeritatis, ex omni saeculorum memoria colligi obseruarique possit; id semper ad rhetorica praecepta, diligenti vel appositione exempli adiungatur, vel notatione loci referatur. Et quamquam hic cuiusque litterarum cupidi proprius labor esse debet: tamen cum ad id praestantis ingenii animaduersio delectus & iudicium adhibetur; noua profecto studiorum & suauitas ad voluptatem, & fructus ad vtilitatem,

ex

ex hac artis & imitationis coniunctione efflorescet. Et huic meo, si tu ita vis, siue errori ex imperitia, siue torpori ex desidia, lubentius quidem indulgeo, quod plerumque video eos, qui in solitariis artium praeceptis adhaerescunt exangues, frigidos, ineptos, sine sensu, sine motu, sine vsu esse: contra vero alios, qui nulla praeceptione instructi sed historicorum sola & oratorum lectione contenti fuerunt, in aliquo loco constitisse. Neque haec eo a me dicuntur, quod aut vagam linguae iactationem, aut effluentem stili insolentiam vllo modo probem: sed quemadmodum in tradenda vera religione, exempla vitae, cum praeceptis doctrinae coniungi debeant; sic quidem ad omnem artis cultum imitationis etiam vsus adhibendus est, vt cursus studiorum, neque obscuritate inutiliter impeditus, neque erratione licenter abductus esse videatur. Praeterea cum dicendi facultas ψυχαγωγία sit, vt docet Socrates & tota illa nobilis animae doctrina hanc artem propinquissima cognatione attingat; plurimi plurimum & huic disciplinae & nostrae aetati congratularentur, si Phaedonem Platonis & libros Aristotelis περὶ ψυχῆς luce ingenii tui aliquando illustrares. Et quia video me iampridem nimis inconsiderate abusum esse humanitate tua, & omnes verecundiae fines transiisse; libet profecto nunc ipsius Ciceronis consilio vti, & bene suauiterque impudentem esse. Ipse quoque Demosthenes multorum infelices conatus hactenus reiiciens, te admodum flagitat. Bis nunc Italia ad nos misit Aeschinem & Demosthenem, latine dicentes; sed nec his oratoribus, nec ea regione, mea opinione satis digne. Illi etiam Germani duo, quos semper admiror & vnice amo, in Demosthene multis non satis faciunt. At vero cum illum primum circuitum, qui est in principio orationis contra Aeschinem, a te in libro *de amissa dicendi ratione* latine

versum lego, & cum diligenter animaduerto, quo tu adpendis iudicio, quam nam in vtraque lingua vel singula verba vim, vel sententiae formam habeant. Quid putas me primum, doctissime Sturmi, adclamare, ne ὦ πάντες καὶ πᾶσαι, quod nam hoc nouum veneris caput? an maximopere his litteris quidem nunc meis, sed votis iamdiu litteratorum publicis a te contendere, vt quod reliquum est in his duorum nobilissimorum oratorum in contrariis inter se orationibus, perspicere ipse velis. Hoc labore & vtriusque linguae splendorem, mirifice excitabis, & illius Ciceronianae amisse versionis desiderium, meo quidem iudicio, multum mitigabis. Et huic vniuersae postulationi meae, audacter quidem scio susceptae, ad res tamen spero & praeclaras cupiendas & iustas petendas institutae, te multum tributurum facile intelligo. Postremo videndum tibi est, vt expleas eam exspectationem, quam omnibus litterarum cupidis commouisti, de illis libris, qui de ratione latine loquendi atque scribendi a te scripti sunt. Et haec de te ac tuis, nunc pauca de nobis ac nostris.

De religionis cursu, reipublicae statu, litterarum cultu & fructu apud nos in Anglia satis loquacem tecum instituerem sermonem, si tantae res in breues potuerint includi litteras. Sed quae nunc vnius epistolae modo terminari non possunt, in multas litteras, quas deo volente, frequentes tibi scripturus sum, reseruabo. Ea vero religionis cura apud Iosiam nostrum inprimis & Cantuariensem & vniuersum consilium regium excubat, vt in nulla re aeque elaboratum sit, quam vt religionis cum doctrina tum disciplina, ex sacrarum litterarum fonte purissime hauritur, & vt sentina illa romana, qua tot humanae sordes, in ecclesiam Christi redundarunt funditus obstruatur. Populi consensus & obedientia ad hanc rem summa est. In studiis

nostris

noſtris patrum conſilia libenter ſequimur, vbi ipſi non deflectunt, a ſacra ſcriptura Auguſtino plurimum tribuimus; cui, quod tu Graecos, Baſilium & Chryſoſtomum anteponis, non tibi concederem, niſi te vălde amarem. Bucerus, vir dei, gloriam Chriſti ſtrenue apud nos excitat, cuius habet tantam & doctrina auctoritatem & vita moderationem, vt ne ipſi quidquam aduerſarii conqueri poſſint. Aduerſarii enim nonnulli adhuc apud nos ſunt, qui cum a nobis non nihil discrepent, hominum vires, virtutes, & conſenſum extra modum & ordinem efferentes: tamen quia complures eorum ſine ſtomacho & aculeis hoc faciunt & plurimum ſe ipſi cum eruditionis laude, tum probitate vitae commendant; non poſſumus non amore proſequi eos, omnia referentes ad illius prouidentiam, qui extrema etiam die nonnullos in vineam ſuam introducit. Publica res in magna exſpectatione eſt. Quis euentus hanc pacem inter nos & Gallos, per obſides principum filios factam conſequetur, ignoramus. Illa quidem vox Ciceronis ſemper mihi ſuauis eſſe videbatur, nomen pacis dulce eſt; & res ipſa ſalutaris: bellum autem quid aliud eſt, quam Sophoclea ἐρινυὺς, πολύχειρ, πολύπους, χαλκόπους, religionis curſum, morum disciplinam, litterarum otium, & omnes ſuauioris felicitatis partes funditus euertens. Gratulor etiam multum ipſi Galliae, quam gentem vnice ſemper amaui, quae meo iudicio quidem in omni litterarum & humanitatis laude nec ipſi cedit Italiae. Hanc pacem vtrique genti bonam, fauſtam, felicem, fortunatamque ore ſperamus, quoniam comes Bedfordienſis, Pagettus & Iohannes Maſonus noſtrae partis principes legati, non ſolum longum rerum vſum, multiplicemque eruditionem, verum etiam dei timorem ad hanc fundandam concordiam adferunt. Linguae & artes Cantabrigiae ab his

passim hauriuntur auctoribus, qui cum dicendi tum intelligendi magistri optimi semper habiti sunt: vt nec ratio propter infantiam nimium obmutescere, nec oratio propter inscitiam loquaciter insolescere discat. Ad vtriusque linguae doctrinam perdiscendam, vtriusque vrbis non eadem quidem, sed vna fere sola vtimur aetate. In hanc studendi viam plurimi, Iohannis Checi & Thomae Smithi exemplis, praeceptis, ingeniis, consiliis prouocati, ingressi sunt. Hi duo, olim huius academiae nunc totius reipublicae in ipso splendore aulico praeclara lumina eminent. Qui si ad scribendum sese dedidissent, nec in Sadoleto Italia, nec in Longolio Gallia iustius, quam in istis duobus Anglia gloriata fuisset. Hoc perspicuum nobis est, vel ex illo libello, quem *de recta graece pronuntiandi ratione*, qua nos Cantabrigiae vtimur, contra Vuintonienscm conscripserunt. Sunt quoque hic Cantabrigiae multi praeclari viri, inter quos tamen sic elucet summus amicus meus, Gualterus Haddonus, huius academiae nunc procancellarius, vt cum illis superioribus duobus comparandus, non in nostrum numerum adgregandus esse videatur. Quid omnes Oxonienses sequuntur, plane nescio; sed ante aliquot menses in aula incidi in quamdam illius academiae, qui nimium proferendo Lucianum, Plutarchum & Heroclianum, Senecam, A. Gellium & Apuleium vtramque linguam in nimis senescentem & effoetam aetatem compingere mihi videbatur. Nobilitas in Anglia numquam magis erat litterata. Illustrissimus rex noster *Eduardus*, ingenio, industria, constantia, eruditione, & suam aetatem & aliorum fidem longe superat: non enim aliorum sermone persuasus, sed ipse saepe numero praesens (quod in suauissimam felicitatis meae partem deputo) omnium virtutum chorum in eius animum immigrasse perspexi. Gallia non dubito ag-

noscet summam doctrinae laudem in clarissimo duce Suffolchiensi, & reliquo illo nobilissimorum iuuenum comitatu, qui hactenus vna cum rege nostro in graecis litteris & latinis educati, hac ipsa die, qua haec ad te scribo, in Galliam profecti sunt. Thomae Mori filiabus innumerae nunc honoratae feminae in omni litterarum genere praestant. Inter quas tamen vniuersas veluti sidus quoddam non tam claritate generis, quam splendore virtutis & litterarum, sic eminet illustrissima domina mea, D. Elizabeta, regis nostri soror, vt in tanta eius iuste commendandae varietate, labor mihi non quaerendae laudis, sed statuendi modi propositus esse videatur. Nihil tamen scribam, cuius ipse praesens testis non fuerim. Me enim praeceptore graecae latinaeque linguae duos annos vsa est. Nunc vero ego aulica turba liberatus & ceteris otii mei litterarum suauitati restitutus, regiae maiestatis beneficentia satis honestam conditionem & locum in hac academia habeo. Fortunae naturaeque ornamenta in illustrissimam dominam meam collata: haec ne, an illa pluris aestimanda, in comparatione ad iudicandum, perquam sunt difficilia. Aristotelicae laus in eam tota transfusa est. Nam καλλ῀ in illa μεγεθ῀, σωφροσύνι, καὶ φιλοσοφίᾳ, omnia summa. Ex anno XVI. nonnihil excessit. Tanta in hac aetate grauitas & celsitate comitas inaudita est, studium verae religionis & optimarum litterarum acerrimum. Ingenium sine muliebri mollitia, labor cum virili constantia, memoria, qua nihil vel citius percipit, vel diutius retinet. Gallice, italiceque aeque vt anglice loquitur; latine expedite, proprie, considerate. Graece etiam mediocriter mecum frequenter libenterque collocuta est. Si quid graece latineue scribat, manu eius nihil pulchrius. Musicae vt peritissima, sic ea non admodum delectata:

in quauis adhibenda mundicia φιλόκαλ@ μᾶλλον ἢ καλλωπισὴς, aurum, κρωβύλος καὶ κορύμβος sic ſemper aspernata vt non Phaedram, ſed Hippoliten omni vitae ratione referre videatur. Perlegit mecum integrum fere Ciceronem, magnam partem Titi Liuii: ex his enim propemodum ſolis duobus auctoribus latinam linguam hauſit. Exordium diei ſemper nouo teſtamento graeco tribuit, deinde ſelectas Iſocratis orationes & Sophoclis tragoedias legebat. Hinc namque illius & linguam puriſſima dictione, mentem aptiſſima praeceptione & reliquam eius vitae conditionem ad omnem fortunae vim recte inſtruendam eſſe exiſtimaui. Ad religionis inſtitutionem poſt fontes ſcripturarum D. Cyprianum, loci communes Melanchthonis, & alios huius generis ſimillimos, ex quibus pura doctrina cum eleganti ſermone libari potuerit, adiunxit: in omni oratione, ſi quod inuitum verbum aut curioſius accerſitum fuerit, facile animaduertit: ineptos illos Erasmi imitatores, qui latinam linguam in miſeras prouerbiorum compedes illigant, ferre non poteſt: orationem ex re natam, proprietate caſtam, perſpicuitate illustrem, libenter probat. Verecundas translationes & contrariorum collationes apte commiſſas & feliciter confligentes vnice admiratur. Quarum rerum diligenti animaduerſione aures eius tritae, adeo teretes factae ſunt, & iudicium tam intelligens, vt nihil in graeca, latina, & anglica oratione vel ſolutum & peruagatum, vel clauſum & terminatum, vel numeris aut nimis effuſum, aut rite temperatum occurrat, quod non illa inter legendum ita religioſe attendit, vt id ſtatim vel magno reiiciat cum faſtidio, vel ſumma excipiat cum voluptate. Nihil fingo, mi Sturmi, nec opus eſt, ſed adumbrare tantum volui tibi ſpeciem eius excellentis ingenii & ſtu-

ſtudii, in cuius rei veluti forma, dum mens mea tota defixa eſt: hanc illuſtriſſimae dominae meae memoriam, mihi quidem cariſſimam ad te ſcribendo libenter ſuauiterque vſurpaui. Ad hanc nobiliſſimam principem, ſi tu aliquid ſcripſeris Sturmi, illud & grato animo acceptura, & magno iudicio perlectura eſt. Sed vereor, ne ipſe iucunda vel recordatione illius vel ſcribendi ad te ſuauitate delectatus extra modum epiſtolae prolixitate prodierim, & de litterarum apud nos ratione, plura alio tempore. Rumor hic ſparſus eſt te venturum in Angliam: ſiue hoc verum ſit, ſiue totum ex eo ortum deſiderio, quo plurimi te hic videndi tenentur, non intelligo. Mihi nihil frequentius in votis. Interea dum ego aduentum tuum gratiſſima ſpe exſpectem: deſiderium quaeſo meum abſentis tui ſuauiſſimis litteris tuis ſic lenias, vt ſaltem intelligam, te has meas recepiſſe. Quamquam longo ſermone litterarum tuarum nihil optabilius mihi eſſe poteſt. Amorem meum, quem tibi maximum abſenti debeo, eum vniuerſum interea ad praeſentem patrem Bucerum defero, His litteris incluſum dono mitto tibi argenteum nummum C. Caeſaris. Reliquis caeſaribus additi ſunt ſemper loquaciores tituli, quod ſaepe animaduerti in omnium fere caeſarum nummis, vsque ad Gotticam illam barbariem. Hic habet ex vna tantum parte caeſaris nomen inſcriptum. His priscae antiquitatis reliquiis, quia plurimum ipſe capior, hunc nummum tibi mittere volui, plures deinceps miſſurus, ſi te hoc antiquae & beneuolentiae meae & temporum vetuſtatis monumento delectatum eſſe cognouero. Vale in Chriſto Ieſu. Cantabrigiae e collegio D. Iohan. euangeliſtae. Quarto Aprilis. Anno domini CIↃ IↃ L.

IOHANNES STVRMIVS ROGERO ASCHAMO *S. P. D.*

VIde, mi Aſchame, quid epiſtola tua effecerit. In libello meo, quem de oratorum conuerſionibus confeci προσε φώνησα τῇ ἐλληζαβήτῃ τῇ ὑμετέρᾳ: vt quoniam oratorum artificioſiſſimam & pretioſiſſimam telam poteſt retexere, iudicet etiam de hoc opuſculo, quod leui & denſo filo lucubratum eſt. Opinor enim, Penelopes Homericae telam recte cum poetarum verſibus, & oratorum comprehenſionibus poſſe comparari: quorum vtraque non ſolum componi debent, ſed etiam diſſolui atque immutari & diſſui, quotiens emendari poſſe videantur. Ac certe in aetate iuuenili & ſexu femineo praeſertim puellari, quae poteſt eſſe honeſtior occupatio? quae exercitatio liberalior? quae conſuetudo ſuauior? quam ſtili, & compoſitionis & orationis, purae, ornatae, perfectae, conſummatae? ad quam enitimur atque contendimus. Quia vir litteratus es & bonus & dignus glorioſo illo cognomento, hoc eſt, quia euangelicus: quae omnia non adparent ſolum, ſed elucent etiam in epiſtola tua: nihil puto adfictum in tuis litteris eſſe virtuti, & laudibus puellae principis atque regiae ſtirpis. Sed quid in noſtris temporibus magis optabile accidere mortalibus poteſt, quam ex principum virorum familiis, & ex nobilitate vtriusque ſexus oriri ingenia, quibus litterarum ſtudia placeant, qui eas colant, qui condiscant: qui & earum & rerum & artium doctrinam conſequantur. Ergo beatiores hoc genere bonorum Angli quam Germani, apud quos in nobilibus pauciſſimi ſunt, qui

ad

ad ſuum ordinem litterarum putent inſignia pertinere: cum iſtic plerique omnes nobiles, vel enitantur vt litterati ſint; vel ſi ſero id intellexerint, tamen ad ſe nunc ſpectare ſuosque arbitrentur. Quamobrem ſpes iam data eſt, quod laudem, quam antea ſibi arrogauit ſemper Italia, & poſt Italiae, Galliae atque Germaniae aemulae vindicare conatae ſunt, eam ſibi deinceps Anglia cumulatiſſime queat adſumere: & quale domicilium quondam Athenis & Romae, de quibus duabus ciuitatibus ſcribis dicendi & ſapiendi magiſtri habuerunt; tale iisdem nunc ſit in Anglia conſtitutum, vt veſter populus, quorum virtutes imitatur, eorum etiam comparet decus & gloriam. Sed vt ad te, mi Aſchame, veniam, nescio tibine magis gratulari debeam, cui deus talem dederit diſcipulam, an Elizabetae principi, cui talem magiſtrum atque artificem: certe vtrique & gratulor & gaudeo: & felix illud biennium iudico, quo tu docuiſti & illa didicit, nunc etiam tibi ob iſtud otium tuum laetor, quod Eduardus rex tibi & conceſſit benigne & liberaliter eſt largitus. Requirunt enim noſtrorum ſtudiorum rationes otia negotioſa, & negotia otioſa: nam in laboribus otiari & in otio laborare vulgo, videmur. Ceteri enim homines cum venantur, cum piscantur, cum fabricant, occupari creduntur laboribus: litterati cum legunt, ſcribunt, commentantur, pro otioſis habentur: cum tamen vitam ingenii laboribus anxiam atque ſollicitam agitent: non periculorum metu, aut laborum vexationibus, ſed ſuſceptione atque cogitatione rerum maximarum & immortalium. Sed quia otium tibi ſummum datum eſt, eius etiam ad me fructus iucundiſſimus atque vberrimus perueniet. promittis enim mihi in tua epiſtola multas & frequentes litteras, quas auidiſſime exſpecto, cum propter amorem erga me tuum, quem ex litteris tuis perſpexi, tum praecipue propter doctri-

nam & artes duas, in quibus ego annis iam multis etiam verſor: vnam differendi, alteram dicendi. Vtrique enim & dialectici & rhetorici eſſe nolumus: ſed tu es: ego vero vt ſim nitor & elaboro. Et profecto absque eloquentiae ope obſcura & ſordida eſt dialecticorum profeſſio; & haec ipſa eloquentia absque differendi doctrina inflata tumet, & errabunda vagatur, nihilque via & ratione, nihil artificioſe efficit. Itaque idem tuum & meum eſt iudicium, idem volumus, idem ſequimur, idem conſectamur, omnibus etiam idem ſtudium ſuſcipiendum eſt, qui in litteris viuere & ex litteris laudem adſequi concupiscunt. Verum vt ad epiſtolam tuam reuertar: fuit illa mihi iucundiſſima, tum ob ſignificationem tuae erga me beneuolentiae, tum quia multa nuntiat de regno veſtro, quod ſemper nobiliſſimum & munitiſſimum multis aetatibus habitum eſt; de rege, de quo praeclara & certa eſt prudentiae, clementiae, religionis ſpes concepta; de Gulielmo Pagetto, cuius ego probitatem, & moderationem conſiliorum & humanitatem Caleti ante annos quinque cognoui, de Checo & Smitho, qui nobis a multis ſunt praedicati; de Iohanne Maſono, quem Montius noſter magna beneuolentia complectitur, & laudat mihi ſaepenumero, quoties ego Pagetti memini; de Haddono procancellario veſtro, quem tu cum ſuperioribus componis; de nobilitate veſtra, & de iis, qui in Galliam cum tribus veſtris legatis profecti ſunt; poſtremo de domina Elizabetha, qui locus quo fuit prolixior quam reliqui, eo ego longiora legendo requirebam. Haec inquam omnia fuerunt iucundiſſima. Verum vbi mihi tantum tribuis, quantum ego minime poſſem agnoscere; ibi pudorem, vt Horatii vtar verbis, mihi incuſſiſti: propterea quod praeſtare non poſſum doctrinam & iudicium ita vt tu mihi adſcripſiſti. Vbi vero petis vt Phaedonem Platonis,

vt

vt Aristotelis libros de anima, & vt eiusdem rhetoricos libros latine interpreter & explanem; item vt Demosthenis & Aeschinis aduersarias inter se orationes conuertam; vt promissos a me de latine loquendi & dicendi ratione libros diuulgem: non tam laborem fugio, qui suscipiendus esset, quam in suscipiendo audaciam & diuulgando temeritatis atque arrogantiae suspicionem: quae me superiore anno ingressum in hoc curriculum quasi reuocauit. Statui enim Aristotelis rhetoricos libros perpetuis explicare differentium sermonibus; quorum partem aliquam librario dederam. Sed mutaui sententiam, primum propter eam, quam proposui caussam, deinde quia alia quaedam intercedebant, quae me ab instituto sunt dehortata. Verumtamen cogito hac hieme resumere eos & perficere, quod est inchoatum: si vitam deus & potestatem concesserit. Aeschinis & Demosthenis orationes meis interpretor auditoribus, sed ita, vt magis in explicandis illis, quam conuertendis sim occupatus. Satis enim mihi est, si sententiam explanem, & verborum vim atque potestatem: reliquum quod laboris est, id in arte demonstranda consumitur, vt inuentionem intelligant, vt diuisiones & partitiones considerent, vt collocationem, vt argumentandi modos, vt conclusionum formas, vt ornamenta sententiarum, vt quaestionum infinitarum exornationes, vt finitarum expeditiones, vt in vtrisque amplificationes, vt in omnibus conuersionum genera, vt principiorum & mediorum & clausularum connexiones & numeros. Duplici hoc meo hiemali labore contenti esse debetis: & tu, mi optatissime Aschame, qui petis; & Bucerus, qui tibi cohortator fuisse videtur. De Phaedone & Aristotelis de anima libris alias, cum erit otium, si vita suppetat, & si potero. Non enim si in Gorgia quaedam obseruaui, quae ad dialecticorum perti-

neant officinam; idcirco etiam in Phaedone aliquid elaborare possum, quod perpetuam orationem habeat & quod litteratorum hominum aures animosque non offendat. Neque si rhetorica intelligo & fortasse prodere in lucem aliquo modo possum; idcirco grauissimam illam disputationem de vita, de morte, de animorum immortalitate, de bonorum virorum vitali obitu, de clarissimorum hominum sempiternis praemiis, de aeternitate rerum, potero differendo atque scribendo sustinere. Quod tamen libros de latino sermone requiris: in eo me percelluisti. Promisi enim eos ante annos aliquot: sed fateor plane, etiamsi ingenio possem, tamen non possem facultatibus, vt ex me saepe Bucerus audiuit. Quantum enim est eiusmodi opus elucubrare; ex quo breui eam facultatem consequare post praeceptionum perceptionem, vt quidcumque cogitatione complectaris, id etiam oratione possis latina exprimere, non solum vt pura ea sit, sed vt elegans; vt ornata, vt decora; & exempla in promtu habeas, quae res quibus sint & verborum & sententiarum ornamentis expoliendae; eaque omnia non solum congesta, sed etiam distincta locis & disposita habeas. Tale opus cum cogitatione inchoatum, commentatione demonstratum atque perceptum habeam, tamen facultatibus imperfectum cum aliis iacere patior, dum compeller, tametsi satis me gymnasium nostrum compellet, tamen quia compellat non cogit, satis me hominibus facturum puto, si in reliquis officiis non sim desidiosus. Iam quod de Augustino scribis, laudo iudicium tuum & tuarum litterarum in eo loco humanitate & amore delector. Etiam ego sane huic theologo prae ceteris plurimum tribuo propter doctrinam: docet enim omnia, concludit acute, refutat argute, nihil nec in proponendo, nec diuidendo, nec argumentando, nec ex-

expediendo peccans. Sed ego cum meos ad orationis cultum adhortor, non ſolum rerum conſidero doctrinam, ſed earum etiam ornatum atque tractationem: vt illos dicendo ſuperiores putem, ſed Auguſtinum doctrina; verumtamen illos etiam eruditos & litteratos: itaque principio anteponendos. Etenim diligenter etiam atque etiam in ſermone latino aut graeco tradendo cauendum eſt, ne ſcriptores dicendo inferiores propter rerum tractationem Ciceroni & Demoſtheni ceterisque melioribus ſcriptoribus anteponantur: omnibus enim ſcientiae ſapientiaeque nomen gratum & dulce eſt; res vero ipſa non ſolum optata, ſed etiam ſalutaris. Nam nec ſcribere quisquam aliquid poteſt, nec loqui aut dicere, quod ſit praeclarum, qui artes & disciplinas, & qui rerum cognitionem nullam comparauit. Ergo qui hoc iudicio praeditus eſt, & hac inopi facultate nititur, eum nec in eloquentium, nec diſertorum; nec latinorum, ſiue oratorum, ſiue ſcriptorum, ſiue artificium numero habendum puto; & cuius inflata verbis tantummodo oratio eſt, non ſolum auctorem ineptum, ſed etiam hominem ſtolidum exiſtimo. Quamobrem etiamſi ſummi viri, ſiue Longolius, ſiue Sadoletus, ſiue Bembus, ſiue Naugerius, ſiue alius quisquam vel Italus, vel Gallus, vel Germanus verba eorumque ornatum captauit, res neglexit, quod tamen hi minime fecerunt, ſed ſi quis eſſet: eum laudandum non cenſeo. Nam quid ego de Budaeo, excellenti doctrina viro dicam? quem tametſi amemus atque defendamus, & admiremur, vt etiam eos, quos nominaui; tamen ſunt nonnulli, quibus ille in aliquibus libris magis verborum, quam rerum ſectator eſſe videatur. Non igitur in optimis, ſed in deterioribus ſiue ſcriptoribus, ſiue oratoribus ponendum puto, qui verbis non rebus, ornatum orationis conſtare credit. Sed hoc inprimis conſiderandum eſt; omnibusne temporibus quid-

quiduis legere liceat, an ſit in temporibus, & aetatibus & facultatibus aliqua diſtinctio. Homerum Graeci ſuis adolescentibus ediscendum propoſuerunt: poterat illud fieri absque incommodo, propterea, quod vna cum materno quaſi lacte imbibiſſent patrium pueri ſermonem. Romani grammatici etiam Vergilium ſuis ſcholis explicabant: nihil periculi erat eamdem ob cauſſam. Iidem romani de principio Homerum interpretabantur: nihil fuit incommodi in lingua aliena: latine omnibus tum loquentibus Romae ciuibus. Et idem Graeci facere poterant, ſi hic iis placuiſſet ſermo. Sed quas vtilitates ad linguae informationem atque puritatem puer accipiet ex Catonis diſtichis, ex Aquinate, Gerſone, Cocca? paucos nominaui, ex his quam plurimi poſſunt alii eiusdem gregis conſiderari & ſunt aliis praeſtantiores, quos tamen legi nolim: non quod vituperem, ſed quod ad id, quod volumus, non ſint idonei. Sed addamus etiam his barbaram turbam grammaticorum, dialecticorum, medicorum, theologorum, philoſophorum: quibus ſordida puris, vtilibus ſpinoſa fuerunt potiora. Quorum pars ſe adhuc magna tuetur in ſophiſtarum noſtri ſaeculi collegiis: quae de ſua adhuc barbarie tamquam de Palladio aliquo atrociter pugnat. O gregem venuſtum: o religioſam conſpirationem, in qua vinci, glorioſum eſt; turpiſſimum vincere. Quis ſtatus litterarum, quis religionis eſſe poſſit in hac ſermonis & linguae & orationis foeditate? quis enim non aſpernetur in iis, ſi videat, oris ſonitum, verborum deformitatem ſententiarum ſordes, opinionum ineptias, animorum pertinaciam, conſuetudinem illiberalem, mores peregrinos? qui barbariem liberalitati impoſuerunt, qui artes & disciplinas corruperunt, qui hiſtorias foedarunt, religionem & ceremonias non ſolum orationis putido genere; ſed etiam

im-

imperitis opinionibus, remotis ab omni consensu doctrinae, & obscurarunt altercando, & defendendo inquinauerunt. Hinc proponendi pueris & horum scriptis imbuendae mentes adolescentum, vt pro puris foeda, pro latinis barbara; pro perspicuis obscura, pro compositis dissoluta in ciuitatibus audiantur? Quod igitur iudicium faciimus in malis, cur idem non retinebimus etiam in minus perfectis, minusque consumatis? At rerum studium verborum semper praestantius habitum est. Est plane eloquentis officium, rerum primum, post verborum curam suscipere. Vitiosum enim est dicere, quod aut inane sit, aut stultum: verumtamen quoniam ab oratore non modo sapientia; verum etiam verborum ornatus requiritur: separemus ista duo, quae natura ceteroquin coniuncta haerent. Sapientia iubet quaerere, quid dicas, vt verum, vt probabile, vt certum, vt acutum, vt disciplinabile, vt conclusione perfectum. Quid ornatus? vt significans, vt sonans, vt plenum, vt concinnum, vt ornatum, vt illustre. Sed si sapientia iubeat, vt ornatus rationem non habeam, puritate contentus sim, reliquum ornatum non affectem; liberari me patiar magnis laboribus, summis curis, diuturnis vigiliis: si vero etiam vt puritatem negligam, certe isti sapientiae, quamuis prouida sit, non obtemperabo. Sed si respondeat, magnum esse, praeditum esse doctrina: verum praeclarum ad eamdem, dicendi rationem & eloquentiam adiungere, & vtrumque ab optimis potius, quam inferioris ordinis auctoribus condiscere, optimeque labores in consummatissimis consumi; tum ego sapientiae consilium tamquam oraculum diuinitus datum, sequar. Eos igitur ego auctores pueris explicari principio volo; & eos in exercendi consuetudine primos legi, qui ad doctrinam adiunxerunt eloquentiam: non qui doctrina contenti,

ti, eloquentiam vel contemſerunt, vel ad eam non potuerunt adſpirare. Et quo magis prope aliquis ad perfectionem accedit; eo plus eum tempore ordineque antecedere placet, & in exemplis anteferri. Haec me cauſſa mouit, quamobrem Auguſtino Chryſoſtomum antepoſui: non quod Auguſtinus, non ſapientior, aut non diſertus; ſed quia minus diſertus quam Chryſoſtomus; & is tamen eruditus atque doctus. Chryſoſtomo primum temporis & linguae, non doctrinae & ingenii locum tribui: cum tamen huic ipſi Chryſoſtomo multos alios anteponam. In dicendi enim ſtudio non ſolum barbaros vbique fugere; ſed apte bonos etiã meliores ſemper oportet praecedere. Sed fortaſſis patũ candori tuo confidere videbor, qui haec tam ſollicite excuſem. Verumtamen quoniam magni referre puto, quo vnquaeque ordine legantur; viſum fuit etiam hic meam tibi exponere ſententiam: a qua te etiam non arbitror eſſe alienum. Feci etiam eo libentius, quod tu dulce nomen pacis eſſe dicis in tuis litteris, & rem ipſam ſalutarem. Scio quo in loco Cicero idem dicit & iisdem verbis ſentit: cuius loci formam hic conatus ſum exprimere, vt tecum ludam ῥητορικῶς. Et niſi caueas, non hinc procul ſumto exemplo rurſum ludam, ſi prius de domina Elizabetha, quod volo, & quemadmodum volo, repetam. Non enim obliuiſci poſſum, quod ad tantarum rerum, de quibus ſcribis, diſciplinam, etiam dicendi artem coniungat, eamque exercitationem colat, quae cum maxime hunc ſexum deceat; tamen a plerisque omnibus adſpernata iacet. Sed recte ſecum cogitat. Si enim corporis forma in virginibus puellis iucunda eſt; cur non orationis verecundae, pudicae, purae, pulchrae? Deinde ceterae virginum exercitationes, nere, texere, acu pingere, communes ſunt nobilitatis & obſcurae ſtirpis: ſaepeque ignobiles mulieres nobilibus artificioſius, laborare videmus: oratio-

nis

nis autem elegantiam in nobilitatis velle domiciliis habitare & praeclaris familiis; & vt veſtitu atque ornamentis ſic etiam ſermonis ſuauitate nobiles ab obſcuris differre; praeterea haec ipſa quae ſunt nobilium feminarum, praetioſae veſtes, gemmae, annuli & ornatus reliquus, fortunae eſſe tantum & in deterioribus naturis ſaepe adfluere: at oris elegantiam & vocis formam non poſſe ab animi pulchritudine ſegregari: atque id ſignum eſſe excellentis ingenii nobilisque naturae. Ac diuitiarum inſignia & ornatus domi ſolum illuſtria ſunt: vox vero artificioſa, poſteamque ſemel audita eſt, ſaepe ad exteras gentes atque nationes volitat, illisque eſt admirabilis. Quo magis ego dominae Elizabetae induſtriam probo: quae efficiet vt puellarum virginum & feminarum nobilitas, non ſolum generis antiquitate, ſed etiam doctrinae & ſermonis elegantia ſit aeſtimanda. Ergo huic ego conuenienter libellum miſi. ineptum enim eſt, in diuulgandis libris eos adpellare, qui ignari ſunt eorum, quae traduntur, aut qui eadem non maximopere amant. Et quoniam pro ſe liber loqui non poteſt; eſt enim indiſertus: tu ei deprecator ſis, quoties peccabit, & vbi non peccat, commendatur, & in vtroque patronus: praeſertim apud Eduardum regem, cui etiam exemplum mitto, vt tripartito defendatur patrocinio: primum duo ad dominam Elizabetam; deinde huius ad fratrem ſuum Eduardum regem: qui ſi ſua auctoritate patronus ſummus eſſe velit, quis meo libello beatior? Quantum ad me attinet, maximopere vellem Angliae placere. amo enim gentem hanc propter religionem, propter famam talis ac tanti regis, idque in hac aetate. Atque vtinam, quam religionem rex primis annis didicit, & concilium eius concordibus ſententiis conſtituit, eam poſſit & tueri & defendere & ſtabilire, vt non oppugnetur.

Quam-

Quamquam id ad deum, eiusque prouidentiam & numen pertinet. Sed id quidem reliquum est, vt quod instituí absque perturbatione aliqua non potuit, neque sine metu periculorum retineri potest: id ecclesiasticarum pecuniarum dispensatione, & morum disciplina, & religionis doctrina, & iudiciorum sanctitate, & ordinum consirmatione atque dignitate corrigatur atque ornetur. Sed minus iam timoris est, in hac concilii constantia: quod de religione decreuit, quod eam instituit, quod edictis stabiliuit. Vt autem idem permaneat, dum regnum atque religio requirit, & vt rex nulla frangatur temporum intemperie; id summis votis a deo, patre omnium mortalium & Christo omnium hominum seruatore precandum est. In quo negotio & qui in consilio regio versantur, laudandi sunt: & rex arrigendus ad constantiam, altitudinemque animi, vt neque consilium sui decreti poeniteat, neque regem taedeat periculorum, quae impendere videntur. Tribuenda igitur non solum pietatis & religionis & litterarum laus est iis, qui auctores fuerunt praeclarae emendationis: sed etiam fortitudinis, qui non extimuerunt ea pericula, quae propter prudentiam ventura prouidebant, propter religionem contemnebant. O sanctam curiam, quae honestatem atque religionem, vtilitatibus & vitae otio antepoſuit. Nati in hoc homines videntur, vt Angliae nomen renouent: vt in hoc regno angularis ecclesiae lapis locum suum rursus occupet, & refugium sit non solum nunc recipiendis atque defendendis, sed breui etiam emittendis atque ornandis angelis & nuntiis otii, litterarum, religionis, dignitatis in republica christiana. In impietate enim status rerum publicarum instabilis, in religione firmus solet sperari. Etenim nulla conuersio regnorum, nisi post religionis contemtum atque foedationem est metuenda.

Illo-

illorum igitur incerta respublica est, qui in turpi tudine vitae, etiam religionis atque doctrinae puritatem & sanctimoniam formidant. Qui vero haec suscipiunt & colunt & defendunt, hi cum nullo alio statu commutare rempublicam possunt, nisi cum diuino & coelesti, in quo perpetua sit & sempiterna felicitas. Nam huius vitae non solum reges & principes & magistratus caduci & breuis aeui sunt; sed ipsae etiam vrbes & respublicae atque regna breui momento & florentia claraque & collapsa dirutaque conspicantur. Haec aeternitatis felicitas bonorum virorum in omnibus ordinibus finis: in hac eorum praemia constituta sunt: quae nisi essent, quis sapiens in maximis laboribus & summis periculis velit pro patria sese deuouere & pro religione mortem oppetere? Quamobrem sapienter consuluerunt prudentissimi viri, qui id, sine quo respublica nulla stabilis esse potest, patriae recuperarunt: & quod posteris suis optare debuissent; id ipsi suo periculo suis constituerunt: & suam ipsi religionem atque pietatem patriae cum periculo praestare maluerunt, quam eam posteris absque periculo committere. Haec laus quouis triumpho praeclarior est, quae non caede hostium comparata est, sed pietate atque religione nititur: quae non hostium sanguinem, sed ciuium suorum sanctimoniam requisiuit: quae non nouas res adfectauit, sed amissas restituit. Postquam enim decretum de religione fuit, pax cum Galliarum regno constituta est, morum & vitae leges promulgatae sunt: emendata literatorum hominum gymnasia: adparuit rursus veritatis lux & euangelii lumen. Itaque de his bonorum virorum sermones nusquam silebunt, dum homines erunt, quibus cara religio est, & iucunda fortium virorum memoria. Quamquam huius facinoris vel potius sapientiae laus etiam multo maxima ex parte ad sereniſſimum regem Eduardum pertinet, in quo nisi senatus animaduertisset, simul

illorum igitur incerta respublica est, qui in turpitudine vitae, etiam religionis atque doctrinae puritatem & sanctimoniam formidant. Qui vero haec suscipiunt & colunt & defendunt, hi cum nullo alio statu commutare rempublicam possunt, nisi cum diuino & coelesti, in quo perpetua sit & sempiterna felicitas. Nam huius vitae non solum reges & principes & magistratus caduci & breuis aeui sunt; sed ipsae etiam vrbes & respublicae atque regna breui momento & florentia claraque & collapsa dirutaque conspicantur. Haec aeternitatis felicitas bonorum virorum in omnibus ordinibus finis: in hac eorum praemia constituta sunt: quae nisi essent, quis sapiens in maximis laboribus & summis periculis velit pro patria sese deuouere & pro religione mortem oppetere? Quamobrem sapienter consuluerunt prudentissimi viri, qui id, sine quo respublica nulla stabilis esse potest, patriae recuperarunt: & quod posteris suis optare debuissent; id ipsi suo periculo suis constituerunt: & suam ipsi religionem atque pietatem patriae cum periculo praestare maluerunt, quam eam posteris absque periculo committere. Haec laus quouis triumpho praeclarior est, quae non caede hostium comparata est, sed pietate atque religione nititur: quae non hostium sanguinem, sed ciuium suorum sanctimoniam requisiuit: quae non nouas res adfectauit, sed amissas restituit. Postquam enim decretum de religione fuit, pax cum Galliarum regno constituta est, morum & vitae leges promulgatae sunt: emendata litteratorum hominum gymnasia: adparuit rursus veritatis lux & euangelii lumen. Itaque de his bonorum virorum sermones nusquam silebunt, dum homines erunt, quibus cara religio est, & iucunda fortium virorum memoria. Quamquam huius facinoris vel potius sapientiae laus etiam multo maxima ex parte ad sereniſſimum regem Eduardum pertinet, in quo nisi senatus animaduertisset, simul

cum aetate & prudentiam eius ali, & grauitatem crescere, & religionis cupiditatem ſtudiumque confirmari, idemque adpetiuiſſe & poſtulaſſe, maiore cum periculo ſuscepiſſet id, quod inſtituit atque decreuit. Quocirca omnibus regni ordinibus gratulandum eſt. Regi, quod id, quod voluit, conſentientibus omnium in conſilio ſententiis obtinuit. Conſilio, quod rex idem voluit, & quod intelligit, nihil poſſe conſtitui ſanctius: populo, quod quoniam regis atque ſenatus auctoritas interceſſit, non populari motu, ſed reipublicae voce actum videatur, ſiquidem pars populi melior exoptauit: omnibus ordinibus, quod in hac coniunctione animorum diſſidia non ſint extimescenda, ſed pax atque concordia reflorescat: religio vera recolatur: euangelii vox ſalutariter reſonet: & Chriſti imperium in regno Angliae auctoritatem ſummam habeat. Haec commoditas, immo haec regni gloria tollere ex animis omnium metum debet, & regem erigere ad amplificandam hanc gloriam: & ſenatum cohortari ad fortitudinem: & populum ad caritatem & obſeruantiam excitare. Vt & regis auctoritas, & ſenatus conſilium, & populi placitum quaſi propugnaculum exſiſtat contra dolum, & inſidias, & vim communis dei hoſtis, a quo vinci non poſſumus, dum praeſtamus conſtantiam. Nam ſi moriendum erit, vita mortalis cum immortali mutabitur: ſi viuemus, quid praeclarius, quam in hac vita propter religionem, coeleſtem vitam repraeſentare? Longius euectus, Aſchame, ſum, quam volebam excitatus epiſtola tua: in qua iucundius mihi fuit regis atque ſororis laudes cognoscere, tametſi eas antea a multis audiueram, quam accipere C. Caeſarem: quem antehac non ita in nummis videram. Sed tamen gratum munus, & quia a te miſſum eſt, & quia vetuſtum, & quia eius imago, qui cum fortiſſimis & peritiſſimis & fortunatiſſimis imperatoribus belli gloria poteſt comparari. Vale. Argent. Nonis Sept. Anno CIↃ IↃ L,

SCHO-

SCHOLAE LAVINGANAE.

AD

D. PHILIPPVM LVDOVICVM

ET

D. IOHANNEM

COMITES PALATINOS RHENI

DVCES BOIARIAE cet.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS

WOLFFGANGI FILIOS.

IOHANNES STVRMIVS.

Nobile Lauingum muſarum commoda ſedes,
Te deus inſtituat, te deus erudiat.

* * *

En tibi truncus iter, mutusque per auia monſtrat
Hermes: mentiris, nuntius ipſe deum
Fidus adeſt ductor: muſae comitantur euntem:
Queis artes pandit caſta Minerua ſuas.

S. OSTERMANNVS,

Rect.

AD

ILLVSTRISSIMAE FAMILIAE
Principes, Palatinos Rheni, duces Boiariae,
& comites Veldentianos

D. PHILIPPVM LVDOVICVM

ET

D. IOHANNEM

clariſſimi ducis

WOLFFGANGI FILIOS

IOHANNIS STVRMII

PRAEFATIO.

MEnſe Decembri cum Neoburgi in Boiaria eſſem, & nobis induſtriam veſtram & praeceptoris veſtri Petri Agricolae fidem atque diligentiam probaretis: mirabar, tot de rebus vos & tam variis reſpondere poſſe memoriter, idque in tanta nobilium ac doctorum hominum corona atque conſeſſu. Nam & grammatica praecepta latinorum atque graecorum vna cum exemplis ſingulorum tenebatis; latinum nullum ſenſi vobis proponi potuiſſe ſcriptum, quod non ad verbum interpretaremini. De religione illiusque principiis reſpondebatis ita, vt nescirem, memoria veſtra magis, an pietas ipſa atque religio admiranda eſſet. Hiſtoriam temporum & antiquitatis memoriam inde a mundi exordio vsque ad noſtram aetatem & ad poſtre-

mum

mum Caesarem reuocabitis bene, vsque adeo, vt nullo in loco vestra haereret memoria. Quid de dialecticis & rhetoricis regulis atque exemplis dicam, in quibus nullum sensi a vobis necessarium praeteriri? quid de arithmetica, de qua respondebatis horis promeridianis? Quid die insequente? Quod vobis germanico vestitu propositum fuit; id romana veste subito ornatum atque togatum reddidistis. Quid de sermone gallico? Et legebatis, & interpretabamini, & scribebatis subito. Mirabar tunc, quid caussae esset, fratres duos adolescentes, Boiariae duces, apud patrem, apud matrem, quorum caritas multa soleat indulgere liberis, in tali & tanta aula, in equorum hinnitu, canum venatu, armorum strepitu, etiam in arena gladiatorum simul omnia facere posse, equitare, venari, cum gladiatore contendere, & ne quidem gladiatori cedere, & tamen tot tantasque res in litterarum curriculo esse adsecutos? Haec cogitans cum res alias animaduertebam in vobis esse, quae naturae vestrae atque ingenii sunt, & quarum pars ad doctoris vestri Agricolae pertinebat fidem atque officium, tum inprimis patris curam atque sollicitudinem in vobis educandis, cui ego primas tribuo in hisce vestris progressibus. Memini enim, nihil me, cum adolescens essem, magis retinuisse in litterarum studio & officio constantiae, quam *Wilhelmi Stur-*

mii patris mei de meis ſtudiis ſpes & exſpectatio, & matris quotidiana vota. Credo, in vobis eumdem eſſe caritatis paternae & pietatis veſtrae ſenſum, qui in me fuit: & ipſi ſenſiſtis patris occultum gaudium, quod lacrimae non obſcure indicabant, cum de tot tantisque rebus ita interrogaremini & ita reſponderetis, vt veſtram probarent & admirarentur, qui aderant, induſtriam, & praeceptoris confiterentur atque laudarent fidem & diligentiam. Magnam vim habet in adolescente, probatis moribus praedito, patris voluntas, ſpes, exſpectatio. Neceſſe eſt, magnum videri, quod parentum quotidianis ſuspiriis atque votis optatur liberis. Quantas vtilitates adferat doctrina litterarum, cum in hisce patris votis videre poteſtis, tum in conſtituendis ſcholis Lauinganis, qui Hornebachiano gymnaſio non contentus, quod magnos ſumtus quotidie flagitat, etiam hanc impenſam ampliorem facit, & ad ſermonis artes, ad grammaticos & dialecticos & rhetoricos magiſtros, etiam theologos adiungit & iureconſultos & phyſicos atque mathematicos. Hanc patris liberalitatemne dicam an pietatem? certe & pietatem & liberalitatem etiam vel comparare cum militari virtute, vel huic ipſi fortitudini clariſſimorum hominum anteponere auſim. Quid enim ni iſtud faciam, cum videamus in Carolo Magno gloriam bellorum, quae in Gallia, Aquitania, Italia,

lia, Hispania, Saxonia, Sarmatia, Pannoniis, apud exteras gentes atque nationes terra marique gessit, minus futuram fuisse praeclaram, nisi studio religionis & patrocinio litterarum magis fuisset illustrata? ita ipse erat doctus & ita litterarum atq humanitatis studiosus, vt sermonem patrium ad grammaticorum regulas reuocarit, viris doctis magna praemia proposuerit. Alberum Anglium, eruditum virum, secum esse voluit, & a se non discedere, & hoc comite fieri aliquot annis eruditior. Albinum Scotum, litteratum hominem, in Insubriam misit, & illum Ticini ludo litterarum praepositum. Clementem Scotum Albino aequalem, etiam bene doctum, Lutetiam misit: stipendia adolescentibus constituit, & collegium instituit quod non solum ex nobilium liberis, verum etiam ex plebe ciuium non locupletum filiis cooptatis constare voluit; quo vsque adeo delectatus est, vt probationi illorum adolescentum adesse voluerit. Probabatur enim in illis non solum memoria praeceptorum, verum etiam exercitatio, quae fiebat aut scripto subito, aut dictione subita, aut oratione meditata, aut versibus compositis, de quibus ipse imperator sententiam dicere potuit & dixit, si verum est, quod tradunt historici. In probatione Parisiensi quam honesta pauperum adolescentum laudatio, *agite pueri, pergite, vt cepistis, amplissima in-*

duſtriae praemia conſequi, qui meam auctoritatem ſecuti eſtis; veſtra ſint ſacerdotia, ex vobis episcopos deligam; ex vobis pontifices conſtituam: vobis hic honor tributus ſit, vt hic ad meam dexteram collocati atque conſpicui ſitis? Quanta vero ſeueritas in illa condemnatione nobilitatis: *vos vero belli & delicatuli, delibutis & compoſitis capillis adolescentes, qui parentum veſtrorum facultatibus nitimini, & nobilitati confiditis, & Caeſaris veſtri auctoritatem imperatorisque maieſtatem contemnitis, exemplum in vobis conſtituam meae ſeueritatis & veſtrae ignauiae. Hi inopes atque pauperes vobis in honoribus anteponentur: vobis etiam in praemiis praeferentur: deum teſtor, nullum vobis reditum ad honores & praemia patere poſſe, antequam in virtutis & diligentiae & verecundiae viam redeatis.* Quis non hanc disciplinam ſcholarum cum illa caſtrorum eiusdem imperatoris comparet? Militum enim disciplina ſaepe cum ipſis militibus atque imperatoribus cecidit: at ſcholae & gymnaſia & litterarum ludi poſtquam ſemel conſtitutam disciplinam habent; tamdiu eorum vtilitates ſentiuntur atque percipiuntur, quamdiu doctorum hominum, qui ex huiusmodi ſcholis egreſſi ſunt, exſtant monumenta. Admirandum eſt, in vno imperatore tot tantasque fuiſſe virtutes; ſed illud mirandum inprimis, quod rerum geſtarum & armorum non putarit ſatis magnam eſſe gloriam, ſi ſolis caſtris contineretur, niſi etiam in eruditorum hominum col-

collegiis homines armaret contra barbariem & mores improbos: armaret, inquam, legibus, moribus, institutis, artibus, doctrinis, disciplinis, praemiis, honoribus. Hoc enim litterae armis praestant, quod ex disciplina armorum nemo artes & disciplinas potest cognoscere, ex litterarum vero monumentis multi praeclari duces & imperatores exstiterunt. Egregius imperator, cui in re honesta nihil fuit satis. Non enim contentus hoc collegio, & hoc Clemente illius collegii praefecto; ex Sueuia etiam Valdonem magni, vt credibile est, nominis virum euocauit, & collegio quod ad fanum D. Dionysii est, quod ab vrbe Lutetia duarum horarum abest itinere, praeposuit, vel quod aemulos esse voluit Parisiensium Dionisianos istos; vel quod longinquum esse putaret, diei non horae itinere scholas inter se dirimi. Et optauit ille persaepe, *duodecim sibi Augustinos vel Hieronymos iuxta numerum prouinciarum, quae bello captae imperio Francico parebant.* Cuius voti si compotem eum deus illis temporibus fieri voluisset, quid aliud facturum fuisse putatis, quam vt his tam praeclaris gubernatoribus singulis in prouinciis scholas constitueret? simile ego consilium in fortissimo & clarissimo principe, patre vestro, laudo, qui ad Hornebachianum illud in Cisrhenana prouincia magistrorum & discipulorum collegium, etiam istud Lauingae addit in Danubiana amplioris coaedificationis, & maiorum

ſumtuum, & futurum discipulis atque doctoribus magis copioſum, quod veluti inſignis gemma in pectore Aaronis, ſic iſtud in patris virtutibus ſplendescet. Iſtud ego & curiis partitus ſum, & magiſtris atque doctoribus diſtinxi, & auctores praeſcripſi, & rationem docendi eam me indicaſſe puto, quam ſi praeceptores artium ſequantur; non dubium eſt, quin paucis annis adolescentes incredibiles ſint facturi progreſſus. Et quamquam noſtrae Argentorati ſcholae iisdem ſint coaedificatae praeceptorum fundamentis, immo haec Lauingana ex iſtis deriuata ſint; tamen habent haec veſtra, quae iam ad vos mitto, quosdam ſcaturientes fontes, quos a veſtris in noſtra prata in contrarias partes deriuabo, vt vtrumque gymnaſium alterum ex alterius videatur oriri atque conſiſtere initiis. Sed nolo hanc laudem ſolam patris eſſe, tametſi illius ſit propria, tamen velim etiam vos ad huius gloriae hereditatem accedere & veſtra beneuolentia atque auctoritate iſtud inſtitutum complecti, & ſuperſtite adhuc patre & incolumi, cogitare, & dum in hac vita non tam ſua, quam veſtra gerit negotia, adeſſe patri, & adiutores vos profiteri, dum deus patriq. & vobis hanc lucem concedit adſpicere. Eberhardus primus Wirtembergenſis princeps, primus eſt ſuae gentis dux adpellatus, magnae dignitatis illuſtriſſimum nomen ab imperatore eſt conſecutus, ſed dignitatis. Quod vero Tubingae artium collegium

gium & academiam constituit, id ad dignitatis nomen etiam testimonium addit pietatis, religionis, humanitatis, quae virtutes artibus atque doctrinis maxime excoluntur. Ergo & illustrissimum illum principem, & sanctissimum ducem si quis adpellet; vero adpellabit nomine. Illud vero maximopere laudandum, quod hanc paternam & auitam laudem liberi, atque heredes, & nepotes perpetuent. In Vlrico duce nihil est, quod me delectet magis, quam quod in suorum consiliorum constantia, hanc etiam praestitit mortalibus benignitatem, qui recuperato patrimonio suo, sua sponte statim de principio, eruditos viros ad se vocarit, *Philipp. Melanchthonem, Ambrosium, Blaurerum, Erhard. Schnepphium, Simonem Grynaeum, Ioachim. Camerarium*, & illorum consiliis hoc collegium ita legibus atque stipendiis instaurauit, vt neque Platonis academiae, neque Aristotelis lyceo, neque Stoae Zenonis videretur voluntate, & studio velle cedere. Hanc paternam atque auitam laudem clarissimus princeps, dux CHRISTOPHORVS, ita amplificat beneuolentia, studio, liberalitate, vt EBERHARDO auo patris nomen prope videatur eripere, & illius academiae parens dici debeat. Ad istud huius principis factum ego vos adhortor, vt quod pater prudenter & laudabiliter instituit; in eo patri adiutores sitis, vt ab illo, si vita dabitur, & a vobis confirmetur. Ac profecto quas laudes antea vobis dedi industriae & diligentiae, quam nobis Neoburgi probastis, idcirco illas vobis tribui, vt, si eas perpetuo esse vestras velitis, statuatis constantiam vobis praestandam esse in iis omnibus, quae a patre vestro, clarissimo viro & fortissimo principe, praeclare instituuntur. Primum igitur vestrae ego auctoritati &

be-

beneuolentiae ſcholas ipſas etiam atque etiam commendo: deinde magiſtros, quos pater delegit, *Simonem Oſtermannum*, moderatorem gymnaſii & rectorem idoneum, bene probatum virum iudicio, conſilio diligentia, grauitate, doctrina, memoria; *Celeſtinum*, theologum verae & antiquae doctrinae Martini Lutheri propugnatorem, graecis litteris eruditum, & hebraicarum minime rudem, & in patrum monumentis diligentem hominem; & *Cyprianum Leouitium*, mathematicum, qui cum omnia ſumma in hac disciplina conſecutus ſit, tamen multo maiora videntur ab ipſo exſpectanda eſſe; *Martinum Rolandum* medicum, huius Lycei veſtri doctorem phyſicum, cui ego diligentiae, doctrinae, induſtriae, verecundiae teſtimonium do, & do libenter, & verum do teſtimonium, & hos ego vobis commendo, & ceteros commendo omnes, quos habetis, & quos his adiuncturi eſtis. Reuerendus & clariſſimus vir D. *Ioh. Sebaſt. Pfauſerus*, concionator caeſareus, & eccleſiarum in prouincia Lauingana gubernator, ac *Conrad. Laetus* iureconſultus, homo diſertus, patrisq. veſtri illuſtriſſimi principis conſiliarius, (qui huius gymnaſii non minima pars ſunt) mea commendatione non indigent, cum eos ſua virtus & doctrina & in rempublic. merita facile vobis commendent. Sed quid me opus hortatore habetis? *Petr. Agricolam* habetis, illud ſuaue pectus candoris, diligentiae, ſtudii, induſtriae, doctrinae, quaſi parentem alterum in hac vita, certe educatorem illius, quae in vobis eſt, humanitatis, intelligentiae, doctrinae, memoriae, quarum virtutum egregia nobis, cum Neoburgi eſſemus, dediſtis documenta. Sed iam tempus eſt, vt de hisce ſcholis aliquid dicamus, quomodo hae curiis atque magiſtris diſtingui debeant, quae debeat inſtitui docendi ratio, qui explicandi ſcriptores, quae etiam praeceptorum in docendo, quae discipulorum in discendo officia, poſtremo quae genera ſint in hoc gymnaſio conſtituenda exercitationum.

SCHO-

SCHOLAE LAVINGANAE.

I.

OPtima & pulcherrima rerum publicarum armamentaria ſunt ſcholae philoſophorum. Philoſophia ſapientiae ſtudium eſt, cuius pars eſt praeſtantiſſima *religio*. Huius cupidi eſſe atque ſtudioſi cum omnes mortales debent, qui poſt hanc vitam vita volent frui ſempiterna; tum inprimis viri litterati, qui ſuo exemplo ſocietatem volunt hominum adiuuare. Religionis ſcientiam theologiam graeci nominant, quae ſanctitatem efficit, quae erudita diuinae doctrinae praeceptis, vitam conſtituit talem, qualem deus in prophetis nobis, atque apoſtolis ob oculos poſuit.

II. Praeter hoc beneficium, quod deus in hominum genus contulit, quod coeleſte & vere diuinum eſt, etiam res alias largitus eſt, vna cum illarum rerum artibus, & res certe eas perneceſſarias in hac vita, non ſolum vt tuto aetatem degant homines; verum etiam vt ſocietatem inter ſe vitae colant ſuauiorem. Quid enim tam eſt neceſſarium poſt religionis cultum, quam ſuus cuiusque focus: domeſtici lares, paternae ſedes? Itaque & res omnes nobis priuatim ſuppeditant diuinitus: a deo datae earumque rerum recta comparatio, & amplificatio atque cuſtodia oeconomice graecorum vocabulo nominata eſt: cuius veſtigia expreſſa exſtant a primis noſtris parentibus & patriarchis, cuius ſcientiam deſcriptam a graecis habemus latinisque eruditis hominibus.

III. Patri vero familias neceſſariae fruges ſunt, & boum armenta, & pecudum greges, & equorum aſinorumque ſubſidia. Itaque & aratores compa-

ran-

randi sunt, & conducendi pastores, & his illum mandare necessaria oportet: cuius rationis doctrinam Graeci *Georgica*, nominant; Latini *agriculturam*, quae & cognitione comprehensa est, & exerceri debet industria; & est notata a graeco Xenophonte & a Romano Catone & Varrone.

IIII. Atque hae duae artes necessitatis sunt, quibus addita honestatis & pulchritudinis gratia, morum scientia, quam *Ethicen* vocauerunt philosophi Socratici: quae a Graecis scriptoribus primis illis hominibus ante euangelii lumen praeceptis inchoata, apostolorum & theologorum doctrina perficitur. Sed & primi parentes nostri inde ab Adamo, & patriarchis vsque ad Mosen, Dauidem atque prophetas, etiam huiusce doctrinae egregia posteris, & praecepta tradiderunt, & exempla ediderunt cum ad viuendum, tum ad artem constituendam, non solum huius priuatae doctrinae, morum & religionis, quam singuli debent colere; sed etiam illius publicae constituendarum ciuitatum, de qua mox proponendum est. Verumtamen praeclara etiam illa, quae in Socraticorum, hoc est, academicorum & peripateticorum monumentis disputantur, & docentur, acute ab Aristotele, ornate a Platone, de summo bono, de virtutibus & vitiis, de bonis malisque animorum motibus. Hinc libri de moribus Aristotelis: hinc Platonis praeclari ac varii *dialogi atque sermones*: hinc M. Tullii libri *de officiis*, e virtutum quatuor deriuati fontibus: hinc *Tusculanae quaestiones*: hinc *academicae illius disputationes*, & *de bonorum & malorum finibus* excellens disceptatio.

V. Sed quia singulae per se non possunt ipsae consistere familiae, & mortales inter se alter alterius opus habent ope atque subsidio, & vita degitur non a singulis & paucis, sed a multis atque omnibus: dedit etiam deus publicas vtilitates omnibus inter se hominibus, vel necessarias vt viuas, vel commo-

das,

das, vt vitas iucunde, & hominum genera distinxit agris, ciuitatibus, regnis, atque imperiis: dedit etiam simul cum ipsis rebus, quae necessariae regibus atque imperatoribus sunt, rationem administrandi res publicas, cuius nobis primum patrum nostrorum prima & altera aetas, post orbis diluuium, Mosis atque prophetarum libri fontes aperuerunt, sed eorum riuulos inde a patrum sedibus Graecia in suas ciuitates diduxit: inprimis vero Athenarum academia, atque lyceum & stoa ipsa, in qua philosophi de ciuili scientia libros, & sermones diuulgarunt, quae ars *politica* est nominata: quae ita late diffusa est, & ita explicata ab his auctoribus, vt vna haec omnes artes complecti videatur. Ad hanc pertinent Platonis *sermones de republica*, & *de legibus*: Aristotelis item illi praeclari, qui *politici* dicuntur. Huius etiam partes sunt *libri de legibus* Ciceronis, ex quorum praeceptis profectae sunt Romae consulum leges, praetorum edicta, principum placita, prudentum & iurisperitorum responsa, & ipsa, quae dicitur, iurisprudentia, *νομικὴ* a Graecis vocata, sponsa ciuilis scientiae, quam politicen nominauimus.

VI. Hae quatuor, quas nominauimus artes, & harum artium res atque materiae, diuina beneficia sunt a deo data, & demonstrata patribus nostris, & nobis per manus quasi hereditario & perpetuo iure tradita. Harum prima sanctitatis est, altera domus & fundi, tertia virtutis, quarta potestatis humanae, quam deus dedit magistratibus, quicumque sint illi, siue ciuitatibus praefecti sint: siue regna administrent, siue imperia gerant. Principes enim societatis humanae diuinitus constitui, credendum est. Omnis enim potestas a deo est: & a deo traditum sibi gestat gladium iustitiae rerum publicarum moderator.

VII. Sed vt paterfamilias villico habet opus: sic haec

haec *ciuilis scientia* iurecconsultos requirit, quorum ars *νομικὴ* est nominata, cuius principium atque origo a duabus sumtum est dei tabulis, quas Mosesa deo accepit, & ad populum tulit atque promulgauit, longe sanctiores, quam illae duodecim Romae septemuirorum tabulae; longe etiam castiores, quam vel Lycurgi apud Spartanos; vel Solonis apud Athenienses *ἄξονες*. Sic enim illi duo legislatores vocabant legum suarum tabulas, ex quibus suas Romani confecerunt, & suis ciuibus, victisque a se populis ac gentibus promulgarunt, quas nunc aliis multis explicatas & dilatatas legibus iureconsulti sua auctoritate & prudentia custodiunt, & magistratus in melioribus rebuspublicis retinent. Ac quoniam reges habemus, & principes viros christiani nominis, quorum & maiores bella gesserunt pro religione & aris, non minus quam pro focis & sedibus maxima; & nostris regibus, & imperatoribus, idem non deest studium, vbi eiusmodi respublicae sunt; his etiam theologiae studium committimus & concedimus, vt ciuilis scientia, quam *politicen* nominamus, omnes comprehendat artes atque doctrinas, easque defendat & amplificet, optimos in hac sententia auctores secuti non solum Aristotelicos, sed etiam scriptores sacros, in quibus Paullus apostolus est: cuius illa lex perpetua est, *omnis potestas a deo est. & in quocunque anima & spiritus est, hunc aliqua regi potestate superiore, necessarium est.*

VIII. Ergo vt iurisperitos & eorum doctrinam intra vrbium & ciuitatum moenia includimus, sic etiam *medicos*. Nam & Hippocratis ope Graecia in peste opus habuit: & Galenum romanum exercitum, & castra sequi oportuit: & noti sunt Homerici illi duo Podalyrius atque Machaon; & ipse Homerus medicum multis aliis ciuibus antepositi, & in sacris libris traditur, non dari, sed creari medi-

medicum propter morborum curationem, & medicinae neceſſitudinem.

VIIII. Ac quoniam magiſtratui gladiusa deo datus & conceſſus, immo traditus atque concreditus eſt, non ſolum illo vti debet domi contra ſcelera ſuorum; ſed foris etiam ſe ſuosque poteſt contra vim atque iniurias ſaepe defendere: quod ius regum & imperatorum inprimis eſt. Hoc gladio & iuſte vti debet & adhibere ſcienter. Iuſtitia legibus tradita eſt, ſcientia *arte* comprehenſa eſt *militari*: quae πολεμικὴ propter belli rationem, & propter imperatorem atque exercitum στρατηγητικὴ a graecis ſcriptoribus nominata eſt. Latini eam a militibus *militarem* vocant *ſcientiam*, non ſolum, quod ad belligerandum miles neceſſarius ſit; ſed etiam, quod exercitatione & conſuetudine & vſu militum ſit amplificata atque perfecta diſciplina militaris.

X. Sed res priuatae atque domeſticae ſingulorum, patrum familias clauſae ſunt parietibus; ciues vero omnes murorum defenduntur terra propugnaculis, mari claſſe: quas ad commoditates *fabris* eſt opus idque peritis, quos *magiſtros*, *architectos* etiam latini nominant: graecos imitati, apud quos *architectones* ſunt, quorum ſcientia Athenis architectonice nuncupata eſt: Romae architectura, firma & vtilis & elegans aedificandi ratio.

XI. Ac quas ſupra propoſuimus artes, exercitationes, & labores, ſudoresque requirunt, & verſantur in hominum frequentia. Sunt autem aliae, quae otii eſſe videntur & quietis: cum tamen otio atque ignauiae grauiſſime aduerſentur; & nulla re magis, quam induſtria colantur; & nulla re celerius quam deſidia tabescant, diligentiam ament, induſtriam excitent a ſtrepitu & turba, non a labore & vigiliis remotae.

XII. Has ſibi illi, qui ſe philoſophos nominarunt, Pythagorici arrogabant, & *phyſici* cognominari,

nari, & videri volebant: quarum vna est earum rerum, quae crescunt, & intereunt, quae generantur & corrumpuntur, de illis, quae in aere agitantur; vt sunt *fulmina*, *fulgura*, *tonitrua*, *pluuiae*, *niues*, *venti* & *terrae agrorumque motus*, *cometae*, & *ostenta coeli*; earum etiam, quae in terris latent, vt sunt *gemmae*, & *lapides*, *metalla*, *plantae*, & *herbae*, *frutices* & *fruges*, *animantia*, & *eorum partes*, *inprimis vero homo*; elementaque horum omnium, quam *physiologiam* primum vocari voluerunt. Cui cognatae *mathematicorum doctrinae*, quorum disciplina certis constat initiis progressionibus & extremis, quorum argumenta & conclusiones ἀποδείξεις vocantur, ob oculos positae, certae & firmae, & perpetuae confirmationes, quae refutari nullo modo possunt: in quibus vna numerandi ars est, *arithmetica* vocata, propterea quod illius materies sit numerus, in quo est ordo varius, qui addendo, & imminuendo, & multiplicando, & partiendo, & comparando, multiplicem considerationem requirit, & cum singulorum certa sit scientia, & doctrina, numerorum tamen varii existunt casus, atque conuersiones; necessaria ars in humana societate, omnibus necessaria; patribus familias; sed non aeque necessaria huius cognitio perfecta indocto, atque erudito est: aliter enim foenerator numero vtitur, aliter de numero loquitur mathematicus.

XIII. Huius artis subsidio maxime vtitur *astronomus*, cuius *ars* non solum *astronomica* nominata est; sed se adpellat ipsa *astronomiam*: idque & videri vult iure, quod peraeque scientia haec & huius scientiae professio certa sit, atque ipsi certi sunt & perpetui siderum ortus, & occasus, vicinitates, & interualla, lunae solisque cursus, lumina & defectiones; immo certi etiam esse volunt, non incerti, qui artem perfecte tenent, astrologi rerum futurarum

prae-

praenuntii, quorum ars προγνωστικὴ est adpellata, qui praedicere possunt non solum illa, quae nominauimus, vt ortus siderum, stellarumque, & occasus, lunae & solis defectiones; sed sterilitatem etiam & inopiam humorem, & siccitatem, tempestates & exundationes annorum salubritates & pestes.

XIIII. Atque etiam certa est *geometria*, corporum dimensio, spatiorum consideratio, figurarum animaduersio, quam longa quaeque res sit, aut breuis, quam alta aut humilis, cum per se aestimata, tum cum aliis composita, istud videre atque intelligere, geometrae officium est. Quae scientia quam sit vtilis, in vno Archimede potest intelligi, cuius industria & ars prope plus potuit in vrbe Syracusis defendenda, quam exercitus Marcelli in eadem oppugnanda, vsque adeo, vt ars etiam cum ipsis fatis, & ingenium cum potentia non solum calliditate, sed etiam robore pugnasse videretur.

XV. His artibus, quae otii sunt, & quidem otii liberalis, ἐλευθέρων γὰρ ἀγαθὸν scientia est, his, inquam, doctrinis etiam voluptatis caussa addita est *musica*: quae vt numerandi scientia de numeris iudicat; ita haec de sonis & vocum varietate, dissimilitudine, concentione, spatiis atque temporibus praecepta certa & perpetua demonstrat, & in his quid acutum, quid graue, quid intermedium, quid longum, quid breue, quid moderatum sit, admirabili varietate considerat. Rerum istae sunt, quas commemorauimus artes, quarum domicilium in scholis philosophorum est, quas armamentaria diximus esse rerumpublicarum.

XVI. Harum omnium ancillae sunt, quae in alio genere latent rerum: & *logicae* nominantur, propterea quod ad sermonis & orationis pertinent praecepta, sine quibus neque mathematicus sua docere poterit; neque iureconsultus suas poterit de-

fendere leges, & theologus absque his ad populum nihil praeclare efficiet: neque aduersus haereticos tuebitur ecclesiam. Omnes hae tres necessariae sunt in republica, quarum vna puritatis est, altera veritatis, tertia eloquentiae. Est enim *grammatici* officium, purae orationis praecepta, & quasi regulas tradere; & *dialectici*, conclusiones veras a falsis distinguere, & argumentationum genera explicare: quibus necessaria a probabilibus, perpetua a caducis, integra a corruptis seperentur. Sed hanc *rhetores* veritatem exornant splendidius: defendunt fortius: commendant suauius, & efficiunt, vt qua re homines ceteris praestant animantibus, eadem re homo hominem antecedat: ita, vt nullum admirabilius esse videatur hominis inuentum & opus, quam diserta & eloquens prudentia, siue prudens, & sapiens eloquentia. Hae sunt humanitatis praecipuae artes: quas liberales vocant, vocabulo Aristotelicorum, tum qnod liberos atque ingenuos homines decent; tum quod libertatem, qui ab his instructi essent, pace bona legum & dominorum beneficentia consequebantur: & quoniam seruiebant liberaliter, in libertatem sese vindicabant.

XVII. Omnia haec litterarum monumentis tradita & dilucide explicata sunt & in philosophiae quiescunt patrocinio: quae ex his omne genus contra animorum perturbationes pro eorum tranquillitate; contra mendacium pro veritate; contra famem atque inediam, & egestatem pro rerum copia; contra pestem & morbos pro sanitate; contra vim bellorum & pericula pro focis & aris; contra fraudem atque iniuriam pro cuiusque iure & libertate, deniq. contra miseriam pro felicitate arma atq. praesidia administrant. Quorsum haec tam vulgata & tam multa? vt finem ostendamus in scholis constituendis: ad quem litterarum magistris properandum est, & metam proponeremus litterarum praeceptoribus, ad quam currendum est: & signum

subla-

ſublatum moderatores gymnaſii haberent, in quod colliment, neque ab eo oculorum aciem abſtrahi paterentur, quoties discipulos erudiunt. Nihil enim legitur, aut docetur, quod non artis alicuius ſit, & ad artem referri non debeat.

XVIII. Sed non eo, quo commemoraui, ordine artes docendae ſunt: verum ab illa principium ſumendum eſt, quae omnium minima eſſe videtur, & cuius minima frons adparet; pectus vero habet ampliſſimum, quae *grammatica* dicitur, quae clauem gerit, & ianuam aperit aulae & palatii philoſophorum. Nulli enim vel in Platonis academiam, vel in Ariſtotelis lyceum, vel in Zenonis ſtoam conceſſum eſt inſpicere, qui huius doctrinae expers eſt. Nunc quoniam habemus, quod primum eſt, artium fontes atque riuos, ad quos ludorum magiſtri, inde a prima curia vsque ad ſupremam debent referre omnia, inueſtiganda etiam media erunt, & ab his proficiscendum ad extrema.

XVIIII. Ergo ordine opus eſt: & quoniam liberalia ſunt haec humanitatis ſtudia, ordine opus eſt aperto & eleganti: quam εὐταξίαν graeci nominant, hoc eſt, ordinem bonum. Bonum autem hic vocamus, quod prolixitate non fatigat, & breuitate non obſcurat, quod ſuauitate delectat: & faſtidio non imminuit, discipulorum induſtriam, deniq. quod meliora deterioribus anteponit, vt adoleſcens non ſolum doceatur, ſed etiam doceatur breuiter & breui ratione, facili & ſuaui, & ipſe magiſter non modo celeriter intelligatur, verum etiam ametur vehementer. Damus igitur primum tempus docendi, locumq. primum *grammatico*, qui fundamenta ponit ſermonis puri, ſecundum locum *dialectico*, & *rhetori*, quorum alter veritatis regulas tradit, alter dicendi explicat diuitias, quoad discipulorum natura atque facultas patitur. Vulgatum enim illud eſt, quod in rhetorum ſcholis dicitur, *auditorum auribus oratorem*

rem prudentem regi, si velit animos illorum regere. Idem faciendum cum omnibus philosophiae doctoribus, tum inprimis his tribus magistris, qui linguam erudiunt, vt gustandum non porrigant: quod imbecillae aetatis linguam offendat amaritudine, & ventriculum laedat crudi:ate.

XX. Neque enim me mouet, quod dictum est, radices litterarum amaras esse, sed fructus vberes. Omnino enim existimo, & reipsa comperi, nihil amarum in litteris, si facile intelligantur. Ego medicum laudare non possum, qui seminum & radicum & medicinarum fastidia suauioribus rebus salubriter non potest occultare atque corrigere. Quamquam id vitium non tam hominibus adscribendum est, quam ipsis temporibus, quae saepenumero auctoritate plus quam veritate possunt: tyrannis est, non doctrina in vitiis defendendis vetustatis auctoritas.

XXI. In constituendis igitur scholis & emendandis vitiis, videndum est primum, quid vitii sit in temporibus. Consuetudo enim plurimum potest in vtramque partem bonorum atque malorum. Quanta barbaries confirmata fuit nostra aetate ante annos quinquaginta in scholis grammaticorum, dialecticorum, rhetorum, iureconsultorum, medicorum, quanta immanitas impietatis, specie pietatis in religione? in omnibus his adhuc multae, & magnae sunt reliquiae, & noua incipiunt irrepere vitia, quae si radices agerent, mala sensuri essent nepotes nostri: & pernicioſiora & diuturniora, quam nos sensimus, quorum vitiosissimum tamen fuit saeculum. Exemplis ista ostendere non est necessarium: adparent enim magno multorum hominum & prudentium virorum dolore, neque exempla produci possunt, vt non offendant.

XXII. Sed non in temporibus solum considerare debet magister bonus, quid probum sit & quid vitiosum,

oſum, verum etiam in pueris. Multi ſunt, qui memoria valent; tarde vero intelligentia adſequi poſſunt, quod memoriae mandandum eſt. Multi ad intelligendum excitatam naturam habent, ſed memoria fragili ſunt & fluxili praediti. Alii propter deſidiam a ſtudiis abhorrent, quod genus peſſimum eſt: alii propter familiaritates, aut monitores domesticos induſtriam remittunt, & ſeſe corrumpi patiuntur: alii ſunt, qui non litterarum ſed ceterarum rerum ſtudiis delectantur magis: alii celeriter fatigantur, ſed multa breui adſequuntur: alii laborem ferre queunt, ſed adſequi nolunt, quod queant.

XXIII. Omnia haec vitia a magiſtro bono & moderatore perito notanda ſunt, atque corrigenda, ſed modo bono & ratione amabili. Caput praeceptionis eſt, vt quales praeceptor discipulos eſſe velit, talis ipſe eſſe videatur. Qua in re etiam domi peccatur a parentibus vsque adeo, vt ſaepe pueri natura boni parentum labe inquinentur. Sed in magiſtro & doctore vitia quaſi in loco conſpicuo propoſita ſunt, vt & virtutes. Adpareant igitur in doctore & exſtent, & in oculis omnium puerorum verſentur vigiliae, labores, lectiones, ſcriptiones. Adferat quotidie aliquid ad discipulos ſuos, tanquam ad filios bonus pater, quo teneras mentes refocillet & nutriat. Conſideret, quam auide auiculae implumes escam excipiant, quam diligenter parentes adferant, quam crebro & quam aſſidue auolent, quam adcurate cuſtodiant ab inedia & fame, a pluuia, & aeris iniuria, ab inimicis beſtiis, incommodisque ceteris, quae his beſtiolis accidere poſſunt. Sed feras beſtias natura impellit ad quotidiana officia, hominibus, quo ratione plus poſſunt; eo diligentius enitendum eſt, ne a beſtiis brutis ſuperentur.

XXIIII. Duae vero res ſunt praecipuae, quas in litterarum magiſtro requirimus, *diligentiam* & *modum*: quarum alteram graeci φιλοπονίαν vocant;

alterum μέθοδον, sine qua illa, quae supra posuimus, vitia corrigi non poterunt. Doctrinae non memini: non enim est opus meminisse: qui enim magister sit, qui non sit illis rebus eruditus, quas aliis constituit tradere?

XXV.

DE CLASSIBVS.

SEd docendi modus inchoandus est instituto gymnasio bono: & partienda discipulorum frequentia & multitudo est certis ingeniorum gradibus, quas classes, & curias, & tribus vocant; exemplo magnorum populorum, eorumque vocabulis. In his primos vocamus, qui primum doctrinae locum obtinent, & primam curiam, classemque, vel tribum his damus: qui vero in secundis tertiisque consistunt; his secundam, tertiam, quartamue aut quintam concedimus sodalitatem. Veluti enim sodalitia sunt & societates condiscipulorum, huiusmodi scholarum collegia & condiscipuli sunt, qui in eiusdem disciplinae sunt societate.

DE QVINTA CLASSE.

XXVI. Placet igitur temporis caussa *Lauingarum collegium* quinque in partes diuidere & in quinto gradu collocare, qui neque legere possunt, neque per se possunt quidquam cognoscere. Hae cunae sunt nostrae domus atque familiae, in his iacet noster heres & particeps. Agricola spem in herba sua positam habet: paterfamilias vagientem in corporis adhuc cunis infantem gaudet, suauiter a matre atque nutrice educari, & heredem qualem optat, exspectat: at ludimagister bonus tamquam alter parens, immo nouae naturae genitor, balbutiente adhuc delectatur adolescentulo, & suum ludum pro cunis habet, & paruulum adolescentem pro infante filio habet, cui det doctrinae escam, quem enutriat salubriter, quem afficiat suauiter; cui praemasticet, quod edendum est, ne quid ventriculo noceat, ne vllo cibo crudo stomachum pueri stomacho faci-

at.

at. Hic igitur adolescentulum, simul ac sextum annum ingressus est, ad se fouendum, & curandum & educandum atque erudiendum tamquam nutrix suo sinu excipiat: & suum ludum maternum gremium esse existimet, quem lactet, quem purget, quem refocillet, quem fasciis tueatur, quem vestiat, quem philosophice induat.

XXVII. Inde igitur a principio intueri debet in illam, quam proposuimus, artium partitionem, neque ab ea oculos diuertere, sed non ad illius mysteria accedere, & nimis alte ingredi adolescentulum volet, ne homo in brutum animal, & Actaeon in cornutum ceruum, amisso ingenio, commutetur & arrogantia absque ingenio, cor absque animi robore adpareat, noxiae sunt alae Daedali mature ad res graues, & difficiles, & arduas progrediendum est. Sat cito fit, quod sat fit bene.

XXVIII. Is igitur puer, si domi precari deum didicit, si symbolum ecclesiae catholicae tenet, si memoriter recitare potest ambas tabulas patrio sermone; non opus est latino aut graeco catechismo puerilem onerare industriam: quae leuanda est, & liberanda omni molesto pondere. Satis est, si quae domi accepit, in ludo isto non obliuiscatur. Sat precatur pie, qui patria sua lingua precatur: aeque cuiusque sua patria lingua deo grata est, atque illae sunt, quas volumus adolescentes condiscere.

XXVIIII. De principio ergo proponantur huic adolescentulo litterarum formae, easque, quoad eius poterit fieri, adsuescat pronuntiare sono romano, ne quid sonet peregrinum. Habet enim gens sua quaeque linguae vitia, quae non sentiuntur nisi ab exteris. Obseruaui Hispanos, qui Louanii eruditi essent annum vnum atque alterum, eruditius & recitare carmina, & orationem solutam sono suauiore, quam alii, qui recens aduenerant: & ipsi Louanienses, & Belgae consuetudine Hispanorum sonum vocis, atque litterarum efficiebant meliorem

atque volubiliorem. Neque in hoc initio videtur litterarum obscura partitio tradi debere, quam ea aetas non potest intelligere, aut quae potest per se intelligi: modicis discendo & audiendo factis progressibus, & diuisa sunt tempora, quibus haec indicari possunt & debent.

XXX. Quamobrem cognitis litteris statim ad nominum inflexiones ducendus est, in quibus casuum & ipsarum inflexionum ordo retinendus est, & obseruanda extremarum syllabarum varietas. Neq. inflectere puerum nomina & verba solum, multum oportet; sed etiam multa: & cogitet praeceptor aliter legendum esse, aliter inflectendum. Locum igitur habeat Plinii consilium in lectionibus: in verborum vero coniugationibus & nominum declinationibus Quintilianum sequamur, qui puerum inprimis vult scire declinare nomina, & coniugare verba. Haec scientia in hac aetatula exercitatione, & consuetudine quotidiana & continenti comparanda est, non artis demonstratione, more mathematicorum, & dialecticorum. Aliud enim mathematici officium est, aliud grammatici in hac aetate, & in hoc principio, in quo omnis vitanda est obscuritas, omnis etiam prolixitas praeceptorum.

XXXI. Inde ab isto exordio duplicem debet habere praeceptor finem earum artium, quas supra posuimus: vnum, qui trium est artium sermonis puri, veri, diserti; alterum earum doctrinarum, quae sunt rerum, siue ad mores illae pertineant, siue ad naturam: & ex illis artibus vocabula conquirere, eaque in ordinem cogere, & distribuere discipulis. Quocirca cum primum ingredietur in gymnasium infans, videri sibi debet in alienam ciuitatem ingredi: ignotam non solum moribus & institutis, verum etiam lingua, atque sermone; verum ita, vt ingrediens in vrbem velut mystagogum habeat, qui mysteria vrbis hospiti indicet: & humaniter excipiat aduenientem.

XXXII.

XXXII. Nuda igitur vocabula rerum proponenda ſunt in hac curia: & illa inprimis, quorum genera didicit inflectere, qua in re locupletandus eſt puer, ſed vt non hac pecunia grauetur, & locupletandus pecunia probati argenti, atque auri, & notae melioris. Liberalia enim eſſe hospitum debent dona, & munera, non barbara non ſordida. Origo eloquentiae delectus verborum eſt: delectus vero optimarum rerum eſt. Latina igitur ſint verba, & illius aetatis, qua optime locuti ſunt ciues romani, hoc eſt, inde a conſulibus & regibus vsque ad occaſum Ciceronis: cum quo ſimul ipſa videtur occubuiſſe eloquentia. Verba igitur ſumi & proponi debent romana, & latina, non barbara, & peregrina, ſed conſuetudinis quotidianae, & earum rerum, quibus vtimur, aut fruimur quotidie, & quotidie hominum ſenſibus obuerſantur. Ea enim verba & nomina notae melioris vocamus, non quae rara ſunt, & ſingularia, & quorum rarus eſt vſus; ſed quae conſuetudine trita & quotidie erant vſurpata romanis ciuibus. Inprimis vero aetatis noſtrae noua iſta licentia vitanda eſt, & haec noua verborum farrago, ſine delectu, ſine obſeruatione antiquitatis, immo absque aurium vllo iudicio. Nam tametſi adolescentulus iudicare non poteſt; neque enim Romani id vel Athenienſes potuerunt infantes iudicare, quid latinum, quid barbarum eſſet: tamen nutrices cum lalare illos adſuefacerent, iis verbis vtebantur, quibus Romulus & Remus vſi erant, & quibus conſules atque praetores vtebantur: non quae a Brutiis & Rhegiis importabantur in vrbem minus, quae Galli adferebant Aquitani, aut Celtae. Nutriat mihi Cornelia mater Gracchum, infantem ſuum, dum adhuc in cunis atque fasciis eſt; ſuo non peregrino lacte, & ex cuius vberibus nutritur ſalubriter, ex illius ore etiam ſonum accipiat verborum, ipſaque verba ſana, hoc eſt, latina,

na, non peregrina, non noua, neque insolentia, non e barbarorum scholis profecta.

XXXIII. Copiam verborum adipiscetur iste imbecillus discipulus, vt non oneretur, neque adgravetur; locupletetur tamen, si bona solum, vel etiam singula proponantur singulis vocabula quotidie, sed non singulis idem verbum, verum diuersum: neque enim ciuibus etiam vtile est, vnum tantum habere mercimonii genus omnes: res magna fit non vna aliqua sui particula, sed omnibus sui partibus; sic deus animantia constituit, sic hominem finxit, sic mundum condidit. Naturam rerum & deum omnium rerum fabricatorem atque conditorem sequi ducem & vtile est, & decet, & rectum est. In mercatura negotiatores, mercimonium & rerum venalium commutationem faciant: adolescentes inter sese rerum vocabula mutent, & commodent: alter alteri sua, & industria in comparando & parsimonia in reminiscendo, & liberalitate in communicando.

XXXIIII. Igitur vno eodemque die in vna curia vnus puer, qui primum locum occupat, sciat, quid sit deus, alter, quid mundus, tertius, quid coelum, quartus, quid ignis, quintus, quid aer, sextus, quid aqua, septimus, quid terra, octauus, quid animal, nonus, quid homo, decimus, quid bestia? Eadem ratio in reliquis retineatur curiis, vel iisdem retentis vocabulis initio disciplinae; vel ex alio genere rerum sumtis earum notis atque dictionibus, vt primus interrogetur, quid virtus sit, & vitium, alter, quid prudentia, tertius, quid iustitia & iniustitia, quartus, quid fortitudo & ignauia, quintus, quid temperantia & intemperantia. Hac ratione retenta, paucorum dierum assiduitate, die vno decem decuriae omnis generis merces bonas adferent, emtas a magistro propola, cuius propolium legibus concessum est, & instituto ciuitatis, prae-

praemiis debet honorari hoc genus vberrimi quaestus, & honestissimi lucri.

XXXV. Atque hic doctoris requiritur primum diligentia, tum scientia, postremo modus. Diligentiae est, nullum diem intermittere, quo non vel haec tradat, vel haec repetat, & quotidie has lineas ducat. Est etiam diligentiae, in sua ephemeride adnotata habere, quae verba quibus dederit, & quo die decuriis. Scientiae est, ex probatis auctoribus rerum vocabula sumere & res generibus comprehendere, & genera formis separare, & verbum latinum vocabulo germanico, si poterit fieri, vno, sin minus, paucis tamen & breuiter ita explicare, vt respondeat definitionibus philosophorum & eorum scriptorum, ex quorum artibus aut scriptis ipsa sunt sumta vocabula. Hoc enim modo labor docentis fiet leuior, & onerabitur ipse non grauiter; si ad optimos auctores confugiat, vnde mutuet, in re militari, ad *Vegetium & historicos*; in medicina, ad *Cornelium Celsum*, etiam ad *Ciceronem* in partibus humani corporis; in agricultura, ad *Catonem & Varronem*; in iure, ad *pandectarum libros*; in theologia ad *libros sacros*, inprimis vero *Lactantii & Hieronymi*. Ex Cicerone etiam multa possunt corrogari, cum propria, & natiua, tum conuersa & translata, & immutata & artificiose ornata, atque figurata, dilatata etiam verba, quae in religione nostra possunt esse illustria.

XXXVI. Sed quoniam omnibus rebus modus necessarius est: & moderatio ratioque requiritur. Modus primum vnus est, eum ordinem, quem ostendimus, instituere & sequi. Alter non plus properare, quam vires discipuli patiantur. Tertius, qui properationem potest adiuuare, memoriam non solum praesentis, sed etiam superiorum dierum renouare: id fiet primum interrogatione praeceptoris per omnes facta decurias voce clara,

vt

vt reliqui in tota curia etiam extremi queant exaudire. Quod in musica fit, vt omnes simul canant & audiant; id etiam in hac fieri debet arena, vt omnes simul vel pugnent vel spectent, hoc est, omnes pueri aut interrogent, & respondeant, aut simul audiant, quae respondeantur atque interrogentur. Vitiosa & detrimentosa ratio est, auri adolescentis vnius adstare, & non omnium aures interrogationibus & responsionibus feriri atque excitari.

XXXVII. Modo etiam bono faciet curiae praefectus, atq. praeceptor, si quod cuique vocabulum commisit: id ab eo requirat & requirat necessario, etiam mulcta proposita. Si vero de iis etiam, quae aliis commissa sunt, interrogatus adolescens bene respondeat; laude discipulum excitet, vt & ipse puer praemium industriae accipiat, praeceptoris praeconium, & reliqui exemplo vnius fiant meliores.

XXXVIII. Sed non solum ludimagister interrogare debet; verum etiam decurio, & cum coram praesens est magister, & antequam in scholas magister ingrediatur, & posteaquam e scholis egressus est. Componendi etiam inter se ipsi sunt decuriones, & alter in alterius conabitur septa transilire, & probare milites in alieno contubernio. Illud moderatius fiet, si praeceptor coram adsit, sed tamen absente magistro discipuli probãda industria est. Lutetiae consuetudo scholarum vtilis & vetusta est, horam vnam ante meridianam sumere, & alteram pomeridianam, quibus habitis scholis a magistris, singuli suos in atrio gymnasii retinent, vt inter sese disputent, & differant iis de rebus, quas eodem die aut superioribus audiuissent & didicissent a praeceptore.

XXXVIIII. Memoriam etiam adiuuabit, si generi alicui intermedio eidem subiectae formae adponantur, tamquam ancillae, aut pedissequae, vt iustitiae aequitas, amicitiae gtatitudo, fides, prudentiae ad latus dextrum ponatur sapientia, ad sinistrum

trum prouidentia, rerumque vſus, qui poſitus eſt in experiundo res quoditianas, & praeteritarum rerum, atque factarum memoria. Hac ratione genus interimedium a comitibus ſuis inſtructum, ſi prodeat in medium ludi, mirabile eſt, quam illustret intelligentiam, & memoriam ſtabiliat. Id cum in huiusmodi rerum verbis fiet: quae res ſub ſenſum aliquem non cadunt, tum praecipue in illis, quae ſenſus mouent cum aliqua voluptate. Vt ſi in ludum egrediatur, e culina coquus cum ſuis adminiſtris, & ſua adferat inſtrumenta, ſuosque victus atque cibos venum exponat, & nominatim, quanti ſingula aeſtimet, promulget. Architectus ſi prodeat cum ſua copia inſtrumentorum, lapidum, lignorum, ruderum, calcis, arenae, formis aedificiorum an non ludus litterarum quaſi proſcenium erit iucundi ſpectaculi?

XXXX. Rationis etiam bonae eſt, ſuis vnumquodque temporibus fieri: quorum viciſſitudo mirabiliter fatigatas mentes relaxat. Quae vero memoriae mandanda ſunt, & ſunt prolixa; illa antemeridianas horas habeant diſtributas: quae renouanda; pomeridianis magis conueniunt exercitationibus.

XXXXI. Inter modos etiam ponatur, quae memoriae mandarunt vocabula pueri, ea notata a praefecto ludi, vbi legere pueri & litteras formare poterunt: quaſi ſingulari beneuolentia decurionibus, qui induſtria antecellunt, dare deſcribenda; ita auidius reliqui expetent condiſcipuli, & quod vni conceditur, id omnes ſibi etiam dari poſtulabunt. Sit ergo in hac curia primus labor in legendo & inflectendo, ſecundus in congerendis vocabulis, quorum delectus origo eſt eloquentiae: tertius ſcriptorum, de quibus nunc eſt dicendum, in quo illud praecipitur, vitare quidquid longum eſt in his incunabulis. Nihil hic longum eſſe debet, praeter quietem

tem nocturnam, qua haec aetas fraudanda non est: & praeter voluptatem honestam, sed magnitudo in voluptate aestimanda vtilitate est: tantisper recreetur, dum vtile est, & dum studia delectatione adiuuantur, & corporis requirit valetudo.

XXXXII. Quam longissimum esse cupio discipuli gaudium, & optandum est, numquam necessariam esse virgae & ferulae seueritatem. Pestes scholarum Orbilii sunt, sed tamen Catones volumus esse, verum blandos, dum virtus colitur, & officium non deseritur. Etiam Catonem aliquando decebat risus: & in virtutis laetitia ipse tristis esse non poterat. Sed haec de seueritate magistrorum: dicere autem institueram de scriptis & de libris, qui pueris sunt in hac tribu explicandi.

XXXXIII. Eiicio igitur ex his scholis, & ex hac curia in superiores classes remitto orationes Ciceronis, etiam breues; item libros philosophicos, & quidquid librorum est. Sententias vero admitto primum eas, quae singulis membris comprehensae sunt, *magnum vectigal parsimonia est.* Deinde quae binis absoluuntur, vt, *adulatio blanda habet principia, sed eadem exitus adfert amarissimos.* Has sequentur periodi trium membrorum, atque etiam quatuor: longiores etiam ambitus admitto, quos graeci πνέυματα & τάσεις & καταφορὰς vocant: sed facto interuallo, & iactis fundamentis declinationum atque coniugationum, cum nullum verbum erit, quod puer non queat flectere, & cum copia aliqua verborum erit conquisita. Sed hae prolixae circumductiones verborum atque sententiarum, superioribus magis idoneae sunt curiis: confirmata iam consuetudine inflectendi & traditis grammaticorum regulis, cum pure & latine loqui puer incipiet.

XXXXIIII. Neque solum has periodos esse volo de moribus, & virtute, & religione, ceterisque virtu-

virtutibus; neque contraria ſolum volo continere periodos vitia: ſed etiam rerum aliarum vocabula, quae eiusdem generis ſunt, & referuntur eodem, vt ſunt aedium partes, vt motus varii corporis humani, aut animantis, vt actiones animantium & hominum, vt mundus & mundi partes, vt domus & illius fundamenta, tecta, parietes, partesque illius praecipuae, vt cibi potusque genera, vt agricola, & agricolae officia, villa & totius villae distinctio, vt litterarum ſtudia, & illarum vtilitates, cuiusmodi eſt in oratione, quam Cicero pro Archia poeta habuit, optimum exemplum, de vtilitate, & ſuauitate litterarum. Quae de nominibus praecipio, eadem de verbis intelligo, quae commune genus habent, quo continentur. Vt in corporis actionibus agere, ſtare, ſedere, ire, redire, egredi, regredi, proficisci, reuerti. Vt in animi motionibus commoueri & perturbari, dolere, exhilarari, moerere, lugere, miſereri, irasci, odiſſe. Sed nomina verbis in oratione ſint priora, & a nominibus in hac curia ſumatur principium.

XXXXV. Vtile eſt etiam in hac claſſe, vna aliqua epiſtola complecti exempla omnium earum regularum, quae a grammaticis traduntur in ea parte, quae ſyntaxis dicitur. Nam tametſi ambitus illi verborum de rebus, & actionibus rerum, quae in natura ſunt, habent omnium praeceptorum exempla, tamen ad docilitatem pertinet, in vno ſcripto & pagella vna omnium varietatem intueri.

DE QVARTA CLASSE.

XXXXVI. Poſteaquam in hoc ludo his, de quibus locuti ſumus, exercitationibus, anno vno erit educatus puer, progredi illum volumus ad vicinam curiam, in qua euadet inſtructior, neque ſolum loqui discet, ſed etiam cognoscet, quomodo & qua de cauſſa vnumquodque dicatur: & quae ſint illarum, quas a primo magiſtro didicit, rerum partitiones. Ergo magiſter, qui hunc adolescen-

tem ex alterius manu & sinu excipiet, scire debet illius ciuitatis, hoc est, classis, vnde progreditur, mores atque instituta. Illa retinere, & in his nihil immutare, curare etiam atque prospicere, vt horum nihil, quae didicit, obliuiscatur; & quod in re familiari praecipitur, idem hoc loco diligenter retinendum est, vt partae res retineantur & conseruentur & accessio fiat & amplificatio opum atque facultatum. Eadem igitur praecepta retineantur, iidem libri, eadem diaria, idem modus interrogandi, eadem ratio accumulandi opes, atque facultates rerum & verborum.

XXXXVII. Hic igitur eam partem grammatices tradet, quam vocant ἐτυμολογικὴν, qua ostenditur, quot orationis sint partes, quid vnaquaeque sit, & quae res, & quot vnicuique accidant, siue quae sint in vnaquaque orationis & sermonis parte consideranda, in quibus praecipua sunt nominum & verborum inflexiones, & genera, quorum omnium exempla sumet ex illis, quas didicit rerum atque verborum circumscriptionibus, & quotidianis diariis, non ex aliis libris, non etiam ex illis, quae ipse traditurus est, antequam tradat, vt puer & intelligat, quot quantasque res sibi primo magistro compararit, & videat, quid ab illo hic nouus praeceptor reuocet, & quid de suo addat. Adiungetur ad hanc grammaticae partem ea, quae συντακτικὴ dicitur, in qua idem retineri, volo: quod in superiore, vt exempla sumantur regularum, e primis cunis primoque gremio.

XXXXVIII. In vtraque parte & breuitatem esse volo, & perspicuitatem, cum in libris, qui proponetur, tum etiam in praeceptoris industria. Hic enim tribunus & huius curiae praefectus, & interpretandi ratione, quae singulorum verborum est, & illorum explicatione, quae fit exemplis & iteratione atque geminatione eadem hora, & repetitione

ne

ne atque renouatione insequentium dierum: & reuersione, quae fit, temporum, vel potius dierum interuallis, id adsequetur, atque id efficiet, vt puer & celeriter comprehendat, quod docebitur, & crescente copia non obruatur, & multitudine augescente non debilitetur, sed stabiliatur memoria.

XXXXVIIII. Obseruabit idem magister, quid Valla, quid Linacer, quid Adrianus cardinalis, quid Budaeus, & lexica tradant: quae ad has duas grammaticae partes pertineant. Sed ostendere debet absque auctoribus, & eorum libris, etiam absque dictatis, quae verba latina, quae barbara, & quae verborum atque nominum consecutiones purae: quae impurae, & quae vocabula rerum, & qui loquendi modi vsurpabantur, Ciceronis atque Varronis aetate, & quae addita ad consuetudinem, Plinii & Quintiliani temporibus. Teneat etiam absque horum librorum interpretatione, vetustum esse, cum dicitur, *contra vero sentiunt*, & minus fuisse vsitatum, *e contra vero sentiunt*. Sciat puer latinum esse cum dicitur *veni ad me quam primum & quam celerrime*. At barbarum si dicatur, *quam primum Cicero in vrbem e Cilicia rediit, salutauit illum, & est complexus in medio foro*. Qui enim latine loqui volunt, *cum primum*, inquiunr, *in vrbem rediit*. Quaecunque huiusce sunt generis & singularem naturam habent, decerpi ex aliorum debent disputationibus: sed eas explicare neque necessarium est, & est prolixum; & doceri possunt meliora. Sed neque omnia, quae huiusce generis sunt, in hanc tribum comportari debent, quaedam enim superiori proximae & vicinae tribui sunt relinquenda: si aliquid habeant difficultatis, quam haec curia ferre non possit.

L. Atque haec de praeceptis & grammaticis regulis in hac classe: nunc de libris & scriptoribus, inter quos nemo melior Cicerone: cum propter res, quas explicauit, tum propter copiam, inprimis vero propter puritatem sermonis Romani. Perpetuum

hic poterit esse exemplum etiam in illis rebus, quas ipse in suis voluminibus non pertractauit. Non enim res similes & eaedem eamdem atque similem tractationem atque perpolitionem habent; sed etiam plerumque diuersa & contraria negotia, sub eamdem formam atque speciem cadunt, collocandi, argumentandi, confirmandi, amplificandi.

LI. Sed quia in classe inferiore proxima saepe fit, vt non omnia, quae optamus, anno vno perfici possint, vel propter ingeniorum tarditatem, vel propter temporum iniurias, quae bella & morbos & conuersiones varias adferre solent; retineri volumus in manu & sinu adolescentis illud periodorum, & exemplorum volumen: & quod in illa tribu absolui non potuit; in hac curia volumus consummatum explicari. Saepe etiam fit, vt etiamsi in inferiori percurrantur, tamen hic necessarium sit reuocare ad intelligentiam, & explicationem meliorem.

LII. Deinde quemadmodum ex inferiore illo gradu puer adscendit ad altiorem bene instructus copia verborum & formularum, quibus sententiae variae exprimuntur, & quibus pro exemplis hic maioris doctrinae magister vti poterit; ita etiam ex hoc loco adolescentem volo egredi, & secum adferre exempla varia periodorum, argumentorum, conclusionum, ornamentorum, comprehensa vno volumine, quibus in superioribus vicinis tribubus adiuuetur, in quibus rhetorum praecepta cognoscet & iisdem ille rhetor vtetur, dum suppeditabunt, cum defient, de suo penu adferet, quibus educet discipulum. Tam diu vero, quae antea didicit puer, reuocare & renouare debet huius loci doctor, quam diu vel non satis intelligit adolescens bene; vel non satis bene meminit: tam diu vero de suo addere, & alia ex Cicerone conquirere ad hoc volumen; quam diu puerum sentiet proficere, vt in pueris copia verborum augeatur, & abundent formulis sententiarum, & ipsae praemon-

monſtrator exempla habeat, in quibus definitiones & partitiones, & regulas ſuas, & praecepta, atque conſilia explicet.

LIII. Ad hoc volumen adiungi volumus librum ſextum accuſationis Verrinae, qui variis refertus eſt rerum narrationibus. Nam quoniam hic fundamenta ponimus ſermonis latini & primae claſſis pueri verba ſingula cognoscunt, quam habeant potestatem, & coniuncta conſiderant, quam efficiant ſententiam, & ipſi breuibus ſententiis loqui incipiunt, poſtulando, mandando, interrogando, optando, deprecando; hic paullo adſuescent copioſius loqui, non praeceptis ſed exemplis, cuius facultatis initium eſt narratio. Nam tametſi perfecti artificis ſit, narrare & exponere aliquid bene; difficilius tamen eſt de re obſcura argumentari, quam rem factam narrando explicare & quid laudabilius eſſe poteſt in puero? quam narratio confecta verbis pura, ſententiis ſuauis, intellectu clara. Hujus facultatis exempla prope omnia habet ſexta, de qua loquimur, Verris accuſatio. Hanc etiam memoriter poſſe recitare, non inutile eſt, ſed adiuuetur pueri memoria praeceptoris moderatione, quae fit non ſolum interpretando, ſed etiam repetendo, neque prius fatigetur memoria, quam res ſit bene cognita & iterata, atque aliquoties reuocata ad intelligentiam.

LIII. Iſti exercitationi recte accopulabuntur delectae aliquot Ciceronis epiſtolae, quo puer habeat, quod imitetur in conficiendis epiſtolis, vnde ſtilus ſumere ſuum ſolet principium, de quo illud hic ſatis eſt praecipere. Primum intelligat adolescens & credat praeceptori, maximas eſſe poſitas in ſtili exercitatione vtilitates. Hic enim ingenium acuit, memoriam adiuuat, verborum copiam augget & purgat, ſententiarum formulas varias ſuppeditat, facultatem dicendi ſecum apportat ipſe: hic

efficit, vt tarditas celeritatem, ſtupor acumen, natura impedita animum excellentem ſuperet: huic tandem nihil difficile, nihil arduum eſſe poterit: hic non ſolum in ea, quae videntur, ſed etiam, quae non videntur, penetrat: nihil reconditum in tenebris, quod ab hoc non proferatur in lucem, vt videatur, & intelligatur: hic nullum iudicem, tandem nullum condemnatorem metuit: ſe probat ipſe ſtilus, Ariſtarchos non extimescit.

LV. Confitendum tamen hic eſt, quod ipſi de nobis adolescentibus fenes meminimus, rem fuiſſe nobis plenam moleſtiae, atque faſtidii: ſed id accidit praeceptorum noſtrorum inſcitia & ignauia. Rerum difficultas magiſtrorum explicanda eſt induſtria. Itaque conſideret etiam atque etiam fabricator ſtili, vt ne ſuo vitio iuuenilis fundus calamitatem accipiat, ne magiſter ipſe pauperiem faciat, quam discipulus non pateretur, ſi habuiſſet praemonſtratorem, vel praemonſtratorem idoneum. Sit igitur hoc primum in praeceptis, illudque efficiat praeceptor, vt puer quotidie ſcribat aliquid, quotidie aliquid condat, & componat, quod mox depromere poſſit, vt de ſe loquitur poeta Horatius. Neq. enim ſatis id eſſe putet, vel alternis hebdomadibus hanc exercitationem aut ſingulis ſemel eſſe menſibus reuocaudam; ſed quotidie, vt propoſui, aliquid ſcribendum eſt, & adolescentis induſtria magiſtri induſtria & facilitate, & ſcientia adiuuanda eſt.

LVI. Facilitatis eſt, breuia argumenta proponere, id quod fieri ſolet patria lingua & ſermone quotidiano neque improbo: habet enim adolescens non quod inueniat, ſed quod ſolum interpretetur. Sed hic duo ſunt vitanda vitia, quorum primum eſt eorum, qui ambitus verborum faciunt prolixos, quos ne intelligentia quidem adſequi poſſunt adolescentes: de ſtilo taceo: alterum quod verba, & ſententiarum formulas non oſtendunt, quibus,

quod

commodare, & eadem saepenumero reuocare ad memoriam adolescentis, momentum magnum adferet, & ad facultatem & ad facilitatem.

LVIIII. De facilitate satis pro hoc tempore praecepimus, sequitur scientia, quam volumus praeceptorem adferre ad hanc stili exercitationem, vna cum facilitate. Scientiam vero liberalem & eruditam sententiarum inuentionem, qua efficitur, vt genus epistolae efficiatur liberale, acutum, graue, ingenuum, suaue non solum verbis, verum etiam sententiis, qua adsiduitate stili adolescentulus id adipiscetur, vt vel vltro similis facultas cum eo coalescat, vel si non sua sponte statim haec sequatur, tamen sibi non satisfaciat adolescens, nisi similia conficiat: &, vt conficiat, conabitur, neque desinet antequam ad eum perueniat locum doctrinae, in quo vidit magistrum constitisse.

LX. Prodest etiam epistolam aliquam Ciceronis breuem, aut partem epistolae, aut argumentationem aliquam non longam, aut narratiunculam, aut amplificationem mediocrem ad verbum interpretari germanice, & puero proponere, vt transferat in latinum sermonem: hoc enim pacto adolescens, se non a magistro, sed a Cicerone ipso eruditi sentiet. Omnia autem ista in ludo & in scholis fieri debent coram, cum praesens adest magister: vt a condiscipulo aliquo doctiore non sumat, vt ex Cicerone non describat, vt habenis sui praeceptoris artificiose condocefiat.

LXI. In hac curia etiam fructuosum est, catechismum ex patria transferre in Latium, & latine respondere, quod in quinta curia germanice pronuntiauit, idque memoriter, remoto libro. Qua in re magister operam dabit, vt puritas retineatur sermonis latini, ne quod in germanica lingua speciosum delectet, in latina deforme generet fastidium.

LXII.

LXII. Meminiſſe oportet hic etiam duorum, quae praecipimus, primum, vt latine loquatur praeceptor, hoc eſt, vt verbis vtatur cum natiuis, tum translatis ad patrium ſermonem, niſi neceſſarium ſit, non decurrat. Neceſſarium autem erit, cum poteſtas verbi noſtrae linguae verbo exprimitur ſignificanter, & cum nouum aliquod verbum fit obuiam. Alterum praecipimus, vt talis eſſe videatur praeceptor, qualem discipulum eſſe velit: vt amet ſtudia litterarum, vt admiretur, vt conſilium det, vt exemplis excitet, vt adhortetur, vt ſtilum exerceat, vt aliquid a ſe conſcriptum, vel commentatum recitet, vt mane euigilet, vt absque libro non videatur, ne quidem foris, vt temperantia eius in cibo & potu, elegantia & morum ſanctitas conſpicua ſit discipulis.

DE TERTIA CLASSE.

LXIII. Hactenus latino lacte nutriuimus adolescentem; quaſi adhuc adhaerentem Corneliae vberibus Sempronium: in tertio vero gradu commutandus modice cibus eſt, & educendus ad aequales robuſtiores, ad poetarum & graecorum filios, vt his adſuescat colludere. Sed ita, vt ſocios ſuperioris ludi atque aequales non deſerat, neque obliuiscatur eorum, quae audiuit, didicit, egit locutus eſt: ſcripſit in duobus inferioribus ordinibus.

LXIIII. Ad ſuperiora igitur praecepta grammaticorum in hoc loco poetice adiiciatur, de ſyllabarum temporibus, de numerorum, qui pedes vocantur, generibus, de carminum formis: hic Virgilii Bucolica, & libri Aeneidos explicandi ſunt: hic odae Horatianae aliquot, aut epiſtola vna atque altera, aut ſermo aliquis vnus ſatyraue eiusdem poetae adiungatur, & religionis ergo, & propter carminum genera, prudentiam hymni & audiri, & decantari poſſunt: ſed de exercitationibus diuinis alius eſt praecipiendi locus relictus.

LXV. Hic etiam Graecorum inflexiones nominum atque verborum instituentur: hic ex graecis scriptoribus exempla & ambitus oratorum, vt Demosthenis, Aeschinis, Isocratis, philosophorum, vt Platonis, Plutarchi, Aristotelis congerendi sunt atque proferendi in medium. Hic Ciceronis libri philosophici, orationes etiam integrae recitandae & interpretandae, & adiicienda in latinis scriptoribus, quae antea non viderit, & amplificanda copia verborum, & rerum est, vt ante rhetorica & dialectica praecepta ab exemplis instructus sit, quibus haec praecepta euadant dilucidiora.

LXVI. Hic quoque audebit praeceptor ad grammaticas figuras, adponere rhetoricos verborum modos, hoc est, tropos, & verborum rerumque ornamenta, quae schemata nominantur: praeceptione modica, sed exemplis illustribus, quae ante didicisse & memoriae mandasse oportebit adolescentem, quam ad hunc locum conscenderit.

LXVII. Hic festis diebus, & pridie diei festi epistola aliqua Paulli & aliquid euangelicae historiae, & Basilii, aut Chrysostomi, aut Nazianzeni aliquod scriptum, graecae dapes, & sancta edulia sunt degustanda & manducanda salubriter ad linguae & ad mentis perfectiorem educationem.

LXVIII. Stilus aeque vt in superioribus locis, immo diligentia maiore acuendus, & exercendus est quotidie, nullo interposito dierum interuallo: sed magister adsit, qui moneat, qui excitet, qui consilium det, qui adiuuet, qui in eadem sit quasi laboris societate, vt adolescentem non pudeat conari: quod praeceptorem non piget efficere. Annum etiam in hoc ludo versanda adolescentum industria est, nisi fint aliqui, qui ante id tempus cursum perficiant, quod rarius accidit.

LXVIIII. Sed inde ab exordio huius ludi simul ac ingressus est in hanc palaestram adolescens, scire atque

atque meminiſſe debet ludi moderator omnium eorum, quae duo ante ſe magiſtri docuerint: neque pati, vt eorum memoriam deponant, ne minimorum quidem: maximum enim eſt totum id, quod neceſſarium eſt, ſed in his, quae neceſſaria ſunt, quaedam impreſſa retinent in memoria diuturnius veſtigia: quaedam vltro quotidie obuiam ſunt, quorum obliuisci non poſſunt: ſed nonnulla ſunt natura difficilia, & quaedam conſuetudine ſunt inſolentia, hic ſuam probabit induſtriam magiſter, cum fiet probatio. Optime autem probantur pueri, ſi is modus retinebitur, qui in aedificiis probandis retinetur, in quibus conſideratur non ſolum an bene aedificatum, ſed num etiam aliquid carioſum aut neglectum, aut praeteritum.

LXX. Sed haec caries aedificii in adolescentis memoria obliuio eſt, quae praeceptoris eſt depellenda diligentia, idque quotidiana, & quotidianis interrogationibus. Quamobrem non ſolum memoriam adferent ſuperiorum duorum annorum, ſed etiam librum, vt quod auari patres familias faciunt in custodienda pecunia, idem diligentes faciant discipuli in retinenda ſcientia, vt, quemadmodum illi aulas, hoc eſt, ollas argenti non negligunt, ita litterarum ſtudioſi ſua conſeruent diaria, quae ſunt quaſi horrea litteratae huius agriculturae.

LXXI. Atque iſtud eſt vnum in officio praeceptoris, cuſtodire, & retinere, & conſeruare ea, quae didicerunt; alterum videre, & conſiderare, atque etiam commentari, quae ſuperioribus addenda ſunt, & quae ſunt reliqua facienda in ſequentibus. Eſt etiam tertium: vt ne ſuperiorum definitiones, partitiones, & earum verba, nedum ſententias immutet, facilitatem in omnibus ſequatur, & quoad fieri poteſt, illud antiquum atque vetuſtum falſum ſua induſtria atque diligentia efficiat, *difficilia, quae pulchra*; falſum etiam oſtendat, quoad poterit,

rit, illud eodem pertinens, *amarae litterarum radices sunt.* Hae duae sententiae non tegumenta sunt delidiae in praeceptore, si puer impedietur, sed argumenta laudis, si falsae adpareant, & adolescens nihil arduum, nihil in vium inueniat. Turpe est, putare hos grammaticos conatus esse difficiles in graecis atque latinis, cum patrium sermonem prius adolescentes vsurpent, quam se didicisse sentiant. Hanc Romanorum & Graecorum facilitatem in nostras scholas, & ad nostram aetatem reuocari velim: quam putabo adeptos nos esse, si magistros non habeamus repugnantes, & sua industria adolescentum industriam adiuuent.

DE SECVNDA CLASSE.

LXXII. Secunda classis robustioris aetatis est, & iam exercitatum tironem, & prope militiae atque castris idoneum myrmillionem requirit: ad dialecticas contentiones & ad rhetorica praelia, non quod congredi cum aduersariis debeat, aut possit, sed quod institui queat harumce duarum disciplinarum praeceptis, atque exercitationibus. Nam ad hanc curiam adferre debet in sermone latino nominum, verborum, particularum, ac vinculorum copiam varietatemque omnem, praecepta nulla sint grammatices necessaria, quorum exemplis non abundet, & vsum teneat. In Graecorum lingua copiam atque doctrinam tantam, quantam anno vno magistri industria, & suapte diligentia adipisci potuit: idem de poeticis praeceptionibus, & regulis tenendum est. Illud vero inprimis flagitatur, vt poetica ab oratoriis verba, & eorum ornamenta queat distinguere, neque solum verba queat coaceruare omnia, quae vnius sunt generis, sed etiam deligere. Est enim origo eloquentiae verborum delectus: quam sententiam saepe soleo repetere: quoniam non satis praecipitur, quod non satis obseruatur. Obseruandum autem, & faciendum est, quod-

quodcumque neceſſarium eſt: eſt autem neceſſarium, & copiam habere vocabulorum, & horum delectus habere poſſe.

LXXIII. Et in hac claſſe ſupplendum eſt, quod videtur defieri: & explicandi ſunt graeci atque latini ſcriptores cum poetae, tum oratores, atque etiam philoſophici hiſtoricique libri. Terentium etiam his adiungerem, atque Plautinas fabulas aliquot, niſi meliorem rationem eſſe ſcirem, qua hi duo auctores familiares fieri atque domeſtici queant, & ipſi quotidie quaſi loqui in hisce ſcholis cum adolescentibus: de qua ratione praecipiemus eo in loco, vbi de exercitationibus quotidianis totius collegii praecipiemus.

LXXIIII. In his ſcriptoribus explicandis celeritas eſt adhibenda, & vitanda omnis mora illa non neceſſaria. Sed videntur mihi Romani duos habuiſſe docendi modos, quorum vnus erat celeritatis, & velocitatis, ſiue breuitatis, atque feſtinationis, qui erat poetarum, cum carmina & verſus ſuos recitarent, qui non conſiſtebat ſolum in lectione & recitatione, verum etiam in ſignificatione, vel acutae ſententiae, vel obſcurae, vel artificioſae: in ordinis etiam & collocotionis indicatione poſitus erat. Talis erat etiam ratio poetarum cum fabulas ſuas docebant comici, & tragici poetae, hiſtriones. Erat enim poetarum non ſolum dare pro pretio fabulas ſuas aedilibus, & magiſtratibus, ſed docere etiam comoedos & tragoedos verſuum ſententias: ſententiarum vim, verborum etiam, & ſententiarum obſcuriora ornamenta & poteſtates, ſed haec omnia celeriter, vt ante dies ludorum omnia eſſent adparata.

LXXV. Alter modus erat ſcholarum, quem oſtendit Iuuenalis in ſatyra ſua prima,

Semper ego audior tantum, numquamne reponam
Vexatus toties rauci Theſeide Codri?
Impune ergo mihi recitauerit ille togatas:

Hic

Hic elegos? impune diem consumserit ingens
Telephus? aut summi plena iam margine libri
Scriptus & in tergo, nec dum finitus Orestes?

Hanc rationem in vna aliqua diei hora, & vno aliquo libro, & in obscuritate concedo, sed tamen ita, vt in longa profectione magnis proficiscamur itineribus. Neque laudo Iuuenalis magistrum, qui discipulum suum vexarit, non docuerit, dictatorum prolixitate: prior illa ratio, quam ista altera iuuenalis, fructuosior est. Saepe etiam vtilius est, puerum vel ad verbum interpretari, vel sententiam libere conuertere, vel explicare pluribus, vel ad breuitatem contrahere, ita, vt praeceptor non praeeat, quae ratio celeritati est adpositissima.

LXXVI. Horas vero ita distinguo quotidianas in hoc ordine, vt vnam tribuam rhetoricae doctrinae; *praeceptis* scilicet *Herennianis*, in quo scriptore non solum ipsarum est praeceptionum vtilitas, sed etiam sermonis puritas. Sed hac hora velim etiam alternis poni dialecticorum fundamenta: aristotelicis definitionibus, partitionibus, regulis, quae a perito & diligenti magistro, facile colligi, & in ordinem cogi poterunt, idque verbis aristotelicis, non translatis atque latinis, sed graecis: quorum nativa potestas hac ratione retinebitur, & ipsa translatio linguam adolescentis non inquinabit & cum ad Aristotelis deducatur organum, non in alienam ciuitatem migrasse; sed in sua se remansisse putabit, & vt in Herennianis latini sermonis, sic in his graecae orationis, illa philosophica conseruabitur elegantia. Verum in Herennianis praecepta illa de memoria artificiosa concedo, vt legantur, & intelligantur, sed celeriter, vt autem exercitatione ista pueri vexentur, non probo: alia magis sunt necessaria, & obseruatio collocationis, & adnotatio argumentorum, eorumque tractatio, propositionum etiam, & rationum & conclusionum animad-

uer-

uerſio, & comprehenſionum conſideratio, firmam poterunt efficere memoriam, & ſatis magnam, ſi quae neceſſaria ſunt, aut illuſtria, mandentur memoriae, exempla. Reliquas horas quatuor tribuo vtriusque linguae ſcriptoribus graecis atque latinis: verum in his verſandis vnum cauendum eſt, vt ne graeci ſermonis facultas latinae orationis copiam ſuperet & anteuertat. Nam tametſi vtraque neceſſaria eſt, tamen latinae linguae vſus latius, quam graecae patet, in rebus actionibusque hominum, noſtro ſaeculo, & in hac Europa noſtra. Qui vero explicabuntur ſcriptores, hi non ex illorum ſint numero, qui per ſe poſſunt intelligi, absque magiſtri opera, & ſine commentariis grammaticorum, aut rhetorum; ſed in quibus ars atque doctrina recondita latet. & vnde exempla ſumi poterunt, & in quibus adiuuari ſe ſentiet a praeceptore discipulus.

LXXVII. Perſeuerandum etiam hic quotidie in ſtili exercitatione eſt; & aliquid audere decet laudabilius, & dato ſpatio ad deliberandum propoſito argumento, quaſi ſubito de re propoſita dicere. Sed dabitur venia adolescenti, ſi vel locum communem, vel amplificationem, vel argumentationem more oratorum exornatam, vel narrationem de ſcripto recitabit; ſi ea, vel illa hora, quae praeſcripta eſt, confecit, vel domo attulit, & ad rem ſi pertineat, modo ab ipſo, domeſtica exercitatione, aut etiã ſuperioribus exercitationibus, ſit in ſcholis domiue confecta.

LXXVIII. Quod in quinta curia praecepimus, idem in omnibus ſuperioribus ordinibus retineri a discipulis, & obſeruari a praeceptoribus volumus, vt ephemerides & diaria retineantur, & locupletentur quotidianis lectionibus, auſcultationibus, ſcriptionibus, vt & discipuli fructus percipiant vberiores & magiſter, tamquam bonus villicus, videat quotidie augescentes ſuae familiae opes, & ludi primarii moderatores tamquam diligentes domini cognoscere poſſint omnes totius ruſtici operis rationes.

DE

DE PRIMA CLASSE.

LXXVIIII. Post haec tamquam ad summam curiam, quae praerogatiuam habeat, deducendus est iste discipulorum coetus, ad curiam tamen & tribum, & ad tribunum vnum, vt in superioribus, nondum tamen in senatum, & in forum, atque iudicia, ad publicas scholas, & ad eos, qui professores vocantur publici, quorum ἐπαγγελίαι earum sunt artium, quas vocamus physicas, mathematicas, ethicas; sed adhuc retinendus annum in iis disciplinis puer, & adolescens iam grandior est, quas λογικὰς nominant, sermonis puri, argumentationis verae, orationis ornatae. Adhuc enim linguae magis, quam mentis magistri atque doctores esse volumus.

LXXX. Quamobrem in hac prima summaque curia, si quid desit dialecticis, atque rhetoricis fundamentis, quae progymnasmata adpellantur, ea sunt omnia, in hos populi nostri ordine adiungenda & explicanda vtiliter. Vtiliter cum dico, de adolescentum sentio vtilitate, non de magistri laude, *qui tum demum optime docere iudicandus est, cum quam plurima discunt discipuli, & temporis ratio summa habetur a praeceptore, & omnis superflua vitatur prolixitas, & semper illud Horatianum præceptum ob oculos positum est, quidquid praecipies, esto breuis*: nihil autem nimis est, breue, & curtum, quod satis est intellectum & cognitum.

LXXXI. Sed his dialecticis & rhetoricis praeceptionibus vt superiore curia, ita etiam in hac, vnam quotidie horam tribuo: reliquas impertior latinis graecisque auctoribus, oratoribus inprimis: admitto tamen ad has horas, cum vtile videbitur, & progressus iuuenum id requirent, tres *Ciceronis libros de oratore*, vt in classibus inferioribus *libros de amicitia, senectute, officiis*. Nam & hi orationem locupletant, & illi de oratore plurimum adferent ad praecepta dicendi, ad orationis ornatum, & ad rerum cognitionem.

LXXXII. In explicandis vero huiusmodi scriptoribus non tenenda illa puerilis ratio est interpretandi ad verba, quae fit a praeceptore: sed hic atque etiam superiori proximo gradu adolescentes ambitus verborum recitent, atque interpretentur; simili verborum ambitu latine, si queant, si non queant, membratim singula membra latina graecis membris reddant; verba etiam aliquando verbis ponderent, cum rerum grauitas, & verborum potestas requiret. Sed neque ambitu aliquo vno, atque altero contenti sint; modus vero statuatur, exordio toto, tota narratione, tota quaestione, toto loco communi, & amplificatione, praeceptor loca solum obscuriora explanet, exempla ad loca artis reuocet, praecipua ornamenta indicet, legem aut historiam commemoret, ita agat, & ita immoretur atque ita properet, vt aliquando mense, aliquando hebdomade liber vnus vel oratio vna conficiatur.

LXXXIII. Quae vero praecipue in his adnotanda erunt, & referenda in ephemerides, indicet, & quomodo in illis notari debeant, cum necessarium erit, demonstret. Quae memoriae mandanda erunt, ostendat & praecipiat, si poterunt pueri, si non poterunt, in diaria referant, qui libri memoriae custodes sunt, & comites, & adiutores. Idem vsus adolescenti studioso ephemeris est, qui diligenti patrisamilias arca pecuniaria; & quemadmodum paterfamilias aeque vetere atque noua pecunia quotidiana delectatur, ita litterarum atque doctrinarum studiosos voluptatem percipere decet, non modo illis, quae comparata sunt; sed etiam, quae comparantur quotidie. Sed vetustarum rerum diligens debet esse custodia, nihil negligendum in hac amplificatione, quod ad deum, ad naturam, ad artem, ad humanitatem pertinet, quem ordinem, qui est quadripartitus, inde ab extrema curia ad omnes totius collegii magistros pertinet obseruare & retinere in huiusmodi diariis atque ephemeridibus conficiendis.

LXXXIIII. Exercitationes hic grauiores instituentur stili, commentationum, declamationum, translationum, & adhuc ludimoderator non modo iudicem se esse putabit eorum, quae fient, sed etiam adiutorem, & in omnibus tria sequetur, quae perpetui officii sunt: breuitatem, perspicuitatem, memoriam, ex quibus efficitur ea, quam requirimus, facilis rerum omnium doctrina.

DE PVBLICIS MAGISTRIS.

LXXXV. Dum in hisce inferioribus scholis adolescentes educantur, quasi sub ferula viuunt, & intra priuatos inclusi parietes moderatoris cicurantur manu, & eruditi sese patiuntur: non suo arbitratu, atque voluntate, sed magistri lege atque iudicio. Eductus vero ex his tribubus quasi in curiam & senatum, quasi in forum, atque iudicium, locaque prodit publica: & ad theologos deducitur propter religionem, ad physicos propter naturae obscuritatem, ad ethicos atque iureconsultos propter mores & hominum societatem: ad dialecticos propter veritatem perfectam: ad rhetoricos propter eloquentiam.

THEOLOGI.

LXXXVI. Quamobrem qui ad theologum ducetur, is in classibus catechismum didicerit, locos communes remotis grauioribus quaestionibus cognorit: audierit etiam epistolas Paulli, & euangelistas & exercitatus sit psalmodiis, & precibus quotidianis. Sed de exercitationibus mox; nunc vero de iis, quae ad religionem pertinent. Gustauerit igitur in locis inferioribus, quas curias & tribus adpellauimus, adolescens omnia haec mediocriter, & tamquam ab interprete acceperit, a theologo maiora exspectet. Hic libros difficiliores explicabit, & ad loca apostolorum & prophetarum obscuriora, patrum adferet dogmata, ecclesiarum ostendet successiones, corruptelas, emendationes, dissidia, amicitias, belli pacisque tempora: loca inter sese pugnantia patrum, apostolorum, prophetarum, componet, concilia-

ciliabit, & in omnibus his, quid verum, & necessarium, quid probabile aut verisimile sit, indicabit: hic quaesitor erit, & modorator in disputationibus, vt in his adpareat interrogantium & respondentium doctrina, concordia, religio, vt idem velle, & idem nolle omnes videantur, etiam tum cum contrarias inter sese opiniones & dogmata defendunt. Optima autem disputandi ratio tradita est a Ciceronе sermonis perpetui, a Platone acutarum, & breuium interrogationum, tametsi etiam hic scriptor saepe digressiones faciat, ad facienda longiora spatia, cum ad loca praerupta, & praecipitia patitur vagari aut Gorgiam, aut Protagoram, aut cum Socratem ostendit, cuiusmodi esse poterat, vel eloquentiae laude in longioribus argumentationibus, si idem, quod sophistae conabantur, potuissent, ipse si voluisset potuisset efficere.

PHYSICI ET MATHEMATICI.

LXXXVII. Qui vero physico committentur iuuenes, eadem teneant, quae ceteri: nam in curiis eadem volumus omnes discere: sed qui medici fieri volunt, aut eruditi atque docti videri, & esse volunt: hi libros Aristotelis physicos cognoscent, etiam meteoricos. Arithmeticam sibi comparent his magistris, non solum vt cognitam, verum etiam exercitatam habeant: & in astronomia non Procli sphaera contenti sint; sed altiora petant, & ad Ptolomaei, & Archimedis, & Theonis conscendant fastigia: terras tamen non negligant, & orbis totius situm & terrarum descriptiones, & populorum atque nationum cognoscant agros, & agrorum fructus, mercimonia, mores, leges, fertilitates, & sterilitates, salubritates & morbos, flumina, fontes etiam, & in his omnibus animantia, quorum natura est aliqua admirabilis. Et vt hos scriptores cognoscere & haec omnia discere adolescentes atque iuuenes volumus; sic etiam docere eadem volumus mathema-

ticum & phyſicum magiſtrum, vt illa in claſſibus praecepta, etiam hic retineantur: breuitas, perſpicuitas, memoria, ex quibus doctrinam facilem & copioſam confici diximus. Quod de mathematicorum doctrinis diximus, idem de muſica ſentimus, quam tamen diutius exerceri, quam doceri volumus.

ETHICI POLITICI IVRECONSVLTI.

LXXXVIII. Sub morum doctrina complectimur, vt principio huius libri a nobis praepoſitum eſt, non ſolum eos, qui vocantur ethici, libros Ariſtotelis, ſed etiam politicos de ciuili ſcientia & nomicos de legibus, leges etiam ipſas totamque iurisprudentiam. Atque in hac copia iudicium adhibere debet praeceptor bonus & diligentiam; vt neceſſaria non neceſſariis crebra raris, vſitata inuſitatis, obſcura & recondita, vtilia tamen per ſe notis & claris anteponat. Non enim hic ſolum adolescens a magiſtro praecepta vitae & ſocietatis humanae accipere & discere debet; ſed ipſe etiam ſeſe docere, legendis his ſcriptoribus, & docentem praeceptorem adiiuuare, tamquam tiro militem, qui non ſolum exerceri a magiſtro vult, ſed etiam pro ſe & magiſtro, totoque pugnat exercitu. Vt igitur hic tiro discere & pugnare paratus eſt, ita etiam hic discipulus & audire & legere volet & domi plura legere, quam in ludo publico audire poterit. Ignauum eſt, nihil ſuopte, vt dicitur, Marte contendere. Itaque bipartita hic ſit praeceptoris induſtria. Vna pars poſita eſt in docendo, vt ea doceat, quae magis ſunt neceſſaria, altera in monendo, vt praecipiat, quae domi legere debeat discipulus. Bipartitum etiam discipuli officium eſt. Vnum, vt discat a magiſtro, quae accipit, alterum, vt ſeſe ipſe domi doceat: ſemper domi habeat, quod legat, quod commentetur, quod ſcribat, quod ad comparatas facultates accumulet.

DIALECTICI.

LXXXVIIII. Idem etiam faciendum eſt dialectico magiſtro & discipulo, vt alter in ſcholis docendo, al-

ter domi legendo officium faciat, & alter alterius ope adiuuetur in omnibus illis, quae in Aristotelis tradita sunt organo. Hoc enim perpetuum esse in dialecticis scholis volumus volumen, quod legant iuuenes, explanent magistri, sequantur omnes in quaestionibus & disputationibus earum rerum, quae in liberalium artium societate continentur.

RHETORICI.

LXXXX. Rhetoris officium est, in hisce publicis exercitationibus artem totam tradere, omnia scire, quae de dicendi ratione tradita sunt ab Aristotele, Hermogene, graecisque scriptoribus: sed Ciceronem inprimis teneat. Huic magistro commissa inprimis esse debet imitandi ratio: primum auctoris optimi, cuius iam mentionem fecimus, M. Tullii Ciceronis. Sed in eodem habeat comitatu Demosthenem, neque longe absit Isocrates: hi enim praestant. Ac quia non forensem solum volumus esse dicendi formam, aut senatoriam; sed philosophicam etiam ex academia & lyceo commodatam; Xenophon multa habet, & Plutarchus, Polybius etiam & Thucydides atque Herodotus, quae rhetorem atque oratorem adiuuare poterunt. In his legendis atque explicandis rationem perscribere non huius est loci, aut temporis. Caput autem illud est, vt dicendi praecepta reuocentur ad memoriam, tamquam ad calculum, & horum exempla ostendantur in auctoribus: non vnum vnius, sed vnius multa & varia: & materias ostendant, quibus hae formae poterunt adplicari, aut hisce formis exprimi. Non enim quaeuis res, atque quaestio, quamuis dicendi figuram admittit. In imitatione enim oportet, vt illud, quod in officio omni requiritur, decorum adpareat. Huic magistro concedimus omnium artium tractationem, hic praecipere potest, quae ratio sit conficiendarum atque conscribendarum artium, medicinae, agriculturae, architecturae, quod genus dicendi historia requirat, & quae pro-

pria illius sint ornamenta, quae scriptoris huius officia, hic vestigia poterit ostendere Platonis, & Socratis, in sermonibus instituendis; hic praecepta poterit tradere illius sedatae & philosophicae orationis: non dialogorum tantum, in quibus acutae, & breues, & crebrae interrogationes sunt: quibus abundat Plato, sed etiam perpetui illius sermonis, quo Aristoteles in historia animalium vsus est, multisque aliis voluminibus; & Cicero in libris officiorum, in sermonibus etiam amplioribus, in quibus auditorem non habet is, cui primae partes datae sunt repugnantem.

LECTORI S.

LXXXXI. In exemplari, quod anno 1565. Emanuel Saltzer Lauingae excudit, proxime hoc loco subiecta erant capita de exercitationibus, Lauingani gymnasii quotidianis. Verum, quando eadem capita iisdem prope verbis atq. syllabis, eadem etiam serie, atque ordine classicis epistolis annexa sunt; non iudicauimus operae pretium esse, si eadem illa hic repeteremus. Quia tamen leuem quamdam non tam sententiarum, quam verborum discrepantiam deprehendimus; non incommodum esse, visum est, si ea loca, in quibus verba quaedam, vel paullulum mutata, vel omissa, vel denique addita, obseruauimus, indicaremus. Sunt autem haec, quae sequuntur.

LXXXXII. In capite de concionibus, exemplar Lauinganum sic habet.

Conciones adpellamus ἐμιλίας, quae Argentorati habentur post coenam, antequam adolescentes ad conclauia & cubitum redeant. Hae breues sint, sed diligenter vel conscriptae vel commentatione, & memoria comprehensae, vt doctrina adpareat sacrarum litterarum, & pietatis studium, vt etiam dialectici cet.

In capite de declamationibus, sic.

Vel quod non minoribus aliquando in hac vinbra vtendum sit vociferationibus declamatori, quam in foro

foro & grauibus cauſſis oratori: & in his vox oratoris non ſolum inſtituenda, ſed etiam exercenda multipliciter: loquendo ſummiſſe, docendo ſedate, vociferando fortiter.

Vtilitates declamationum omnes confitentur cet.

In eodem capite, paullo poſt, ſic.

Argumenta, quoad eius fieri poteſt, ſint earum rerum, quae animus eorum, qui audient, moueant, & ad veritatem quam proxime accedant. Eccleſiaſticum optandum eſſet, ſi fieri poſſit, aliquod certorum negotiorum conſtitui iudicium, atque conſilium, & has cauſſas latine defendi. cet.

In capite de disputationibus, ſic.

Vt declamandi exercitatio ad rhetorem pertinet, ita disputandi ad dialecticum: atque artis differendi vtilitas ac vſus in hac conſuetudine disputandi maxime percipitur. De hac multa praecipi poſſent cet.

In capite de confabulationibus, ſub finem, ſic.

In huiusmodi conuiuiis etiam infimi ordinis pueri habent, quae interrogent rerum vocabula, inde a ſummo genere vsque ad imas formas deducta, aut a toto vsque ad extrema membra diſtributa. Haec facilis ratio erit, ſi moderatorem habeat praeeuntem. Nulla via in errorem ducit, quae ducem habeat, nulla moleſta, ſi ducem facetum.

In capite de demonſtrationibus, ſic.

Sed eſt alterum genus ignotum atque incognitum, quod indice & demonſtratore habet opus, vt planetae ſeptem, vt Pleiades, vt cynoſura in coelo, vt in hominis carne musculi, in oculo color cryſtallinus, in capite nerui. Herbae multae demonſtrari poſtulant, & herbarum atque plantarum cet.

In capite de comoediis & tragoediis, non longe a fine.

Pro conquiſitione Lauinganum exemplar habet compoſitione. Ceterum amice lector, leges, quemadmodum in Lauingana editione habebantur, integras reliquimus, rati, ſi quid inter has eſſet, & eas, quibus gymnaſium Argentoratenſe continetur, diſcriminis, ex collatione id facile intellectum iri.

LEGES SCHOLAE LAVINGANAE.

WOLFFGANGVS
Dei gratia, Comes Palatinus Rheni, Dux Boiariae, & Comes Veldentianus.

Principis officium esse, non ignoramus cum rectis institutis prouidere, vt nequid populo desit, tum inprimis, vt scholae constituantur, quae officinae sunt virtutis, bonorum morum, pietatis, doctrinae, religionis, Et quoniam ad Hornebachianum gymnasium etiam Lauinganas scholas adiunximus, coaedificatis domiciliis, comparatis magistris, delectis scholarum praefectis, designato rectore, volumus his vtriusque gymnasii homines teneri legibus: rectorem, prorectorem, publicos professores, classium magistros, classes ipsas, collegii discipulos, ciuium hospites aduenas, vt primum religionis, deinde morum, tum doctrinae rationem habere maximam videamur.

RECTORIS, ET PRORECTORVM, ET PROFESSORVM OFFICIVM.

I. REctorem & eos, qui ei adiuncti sunt, rectorem tamen inprimis decet auctoritatem suam doctrina, diligentia, temperantia, humanitate, grauitate tueri.

II. Vt praeceptorum & magistrorum quisque officia quotidiana faciat, diligenter idem animaduertito.

III. Praeceptores primi ad horae sonum ad ludum obuersantor, postremi egrediuntor.

IIII. Iidem praescriptam docendi rationem rectoris, ac gubernatorum arbitrio sequuntor: nec inter docendum ambitiose declamitanto, vel digressionibus a proposito argumento diuagantor, sed ingeniorum viribus se adcommodanto: ac discentium vtilitatibus in vniuersum seruiunto, rationem

denique temporis breuitatisque ſummam habento.

V. Veſtitu, cibo, potu, vigilantia, diligentia, lectione domeſtica, etiam ſcriptione domeſtica, frequenti concionum auditione, pietate, exemplo ſunto. Exemplo enim praefectorum & magiſtrorum perduntur, exemplo ſeruantur adolescentum ingenia.

VI. Ebrioſum praeceptorem, aut ludis deditum, e ſcholis non eiicere, corruptae disciplinae indicium eſto.

VII. In monendis & caſtigandis adolescentibus negligentia & remiſſio abeſſe, ſeueritas absque crudelitate, vituperatio, absque maledicto adeſſe debet.

VIII. De adolescentibus, qui ad litterarum ſtudia non ſunt natura idonei rector & gubernatores gymnaſii, parentes nos vel alios patronos, ad quos ea res pertinet, in tempore certiores faciunto, ne illi & ſumtus cum tempore ſine vllo fructu perdant: & ad aliud vitae genus ſero accedere cogantur: vtroque modo irrecuperabile detrimentum accepturi.

COLLEGII LEGES.

DE collegio vero ſic ſentimus, ſic conſtituimus, ſic volumus, vt primum religionis, & morum, deinde doctrinae, disciplina grauiſſima colatur.

I. Preces antemeridianas & pomeridianas, ſinguli frequentanto, quorum concionari eſt, ſuo loco & tempore concionantor.

II. Ad collegium nemo adolescentum ad-

mittitor, nemo retinetor, in quo non ſit verecundiae & diligentiae indicium.

III. Qui admiſſi erunt, moderatoribus nomina danto, oeconomo trium menſium pecuniam perſoluunto, idem in ſequentibus menſibus faciunto.

IIII. Sine fideiuſſione nullum in collegium admittito, neminem rationibus non ſubductis miſſum facito.

V. Extraordinarios ſumtus parentes, & propinqui faciunto, aut oeconomo pecuniam ſuppeditando, qui ante tempus exierit e collegio, cum oeconomo decidito. Omnes paedagogo morem gerunto.

VI. Qui paedagogo non obtemperat, impatiens poenae, non audiens dicto, a praefectis caſtigator, mulctator, punitor.

VII. Damnum etiam, quod quisque dederit, vt praeſtet, videto.

VIII. Dum locum in collegio habere & cubiculum ſibi ſeruari volunt, etiam abſentes pro cibariis ſoluunto, aut cum oeconomo tranſigunto.

VIIII. Feſtis diebus bini templa ordine verecundeque adeunto, conciones omnes diligenter audiunto, absque pſalmorum volumine, aut teſtamento nouo ne ſunto, domi memoria conciones repetunto.

X. Quotidianis & repetitionibus, & exercitationibus interſunto, abeſſe nemini impune eſto.

XI. Sermo vbique omnium latinus eſto, omnes ſuas ſcholas & claſſes frequentanto,

alio-

aliorum ſcholas non impediunto, non clamore, non cantu, non ambulatione, nullo ſonitu, nullo ſtrepitu: qui peccarit, pro peccati ratione & modo bono poenas luito.

XII. In collegio neque discipulus absque paedagogi conſenſu, neque paedagogus absque ſcholarcharum permiſſu aedificato.

XIII. Honeſte vnusquisque veſtitor, in veſtibus ciuium conſuetudinem, & ſcholae inſtitutum colito, nihilque liceat in veſtitu, quod foris domiue dedeceat.

XIIII. Extra domicilium collegii nemo egreditor, nemo ſtato, nemo emaneto, nemo alibi, quam in eodem domicilio absque paedagogi conſenſu pernoctato, per hiemem vero inprimis id licitum non eſto.

XV. In coenis, in prandiis, in ientaculis, in omnibus congreſſionibus ſermo eſto de rebus bonis, honeſtis, vtilibus, idemque latinus, pudicus, verecundus, liberalis non moroſus, non contentioſus. In coenis etiam, & prandiis, vt ne deſit ſermoni materies, aliquid memoriter qui iubebuntur, recitanto: nemo impune exercitationes collegii contemnito.

XVI. Rixae, conuicia, probraque omnia a congreſſionibus abſunto, qui ſecus faxit, in hunc moderator bono modo animaduertito.

XVII. Auctor discordiae, ni deſinat, e collegio, & ſcholis excluditor.

XVIII. Arma, gladios, pugiones non geſtato, qui cum armis aduenerit, ea ille moderatori cuſtodienda committito.

XVIIII.

XVIIII. Qui vim alteri armis intentauerit, e collegio eiicitor, qui sine armis idem facit, pro noxa luito.

XX. Malorum familiaritates, consuetudines, congressiones omnes fugiunto: qui secus egerint, puniuntor.

XXI. Ad cauponas, tabernasque publicas atque conuiuia, nemo absque permissu moderatoris accedito.

XXII. Exterorum nemo in iussu paedagogi in collegio aut dormito, aut edito: hieme ad horam nonam, aestate ante medium decimae, cubitum quisque ito; secus absque caussa necessaria, & probabili nemo facito. Deum quisque suis precibus ante somnum inuocato, placato, laudato.

XXIII. Ianua collegii hieme ante coenam; aestate cum paedagogo visum erit, claudito, nemini post id tempus exire, fas esto.

XXIIII. Paedagogus quin cubicula omnium circumeat, intusque eadem probet, hebdomadam nullam praetermittito: eidem cubiculorum ianuae, simul ac pulsarit, apertae sint, quisque facito.

XXV. Simul ac quiuis cubitu surrexerit, stragula conuoluito, sternito, strata per diem retineto, cubiculum, hypocaustum verrito, sordes ad sterquilinium portato: omnia bene collocata in his sunto.

XXVI. Condiscipulum & contubernalem tempestiue dormientem, aut studiis incumbentem, non voce, non ambulatione non strepitu impedito.

XXVII.

XXVII. Ad vicini cubiculum nemo ſine cauſſa accedito, coitiones, & conſeſſus per cubicula vitantor: qui ſecus faxint, paedagogus pro noxa, ratione bona vindicato.

XXVIII. Qui officium nonpoſſe facere iudicabuntur, vt aliud vitae genus inſtituant, miſſionem petunto. Et his legibus omnes obtemperanto, & ceteris legibus, quae poſt doctrinae, disciplinae, religionis ergo ferentur, obſecundanto.

LEGES CVRIALES.

PRimarius ſtudiorum finis religio eſt, & dei diuinorumque operum, atque beneficiorum cognitio. Haec ipſa religio doctrina traditur, & eloquentia excolitur: ſed ita haec duo diſtinguuntur, vt doctrina neceſſitatis ſit, eloquentia ornatus. Adiuuantur autem haec duo disciplina, & legibus bonis, in quibus hoc discrimen eſt; quod leges absque disciplina parum poſſunt; disciplina vero per ſe leges inuenit, ſi prudenter conſtituatur. Eſt igitur magiſtratus, ſcholas litterarum conſtituere, & magiſtros litterarum comparare, quoniam haec voluntas dei eſt. Magiſtri vero multis de cauſſis officia ſuscipere, & facere debent non ſolum diligenter, ſed etiam cupide & auide. Nam haec voluntas primum dei eſt, deinde magiſtratus, postremo requirit caritas chriſtiana, vt, quantum quisque poteſt, tantum proſit ſocietati chriſtianae. Sed praeceptores morum, & magiſtri litterarum ipſi ſibi pro legibus eſſe debent; etiamſi nullas haberent. Adoles-

cen-

centia vero & pueritia huiusmodi regenda & seruanda est legum habenis, si id adsequi absque legibus non possis, quod optandum est, vt vltro faciant, quod faciunt ingenia bona, vt velint & obtemperent, & laborent in iis, quae a magistris praescribuntur.

I. Quod seueritate corrigi potest, indulgentia non debet negligi. Quare si quis ad horas constitutas non adest, vel in scholis gymnasii, vel in concionibus ecclesiae, virgarum verberatione corrigendus est, nisi excusationem a parentibus aut heris domesticis probabilem adferat. Istud enim voluntatis peccatum est, non ingenii imbecillitas.

II. Qui post horam constitutam veniet, castigari debet, modo & ratione bona, iudicio rectoris, visitatorum, & praeceptoris, magis si bis in hebdomada id fiat, maxime, si ter idem admittatur.

III. Qui negligenter auscultat, qui lectas & traditas res non repetit, qui interrogatus respondere non potest, qui cetera officia bonorum discipulorum negligit, is pro errato, pro peccato, pro ingenio, pro aetate debet castigari: sed grauissima medicina in his morbis erit virgarum seueritas: minima, verborum prudens remedium.

IV. Qui non diligenter auscultat, qui alia cogitat, qui nugatur, qui scriptitat, res alienas pingit, aut alia legit, quam quae doceantur in his peccatis minima castigatio est comminatio, & obiurgatio. Seueritate enim disciplinae istud naturae vitium sanari potest.

V. Qui

V. Qui malis delectantur familiaritatibus, qui verbis litigant, qui pugnis praeliantur, aut quoquo modo dimicant; qui iurant, qui praeceptores condemnunt, qui irreuerenter praetereunt, aut aſpiciunt aut alloquuntur eos, qui reuerentia digni ſunt, vt ſenes, vt magiſtratus, vt homines praediti auctoritate, aut virtute, qui in plateis & coetibus hominum non verſantur verecunde & vt decet litterarum ſtudioſos, ratione bona aut grauiter aut ſeuere debent emendari.

VI. Qui ſermone vtuntur alio, quam latino, qui impudenti, qui impudico pro peccati genere, ratione bona puniantur.

VII. Qui aduerſus magiſtros, & praefectos ſuos falſam querelam ad parentes deferet, aut tutores, aut cognatos, aut amicos, aut quosuis neceſſarios, & viros bonos, & quia falſum dicit, & quia aduerſus praeceptorem, & praefectos ſuos ingratus eſt, & quia moerorem mendaciis ſuis excitat, pro facinoris grauitate, aut virgis caſtigetur, aut cuſtodia coerceatur, aut modo aliquo bono ſeueritatis fiat melior.

VIII. Decurio ſi officium non faciat, in animaduertendo & accuſando, virgis corrigendus eſt: non enim hic vitioſus eſſe poteſt, vt non nouem condiſcipulos vel offendat exemplo, vel in ſocietatem vitiorum pertrahat, & disciplinam corrumpat gymnaſii.

DE ADVENARVM OFFICIIS.

I. Qui aliunde ad ſcholas mittentur, ad ciuem nemo diuertat absque rectoris, & prorectorum conſenſu.

II. Nemo etiam ab hospite ſuo discedat, aut hospitem mutet absque horum voluntate atque permiſſu.

III. Per

III. Pernicioſum eſt, apud intemperantem hospitem, & immoderatum viuere, detrimentoſum, apud auarum, vtrumque lege vitandum eſt.

IIII. Veſtitus nihil militare habeat, nihil molle, nihil diſſolutum, nihil contra bonorum & honeſtorum virorum conſuetudinem.

V. Non libros emant, non veſtes comparent, non pecuniam mutuo accipiant, absque rectoris, prorectorum, magiſtrorum & eorum, quibus commiſſi adolescentes ſunt, conſenſu & voluntate. Ciui, qui vendit his, qui pecuniam mutuo dabit: lege municipii ſuum repetere, iudicio non liceat.

VI. Pſalmodiis, concionibus, precibus, etiam claſſici, qui cum ciuibus habitant, tempeſtiue adſint canendo, auſcultando, precando.

VII. Ad quas conciones publicas, qui in collegio ſunt, diebus feſtis conuenire debent: easdem etiam ciuium hospites frequentanto.

VIII. Gladiatoribus, muſicis, ſaltatoribus absque rectoris, & praefectorum permiſſu, nemo in collegio principis, nemo apud ciues operam dato.

VIIII. Aduenae omnes, & qui in collegio ſunt, & qui hospites ſunt ciuium, ita viuunto, ita operam litteras nauanto, vt tertio quoque menſe teſtimonium obtineant, quod parentibus, patronis, cognatis, affinibus, tutoribus, neceſſariis mittant.

X. Si inter ciues & ſtudioſos lis aliqua, aut controuerſia oriatur, quod tamen omnibus modis cauendum eſt, non ſe quisquam temere & priuatim vindicato, ſed vt illi coram rectore ſtudioſos, ita illos viciſſim ſtudioſi coram praetore vrbano, aut Coſſ. conueniunto, & cognitionem reuerenter exſpectanto.

INDEX

INDEX.

ADnotatio, quomodo inſtituenda 50. ſeq.
Aduenarum officia 385. ſeq.
Aegyptii ſuperſtitioni dediti 13.
Alexander ab Ariſtotele qua ratione inſtitutus 7. quomodo imperium geſſerit 7. vnde Magnus fuerit adpellatus ibid.
Ambulationes inter legendum fugiendae 43. ſeq.
Animorum relaxatio, qualem permittant leges ſcholaſticae argentoratenſes 250.
Antemeridiana ſtudia 44. ſeq. 353.
Antiquitatis notitia in praeceptore requiritur 11.
Aptitudo, quid 79.
Archimedes quid inepti fecerit 10.
Ariſtoteles, qua ratione Alexandrum inſtituerit 7. quare legendus 137. ſeq.
Arithmeticae neceſſitas 340.
Arrogantia imitatori vitanda 70.
Ars militaris, eius neceſſitas 340.
Aſtronomia, illius certitudo adſerta 340. ſeq.
Athenienſium ſuperſtitio 16.
Auctores, quinam legendi 34. 42. ſqq. quo ordine euoluendi, 44. ſqq. qua ratione tractandi 51. ſqq. quinam imitandi 60. ſeq. eorum comparatio, quo modo inſtituenda 51. ſeqq. 62. ſeq.
Auſcultatio, illius neceſſitas 35. ſeq. quibus rebus impediatur 43.

CAntiones principibus pueris concedendae 20. ſeqq.
Cerimoniae impiae, vtrum tolerandae 18. ſeq.
Chriſtiana doctrina in primis colenda 39.
- - religio, quid ad eam pertineat 133.
Cicero commendatus 35. praecipue imitandus 60. ſeq. vtrum omnia illius opera ſuperſint 61. vtrum omnia litteris tradiderit 61.

Ciuilis prudentia, quanti illius ſcientia aeſtimata 11. in praeceptore requiritur 11.
- - ſcientia, eius vtilitas 32. vnde haurienda 32. 35.
Collegia quid de iis ſancitum in legibus ſcholaſticis argentoratenſibus 229. ſeq. item in legibus ſcholae Lauinganae 379. ſeq.
Colluſores principis, quales eligendi 21.
Comoediae, quid in legibus ſcholaſticis argentoratenſibus ſancitum 248. ſeq. item in legibus ſcholae Lauinganae 377. ſeq.
Commentandi ratio 125. ſeq.
Commutatio ſtili, quid 73. ſeq.
Comparatio auctorum, quomodo inſtituenda 51. 62.
Concionēs discipulorum argentinenſium quae & quales 242. item ſcholae Lauinganae 376.
Concordia a praeceptoribus colenda 149.
Condiſcipuli principis quales eligendi 21.
Confabulationes discipulorum quales Argentorati praeſcriptae 246. ſeq. item in ſchola Lauingana 377.
Conſtantia in ſtudiorum tractatione neceſſaria 29.
Contentiones discipulorum vtrum excitandae 151. earum vtilitas ib. quales eſſe debeant ib.
Copia latinorum vocabulorum, quomodo pueris inſtillanda 175.
Cultus puerorum, qualis eſſe debeat 96.
Cura pauperum puerorum, qua ratione ſuscipienda 99.
Curſus principibus pueris concedendus 20. ſeq.
DEambulationes, vtrum lectionem impediant 43. ſq.
Declamationes discipulis Argentorati quales praeſcriptae 244. it. in ſchola Lauingana 376. qua ratione inſtitui queant 148. ſq. quod modis fieri queant 148.
Decorum ſtili quid 79.
Decurſiones equeſtres principibus pueris concedendae 20. ſeq.
Defenſio religionis vtrum ſuscipienda 17.
Delectus puerorum, qua ratione inſtituendus 94. ſeq.
- - ſtudiorum, qua ratione inſtituendus 38. ſeqq.
Demonſtrationes, quales Argentorati discipulis praeſcriptae 248. it. in ſchola Lauingana 377.

Dialectica, quando addiscenda 127.
Dialectici, quomodo instruendi 374. seq.
Dicendi forma considerandа in auctoribus 79.
- - genus in auctoribus attendendum 78. seq.
Dictio, quod illius sint genera 126.
Diligentia, a praeceptoribus adhibenda 8. sqq. 149. 345.
in quo consistat 8 seq. quaenam sint illius partes, ibid.
ad litterarum studia est necessaria 20.
Disciplina in educatione, qualis esse debeat 20.
Disciplinae, quo ordine tractandae 343. seq.
Discipulorum exercitatio, qualis suscipienda 146. sqq.
Disputationes, quomodo in gymnasiis instituendae 146.
discipulis Argentorati praescribuntur 245. item in schola Lauingana 377.
Distributio ordinum, quomodo instituenda 104.
Docendi ratio, qualis esse debeat 114. sqq. in scholis, quotuplex 144. vnde illius initium faciendum 343.
Doctor, qualis eligendus 37. 88. sq. quae illius virtutes 6.
Doctores, quot illorum genera 139.
Doctrina, praeceptori inesse debet 9. sqq. cum ea morum elegantia coniungenda 10. christiana, eius necessitas 39. falsa, vtrum toleranda 18. seq.
EDucatio bona, quanti sit aestimanda 5.
- - principis, quomodo sit instituenda 5.
Elocutio, quot illius genera Aristoteles constituerit 79. seq
Emendatio scholarum, quid in ea potissimum respiciendum 344.
Eruditio, qualis in praeceptore requiratur. 11.
Ethica, eius necessitas 326. eius vtilitas 31.
Excerpendi studium, quomodo instituendum 50.
Exercitatio discipulorum, qualis suscipienda 146. seqq.
- - memoriae, qualis esse debeat 112. seq.
Exercitationes corporis, quaenam principibus pueris concedendae 20. seq.
- - quotidianae, quomodo Argentorati & in schola Lauingana fuerint institutae 240.
FAstidium studiorum vnde 22.
Fides, qualem praeceptor adhibere debeat 9.
Figuratio quid 73.

Finis ſtudiorum quis ille ſit 87. ſeqq.
Forma dicendi in auctoribus conſideranda 79.
GEnera dictionis, quot 126.
Genus dicendi in auctoribus attendendum 78.
Geometria, eius vtilitas 341.
Graeca lingua, eius doctrina, quando tradenda 119.
Grammatica, ab ea in docendo principium ſumendum 343.
Grammaticorum libri, quales ſint 23.
Gymnaſia, quot in eis ordines inſtituendi 106. quae lectiones in iis ſuſcipiendae 132. ſq. quis doctorum numerus conſtituendus 140. publica, vtrum erigenda 102. ſeqq. quot in ciuitate & vbi conſtituenda 103.
HAlicarnaſſeus commendatus 34.
Hebraica lingua, quando tractanda 132.
Heresbachius Conradus, laudatus 6. 10. 23.
Herodianus commendatus 34.
Hiſtoria, illius notitia in praeceptore requiritur 11. ad quem potiſſimum pertineat 12. illius vtilitas 31. quale dicendi genus poſtulet 63.
Hiſtorici ſcriptores, quinam legendi 136.
Horae, quod inſtitutioni impendendae 114. qua ratione diſtinguendae 368.
IMitatio, quid 59. quomodo inſtituenda 60. ſeqq. quinam auctores hac in re eligendi 60. quo tempore ſuſcipienda 65. ſeq. quomodo occultanda 73.
Imitator, quid fugere debeat 70.
Imperatores inepti 10.
Ingeniorum diuerſitas probe perſcrutanda 94. ſeq.
Intemperantia homines ad ſtudia reddit ineptos 43.
Interpretatio publica, qualis eſſe debeat 134.
Iureconſulti, quomodo inſtituendi 374.
Iurisperitus, quaenam audire debeat 142.
LAelius conchas legit 10.
Latina lingua, quare illius ratio habenda 32.
Lauinganae ſcholae inſtitutio 326. ſeq. 346. leges 376.
Lectio, qua ratione inſtituenda 40 ſeq 47. ſeq. quibus rebus impediatur 43. quando ſuſcipienda 81. quotuplex 81.
Lectiones priuatae, quales eſſe debeant 134. ſeq.

- - publicae in gymnasiis, quales instituendae 132. quomodo distribuendae 134.
- - sacrae, qua ratione in gymnasiis instituendae 131. seq.
Leges scholae Lauinganae 378. seq.
- - Argentinensis 228. seq.
Libri, quinam legendi 134.
Lingua latina, quare habenda sit illius ratio 32.
Litterarum fastidium vnde 22. vtilitas 83. seq.
Liuius commendatus 34.
Loci artis, vnde sumendi 50.
- - rerum quomodo conficiendi 48. 50. 122.
- - verborum, qua ratione consignandi 124.
Logica, illius necessitas 341. seq.
Ludi, quid in legibus scholae argentinensis de iis contineatur 250. quales pueris concedendi 20.
Magister publicus, qua ratione litteris imbuendus 372.
Magistratus, illius officia erga scholas 88. seq.
Magistri scholarum, quales esse debeant 88.
Mathematici, quomodo litteris imbuendi 373.
Medicus, quaenam studia tractare debeat 142.
Memoriae exercitatio, qualis esse debeat 112.
Moderatio a praeceptore requiritur 19. seq. 345. illius vtilitas 19. seq. illius partes 20. qua ratione sese exserere debeat 21. 351.
Modus imitationis 79.
Morum elegantia cum doctrina coniungenda 10.
Musica, eius vtilitas 341.
Mutatio stili, in quo consistat 73.
Natatio principibus pueris concedenda 20. eius vtilitas. 20.
Nestori, cur tres aetates datae 11.
Nobilitas, qua re ornetur 32.
Notitia diuinitatis ad religionem requiritur 12.
Numae Pompilii superstitio 14.
Occultatio imitationis, qua ratione fiat 73. seq.
Officia aduenarum 385.
- - magistratus erga scholas 87. seqq.
- - parentum ratione educationis erga magistros 92. sq.
- - professorum in legibus scholasticis argentinensibus descriptum 228. 378.

Oratores, inepti 10. qua ratione resoluendi 121. sq.
Orbilii pestes scholarum 355.
Ordines puerorum, qua ratione distribuendi 104. quot constituendi 106. quae & quanta illorum vtilitas 107. seq. eorum progressiones quando fieri debeant 108.
Ordo nonus, quando puer eam ingredi debeat 109. quid in illo tractandum 109.
-- octauus, quid in eo suscipiendum 110. 175. seq. quid in eo tractandum 110. 177. seqq.
-- primus, quibus rebus in eo incumbendum 130. sq. 199.
-- quartus, quid in eo tentandum 120. seq. 181. seqq.
-- quintus, quibus studiis in eo opera danda 119. sq. 188. sqq.
-- secundus, quibus in eo doctrinis discipuli imbuendi 129. seq. 196. seqq.
-- septimus, quae doctrinae ibi tradendae 111. sq. 182. sqq.
-- sextus, quae in eo studiorum habenda sit ratio 116. 185.
-- studiorum, qualis obseruandus 38. seqq.
-- tertius, quaenam in eo disciplinae instillandae 127. 193.
PArentes, quae prudentia ab eis in liberorum educatione adhibenda 25. illorum erga docentes officia 92. seqq.
Philosophi, quinam legendi 136. seq.
Physici, qua ratione litteris tingendi 373.
Pietas praecipuus scholarum finis 87.
Plato philosophis respublicas committit 11. imitandus 61. quare legendus 138.
Poetae, inepti 10. quando legendi 58. quinam legendi 135.
Politica, eius vtilitas 32. vnde haurienda 32. 35. eius necessitas 327.
Politici, quomodo erudiendi 374.
Pomeridiana studia 45. 353.
Praeceptor, eius virtutes 6. qualis eligendus 37.
Praeceptores, eorum virtutes 149. sq. quaenam illis fugienda 149. eorum officium quomodo fuerit descriptum 228. seqq. quid in iis requiratur 345.
Principis educatio, qua ratione instituenda 5. seqq.
Priuata studia, eorum necessitas 145. qualia esse debeant 145. eorum commoda 145.
Priuatae lectiones, quales esse debeant 134. seq.
Priuilegia, quae & qua ratione studiosis concedenda 100.

Progreſſiones ordinum, quando fieri debeant 108.
Prudentia ciuilis, quanti ſcientia illius ſit aeſtimata 11. a praeceptore requiritur ibid.
Prudentia, praeceptori ineſſe debet 6. in quo conſiſtat ib. ſeqq. quaenam a parentibus in liberorum educatione adhibenda 25. ſeq. quid eam pariat 86.
Publicae lectiones, quales in gymnaſiis inſtituendae 132. ſeqq. quomodo diſtribuendae 138. ſeqq.
Pueri, eorum delectus quomodo inſtituendus 94. eorum cultus atque oratio, quales eſſe debeant 96. ſq. cuinam reuerentiam exhibere debeant 97. ſeq. quonam aetatis anno disciplinae tradendi 105. ſeq. eorum vitia, quomodo emendanda 345.
Pueri pauperes illorum inprimis habenda eſt ratio 98. ſq.
RAtio commentandi 125.
- - docendi, qualis eſſe debeat 114. quotuplex illa ſit 144
Recitatio puerilis, verſuum latinorum & graecorum quid de ea ſentiendum 9. qualis inſtituenda 36. ſeq.
Recitationes, qua ratione Argentorati & Lauingae inſtitutae 242.
Relaxatio animorum, quid de ea ſancitum 250.
Religio, praeceptori ineſſe debet 12. ſeq. eius partes 12. ſeq. eius neceſſitas 16. eius veritas, vnde probari nequeat 15. eius defenſio, vtrum ſuſcipienda 17. quaenam fuerit ſeuera, numeroſa, honorifica, conſtans 17. qua ratione principum puerorum animis inſtillanda 18. ſq quomodo colenda 39. eſt praecipuus ſcholarum finis
- - chriſtiana, quid ad eam pertineat 133. [87. 326.
- - falſa, eius vis & pertinacia 15.
Requiſita praeceptoris 6. ſeq.
- - pueri ſeu diſcipuli 25. ſeq.
Reſolutio oratorum, qua ratione inſtituenda 121. ſeq.
Reſponſiones discipulorum, quomodo fieri debeant 175.
Reuerentia, cuinã a pueris, & quomodo ſit exhibenda 97.
Rhetorica praecepta, quando addiſcenda 127.
Rhetorici, quomodo inſtruendi 375. [131. ſq.
SAcrae lectiones, qua ratione in gymnaſiis inſtituendae
Saltus principibus pueris concedendus 20. ſeq.
Scholae, quid praecipue illis propoſitum eſſe debeat 87.

ea-

earum magiſtri quales eſſe debeant 88. quid in earum emendatione praecipue reſpiciendum 344. ſeq. earum peſtes orbilii 354. Lauinganae, earum inſtitutio 326. 346
Scientiae, quaenam tractandae 42.
Scriptio, qua ratione inſtituenda 57. ſeq.
Scriptiones, quales legibus ſcholaſticis praeſcriptae 243.
Scriptores, quinam ſint difficiliores 36.
Sermo puerorum, qualis eſſe debeat 96. illius vitia, quomodo emendanda 97.
Socrates, illius ſuperſtitio 13. ſeq. quare adcuſatus. 17.
Stilus, eius cultura, quomodo perficienda 30. quonam tempore excolend⁹ 38. ſq. qua ratione excoli queat 60.
Stipendia, quis in eorum diſtributione mod⁹ obſeruand⁹ 90. quis eorum numerus conſtituendus 90. ſeq.
Studia, quo ordine & delectu ſint tractanda 38. ſeq. eorum finis ſedulo conſiderandus 38. eorum faſtidium vnde 22. quis eorum finis 87. ſeq. priuata, eorum neceſſitas 145. eorum cõmoda 145. qualia eſſe debeant 145
SuperſtitioAegyptiorum 13. Athenienſium 16. Socratis 13

TEmperantia ad litterarum ſtudia neceſſaria 29.
Theologi, qua ratione litteris imbuendi 372. ſq.
Theologus, quaenam ei ſint audienda 142.
Tragoediae, quid de iis legibus ſcholaſticis Argentorati ſancitum 248. ſq. item in ſchola Lauingana 377. ſq.
Transformatio ſtili, quid 74 illius exemplum 76.
Turcarum religio, illius pertinacia 15.

VArronis ſuperſtitio 14.
Venatio, eius vtilitas 20. principibus pueris concedenda 20.
Verborum loci, quomodo conſignandi 122. ſeq. quomodo diſtribuendi 124.
Virium aeſtimatio, quibus perficiatur 65.
Virtutes, hominini litterato, quaenam neceſſariae 29.
- - praeceptoris, quaenam illae ſint 6. ſeq.
Vita, quaenam beata 31. eius genus, quale eligatur, ſedulo deliberandum 135. quare 135.
Vitia, quaenam inter legendum fugienda 44. puerorum, quae & qua ratione emendanda 345. temporum, cur obſeruanda 344.
Vtilitas litterarum 83. ſeq.

Dubl. zu Ga 581
1
2

Rubr. V. Nro. 20.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

